BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
B
34
NAPOLI

XXI
B.
34

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLÆ DEFENSIONES

Pro

CL. SALMASIO,

De variis obſervationibus

& emendationibus

AD IUS

ATTICUM ET ROMANUM

Pertinentibus.

6



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
CIↃ IↃ C XLV.

Digitized by Google

Viris Ampliſſimis,

PETRO ET IACOBO

Puteanis fratribus.

S. D. B.

S. D.

NATAM *hanc mihi ex occaſione curam aliis occupato, nec quidquam tale meditanti, ita velim mihi credi ut conſcius ſum me id quod res eſt dicere, viri Illuſtres. Nec apud vos ulla inficiandi cauſa aut diſſimulandi, ſi aliter eſſet. Advocatus fori Pariſienſis fama celeberrimus, nec vobis de facie ignotus, mihi etiam de utroque cognitiſſimus, hanc à me operam expreſſit, non pro me, ſed pro eò quem æque ac me ipſum amare debeo, & quem vobis amiciſſimum eſſe ſcio. Fatebor equidem, indignationem magnam huius operis partem ſibi vindicaro, de quo nec cogitaſſẽ niſi ille prior*

laceſſitus eſſet iniuria, quem ego hanc à me defenſionem iure ſuo poſtulare credidi. Eam porro maiorem, quæ levior alioquin videri potuiſſet, eo nomine interpretari debui, quod ab eo facta ſit, qui vetere amicitia cum Salmaſio coniunctiſsimus eſſe vulgo ferebatur. Vſum & familiaritatem inter eos vel maximã intercedere, nõ tam affirmantibus fidem habebam quam ipſe ita id eſſe re ipſa videbam. Cum autem etiam tenerem, ex parte Salmaſii nunquam ullo facto dictove eam amicitiã fuiſſe violatam, tanto magis mirantus ſum, in lædendo priorẽ extitiſſe, qui nũquã ad hoc extremũ venire videbatur debuiſſe, niſi inſigni aliqua provocatus atq; irritatus contumelia. Salmaſiũ hoc ingenio eſſe, plerique familiares eius noveramus, & dolebamus, ut ne amicis quidem parceret, cũ de veritate certamẽ foret. Quod cũ modeſtia tamẽ sẽper eũ factitaſſe cõſtabat, ita amicos reprehendere ſolitũ, ut peccata eorum paulo acrius argueret, perſonas vero ne tangeret quidem;

quarum

quarũ aut nomina ſupprimebat, aut ſi nominandas putaret, nunquam illaudatas præteriret. Huic uni autem ex omni amicorum numero adeo indulſiſſe cum riſu Salmaſium mirabamur, ut uberrima errorum materia in ſcriptis Advocati efferueſcente, ne ſemel quidem ad partes eum vocaverit, nec ulla occaſione; cũ tot ſe ac tantæ offerrent id faciendi, carpendum exiſtimaverit. Quaſi doleret ſummo cauſarum patrono, inter eos nomen non habere, quos Salmaſius cẽſura ſua dignos iudicaſſet, hunc honorem ipſi habere prior occupavit, ut poſtea cumulatum cum fœnore reciperet. Ita ergo incepit eum à quo ipſe nunquam antea vel leviſſime offenſus fuiſſet, indignis modis tractare ac traducere. Qua in re hoc unum fortaſſe, vel præcipue hoc ſpectavit, ut quam gloriam ex propriis ſcriptis ſperandam non eſſe ſciret, aut certe non tantam, eam abundantiſſimam ex Salmaſii reprehenſione proventuram certo ſibi polliceretur. Nec ſpes eũ videtur ſefelliſſe. Nam quæ abſque hoc in

nullo pretio fuiſſent, tanto in honore cœperunt propter hoc eſſe, ut multi qui ea lecturi alias non forent, ea re maxime invitati in manus illa ſumpſerint, quod in his Salmaſium male accipi audiviſſent. Tanto magis etiam nunc requirentur, cum iam refrixerit eorum lectio, accedente hac noſtra defenſione, quæ magnâ facem adlucebit obſervationibus patroni, & ſub modio ante ſurdo lumine vix fumantes, in altum extollet undiq; conſpicuas omnium oculis futuras. Hæc certe eo animo non dico aut conqueror, quaſi cenſeam Salmaſium errare non poſſe, aut reprehendi nolle. Non ille in tantam ſuperbiam evectus eſt, nec eam de ſe fiduciam concepit, ut ſe hominem eſſe aut oblitus ſit, aut memor erubeſcat. Sed duo ſunt, ſi recte ſenſum eius animi augurari & odorari videor, de quibus nunc apud vos, Viri Ampliſſimi, per me iure meritoque poſſit queri. Quod ab amico læſus ſit, quem ipſe non læſit, & quod ſumma cum iniuria id ab illo factum ſit, qui fecit. Nam ſi vel in una,

quam-

quamlibet leviſſima obſervatione, illum ab Advocato, eius olim intimo, caſtigatum pro merita noxia viderem, nunquam certe eum hic defendendum ſuſcepiſſem. Verum maxima ex eo me cepit indignatio, cum cognoviſſem occaſiones omnes captatas ab illo quem minime decuit, amici arguendi & vexandi, tam nullo ſæpe cum colore, tam frivolis & ineptis ubique rationibus, ut nihil appareat aliud eum quæſiviſſe ac ſperaſſe quam incrementum famæ ſuæ ex detrimento alienæ. Quod in eo qui ſe amicum profiteatur cum vix ſit ferendum, ut malo more factum, tanto minus in illo ignoſci debet, qui nullo bono iure id à ſe fieri niſi conſcius ſibi fuerit, omnium ſtupidiſſimus merito ſuo haberi debeat. Et quod in hoc genere quidem ab adverſario inimicitiam profeſſo agitur, nulla refutatione alia indiget, vel defenſione præter hanc quod malevolentis animo graſſatus ſit, & calumniatoris, qui eas partes inimici acerbius premendi ſuſceperit. Vno verbo licet

talem mortalem retundere, ſi dixeris, Iſte homo meus hoſtis eſt. Sin ille quem amicum certiſſimũ tibi eſſe credas, idque omnes exiſtiment, cenſoris in te munus, nullo ſuffragio, nec temetipſo deferente oblatum, ſumpſerit, ac multa quaſi peccata, ſua illa virgula cenſoria paſſim in tuis ſcriptis notare ſuſtinuerit, quis non hunc hominẽ acerrimo veritatis amore atque intentiſſimo ſtudio impulſum & permotum cenſeat ea reprehendiſſe, quæ nullo modo ſe irreprehenſa ne in amico quidẽ prætermittere potuiſſe animum induxerit? Si amicus iſte porro, cuius errata ab amico ita deprehenſa & caſtigata fuerint, nihil reſpondeat, cui non videbitur ſilentio ſuo agnoſcere ſe eam promeruiſſe cenſuram? Et tacendum quidem illi arbitror, qui ſe iuſte reprehenſum eſſe ſenſerit, immo & gratias agẽdas reprehẽſori, quod benevolẽtis officium præſtiterit in admonendo & caſtigando amico de errore, quem is pro facinore laude digno ſe putabat edidiſſe. Non idem faciendum erga

ga eum qui ſub amici perſona certum inimicum occultaverit. Quod tum eſſe indicio nõ fallaci licet dignoſcere, & falſum amicum à vero diſcernere cum recta pro pravis corrigit, virtutes pro vitiis numerat, & laudandis nigrum theta præfigit. Quæ omnia niſi adverſus Salmaſium ab Advocato iniquiſſime & iniurioſiſſime perpetrata rebus apertis ac confeſſis oſtendero, nihil mihi humani aut divini credi volo, quinimmo improbũ inteſtabilemque me haberi non refugio. In ipſa ad Memmium Epiſtola, in antiquitatis ſtudium & humaniores litteras multis verbis & atrocibus acrique ſpiritu invehitur, nec animadvertit, ſuamet ipſum vineta cædere, cum de iſto muſtaceo laureolã ſæpe quæſierit, eamq; litteraturã diu publice in Academia celebri profeſſus ſit. Ne nunc quidem, cum iam pridẽ aliã ſcientiam quæ magis ipſi viſa eſt quæſtuoſa elegerit, relicta priore quæ ſterilem habebat cathedram, poteſt ab illa quam deſeruit abſtinere. Non omnem tamen

 litte-

litteraturam ita infamat, ut in vanitatẽ eius buccis plenis declamitet, ſed eam ſolã, quæ, ut latius evagata, iã non amplius ſcientiis, & utilioribus diſciplinis, aut civili ſcientiæ inſervire cœpit, eſſeq; graviorũ ſtudiorũ acceſſio, ſed ipſa ſtudiorũ caput & fũdus nõnullis exiſtere. Tũc, *inquit*, quanta eius eſſet, ad eã rem quod attinet, vanitas apparuit. *Quid velit iſtis, neſcio, aut quem petat. Hoc unum omnes qui legerunt animadvertiſſe perſpicue video, Salmaſium hæc verba tangere, ut ea quæ ſequuntur proxime, maxima cum invidia, & acerbitate, & oratorio ſono vibrata ad inſimulandam vanitatis miſeram illam* πολυμαθημοσύνην, *quam ſibi olim in amoribus & deliciis fuiſſe oblitus videtur, cum tamen etiã nunc ſubinde eius amplexus repetat. Certe ex iſtis paucis colligere eſt, quæ ſit æquitas in iudicando Advocati, quæ prudentia in ſcribendo, & quæ conſtantia, qui in pauxillo ſpatio ſecum ipſe pugnet, quid dicat neſciat, & præ ſtudio carpen-*

pen-

pendi Salmaſii occæcatus, in ſe ipſum potius incurrat quâ in eum quē tanto animi ardore impetit. Primo litteraturam ut vaniſſimâ arguit, eamq; litteraturâ quæ latius evagata eſt, quæq; ipſa ſtudiorum caput & fundus in nonnullis cæpit exiſtere. At illa quæ caput & fundus ſtudiorum in multis exiſtit, non latius evagatur, ſed intra terminos ſuos ſubſiſtit. Non enim, ut ipſe dicit, ſcientiis & utilioribus diſciplinis civilique prudentiæ inſervit. Quomodo igitur hæc cohærent aut conſtant? Quæ limitibus ſuis contenta graviorum ſtudiorum acceſſio non eſt, nec illis inſervit, ſed fundus ipſa ſtudiorum & caput, dici non poteſt latius evagari, cum intra ſuos ſe tota gyros volvat ac teneat. Deinde dicat nobis, cur vaniſſima illa debet videri, quæ ipſa ſibi pro ſciētia eſt, domina ſui & magiſtra, nō aliarū ſcientiarum ancilla? Quando hoc fieri cœptum eſt, ut fundus & caput exiſteret quæ antea aliis ſerviebat? Vt eius verba audio, videtur haud dudum hoc eveniſſe,

ex-

exiſtimare. At quis neſcit, ab omni ævo tam apud Græcos omnium diſciplinarum ac doctrinarum inventores & auctores, quam apud Romanos, ſemper fuiſſe homines qui unicam hanc litteraturam excolerent, omnibus aliis ſcientiis inſuper habitis? Innumeri tales è Græcia poſſunt nominari, ut Dionyſii, Ariſtophanes, Ariſtarchi, Didymi, Eratoſthenes, Apollonii, Herodiani, aliique: è Latio Orbilii, Verrii, & omnes quos libello qui legitur complexus eſt Suetonius. Litteratores *vocabantur Romæ, & inde* litteratura *eorum profeſſio, quam &* humanitatis, & humaniorum *etiam* litterarum *appellatione donarunt Latini. Et de iſtis certe ſolis qui hoc unum publice mercede profitebantur dici poteſt, caput & fundum hanc artem habuiſſe, non de aliis qui animi tantum gratia hoc ſtudii genere delectati ſunt. Niſi quis velit, Cæſarem, quia de analogia libros ſcripſit, qui ad litteraturam pertinent,* litteratorem *etiam fuiſſe, quod nominis eis tantum*

da-

datum eſt qui grammaticam in ſcholis publicis ſtipendio docebant. Multo minus igitur in Salmaſium cadit quam in Advocatum iſte fundus, & iſtud caput litteraturæ, non iam aliis ſcientiis ſervientis, & latius evagantis ſi meminerit quid olim Sedani egerit. Hoc tamen ferri poſſe ait, quod fundus & caput in nonnullis exiſtit, quando titulis ſuis contenta, inter proprios fines laſcivit. Sed ſi quãdo in ſciẽtias ipſas auſa perrũpere, *ſic enim Latine loquuitur*, earumq; nomẽ fronti ſuæ adſcribere, extra oleas divagata, pro ſcientiarum definitionibus, ex earũ principiis, ſcitis, obſervationibus inſtructis, res ſuas nobis, quamquam bellas, quanquam ingenioſas, & in alio foro pretioſas, obtrudit, tunc vetus illud, Πολυμαθημοσύνης κενώτερον οὐδὲν, è tripode ipſo editum confitemur. *Neſcio unde iſtum tripodem nobis invexerit, non certe Delphicum. Sed non obſcurum eſt, quo iſta tendam, & in quem arcum dirigat. Salmaſius paulo ante in lu-*

cem

tem ediderat libros de Vſuris, & Modo uſurarum, itemque Diatribam de mutuo, ſub nomine Alexii à Maſſalia. Aegre, ut videtur, tulit Advocatus, eũ quem pro grammatico tantum haberet, auſum eſſe iſtos limites egredi, & ea tractare quæ ipſius captum & profeſſionem ſuperarent. Hinc illæ igitur lacrimæ, & querelæ. Sed noſſe debuit eruditiſſimus Advocatus, & Salmaſii quondam, ſi non vana fides, amiciſſimus, etiam Iuri aliquã operam olim dediſſe Salmaſium. Quin & ipſe novit Salmaſius, Advocatum, qui nunc ita audit, non ſemper fuiſſe Iuriſperitum. Cum catalyſim prioris artis fecit, omiſſo quod agebat, repente non à toga ad pallium tranſiit, ſed togæ genus mutavit, & pro ſcholaſtica forenſem induit. Salmaſius neutram unquam geſtavit, quamvis per triennium Heidelbergæ, ſub doctore celeberrimo Dionyſio Gothofredo, aſſiduam Iuri navaret operã cũ a patre deſtinaretur loci ſui ſucceſſor in ſummo Burgundionum Senatu. Quid votis patris obſtiterit, nos

ſci-

ſtimus, nec illi ignorant, quibus notus Salmaſius. Sic fata volvunt vices, nec de rhetoribus conſules ſæpe tantum faciũt, ſed etiã de ludimagiſtris cauſarũ patronos. Cæterũ quo iure aut qua poteſtate Advocatus interdicere poſtulat Salmaſio, ne quid cõmentetur aut ſcribat quod aliterius ſcientiæ præter grãmaticam nomen titulumque præferat? Nũquid in antiqua Aegypto vivimus, ubi unicã tantum artẽ licuit exercere, ubi medicina in partes diviſa ne totum quidẽ corpus ſibi vindicabat, ſed erant quibus oculorum ſola cura crederetur? Si ab inſcitia Salmaſii obſtaculum hoc illi ponit tãgendi tractandiq; quod neſcit, bonum factum fateor, & laudo cenſorem. Sed cum dicat, res bellas & ingenioſas atque etiam pretioſas ſi in in alio foro venditarentur, à Salmaſio obtrudi, nonne ipſe ludibrium nobis debet? Si bellæ & ingenioſæ ſunt, etiam veras eſſe oportet. Nihil enim pro bello aut ingenioſo habendum reor in litteris, & ſcientiis, quod non ſit verum. Quod verum non eſt, ne quidem

dem bellum aut ingenioſum mihi eſſe videtur. Si porro ut bellæ ſunt res quas Salmaſius propoſuit, ita etiã veras eas videri oportet, ex ſcientiarum quoque principiis, ſcitis, & obſervationibus petitas illas cēſeri neceſſe eſt. Pro definitionibus ſcientiarum res illas bellas ab eo obtruſas ait Advocatus. An male Mutuum definivit Salmaſius? An Vſurarũ definitio ab eo allata, non recta eſt? Qui tam multa alia in ſcriptis Salmaſii ſuæ cenſuræ ſubiecit , cur non ante alia definitiones eas notavit ? Cur totum illud Salmaſii dogma de mutuo quod hactenus omnes fere doctores Iuris pæne ad inſaniam redegit, non refutare aggreſſus eſt? Ridiculum & illud Advocati, in alio foro pretioſas. *An pretium nullis rebus poni debet niſi quæ in foro Pariſienſi vænales proponuntur? Emptorēne provocare nihil poteſt niſi ab advocatis Pariſienſibus venditetur? Pretioſa ergo eſſent quæ Salmaſius de Vſuris ac de Mutuo commentatus eſt, ſi advocatus aliquis Pari-*

ſien-

ſienſis, vel cauſidicus etiam fortaſſean quicunque ea ſcriptis mandaſſet. Quia à Salmaſio veniunt, qui non eſt doctor Iuris, neque profeſſor, neque advocatus, in nullo honore ac pretio ſunt habenda. An eſt minus peccatũ, ſi advocatus ad litteraturam convolet, quam ſi litterator ea quæ pertinent ad iuridicam ſcientiam audeat attingere? Nihil magis ſe odiſſe in litteris profitetur hac ipſa Epiſtola Advocatus, quam pravam earum & ineptam cum aliis artibus & ſcientiis mixturam. Quid oderit aut amet, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ, ſed quod pravam & ineptam appellat mixturam litterarũ cũ ſcientiis aut artibus, quis non pravo, & inepto iudicio ita eum cenſere exiſtimet? Cur ipſe igitur eas miſcet, atque in vitium incidit quod aliis vitandum proponit, & ſibi inviſum eſſe iactat? Quis aut quid illũ cogit ſectari quod averſatur, & ambire quod odio proſequitur? Tollit plane proverbium vetus Græcorũ, Σκύθης τὸν ὄνον. Scythæ libẽter veſcebãtur aſinina, nõ itẽ Græ-

ci. Cum aliquando Scytha & Græcus una iter facerent, inciderunt in cadaver aſini in via iacentis. Tum cœpit Scytha longe fugere, & nauſeam ſimulare ad conſpectum animalis, cuius carnem Scythis nimis eſſe appetibilem Græci obiectabant. Cum paulo ulterius eſſent progreſſi, finxit Scytha aliquid ſe inter vias perdidiſſe repetẽdũ & comite relicto, retro iter relegit, & ad aſinum ſuum redit, cui perna amputata, ut ſibi lautiſſimũ inde epulũ in hoſpitio pararet, alio perrexit itinere, ut Græcum ſuum comitem falleret, qui certe multum riſiſſet de mira Scythæ diſſimulatione, & ὀνοφαγίᾳ. Idem de noſtro Advocato poteſt uſurpari. Mixturam odit litteraturæ & aliarum ſcientiarum, ſequitur tamen & affectat quod odit. Simulatio ergo iſta, non verum odium. Non tamen indiſtincte & generaliter eum cinnum improbat litterarum & ſcientiarum. Nam ſi quando res ipſa id flagitat, ut ſi alterutrum eorum abſit, deſit aliquid perfectæ eorum explicationi, tum

eam

eam mixturam admittit: ut factum ſuum excuſet, quoniam ſine illa affectatione id ab ipſo actum ſit, cum ea nimirum tractaret, quibus ex hiſtoricorum & aliorum cuiuſlibet generis ſcriptorum monumentis lucem mutuari neceſſe quandoque fuerit. Nonne etiam Salmaſius quod fecit ſimiliter poteſt defendere? Cum ab amico Theologo quid de uſuraria re ſentiret rogatus, ſententiã ſuper eo ſuam vellet exponere an id commode potuit præſtare niſi adſcita quoq; & adſuta Iuris ſcientia? Sic in quæſtionem de mutuo incidit, non enim uſuræ ſine mutuo incedunt, cum ex eo procedant. Sine affectatione itaque, & κακοζηλία, æque id à ſe factum poteſt adfirmare, quod Iuris ſcientiam miſcuerit cũ litteratura, quã Advocatus qui litteraturã miſcuit cum Iuris ſcientia. Nam ſi Iuriſconſultos non adhibuiſſet in illis tractatibus elucubrandis Salmaſius, nõ fuiſſent ſatis explicata aut certo ſatis definita, quæ de uſuris ac fœnore tunc commentatus eſt. Ita in eodem crimine ſibi

 facile

facile ignoſcit Advocatus, veniam non dare ſacilis alii qui non magis deliquerit. Sua quoque ita commendat, ut non ſolum bella & κομψὰ videri poſtulet, ſed etiam utilia, & ὧν δεῖ τῇ πόλει. Nec ſane invidemus quod ita bene de ſuis ſcriptis ſentiat, dũ ne tantopere aliorũ fœtus deprimat. An negabit, utilẽ eſſe vitæ de Vſuris tractatum? Ita quidẽ, inquiet, ſi ab alio exierit. Si Salmaſius vero aliquis aut ſimilis Salmaſio id opus produxerit, bellũ tantũ erit, & ingenioſum. Quid mutui quæſtio? an non neceſſaria, ut ſciatur utrũ ſit alienatio an non ſit? Immo bella tantum, & κομψὴ, quoniam Salmaſius eam tractavit. Da eam iuriſconſulto vel advocato diſcutiendam, nihil erit utilius. Sic grandis & inexpiabilis facinoris rea peragitur ab Advocato litteratura quæ ſcientias ipſas audet invadere ac perrumpere, limites ſuos ſupergreſſa. Cur hoc crimen intentat immerenti & innocenti Grammaticæ, cuius cauſa penes ipſum reſidet Grammaticum? Non Grammatica ipſa extra

tra oleas divagatur, ſed qui alteram cum Grammatica ſcientiam ſibi adoptat, non contentus illa naturali filiola. Si præter Gallicam linguam quæ mihi naturalis eſt ac vernacula, luberet etiam addiſcere Belgicam, nõ Gallica mea dialectus ſeſe extenderet ad Belgicam, & limites ſuos tranſiliret, atq; in huius fines irrũperet, ſed ego ipſe hoc crimen, ſi crimen eſſet, committerẽ. Qui plures ſimiliter linguas callere geſtit, nec intra unius fines ſe continet, non propterea hoc ei vitio verti debet, nec vanitatis inſimulari quod πολυγλωττίαν *hanc adfectet. An aliquid ſecus de ſcientiis? Si in litteratura verſatus, velim etiam ſcire quid doceat philoſophia, an prohibendus ero? Si etiam ſtudeam penetrare adyta iuriſprudentiæ, quis me tanquam profanum arcebit? An advocati Pariſienſes? Si contigerit me minus eſſe Iuriſconſultum quam Grammaticum, quia operam in Iuris ſtudio minorem poſuerim, & lubeat mihi tamen aliquid in Iure tentare,*

quod opes mutuari debeat ex litteratura, quis dixerit, Grammaticam meam terminos ſuos excedere, & non potius me qui ſim Grãmaticus ſimul & Iuriſcõſultus, utramq; iungere ubi mutuas operas invicẽ altera ab altera ſibi conferri deſiderant? Sed hanc mixturã non probare ſe dicit Advocatus, pravam ineptamq; iudicat, pravus ipſe & ineptus huius rei æſtimator. Quis vero nunc poteſt in Iuris ſcientia profectum aliquẽ laudabilẽ facere, niſi qui litteras humaniores ad eam artem adiunxerit? Quid eſſet hodie Iuriſprudentia niſi eam è tenebris ac ſitu ſqualoreque exemiſſent homines litterarum diſciplinis inſtructi? Quod & ipſe fatetur in Epiſtola Advocatus, ut miranda ſit an miſeranda deſultoria eius levitas, modo laudantis, modo vituperantis rem eamdem in tantulo Epiſtolæ ſpatio. Senſit, *inquit*, quibuſdam in Europæ partibus auxilium illud Iuriſprudentia, quam à præſtantiſſimis antiquitatis hominibus excultam, auctam, & propagatam barbaries tanta vi in-

invaſerat, ut nemo Iuriſconſultus haberetur niſi idem barbarus aut certe barbarico cultu inſtructus exiſteret. *Ipſi itaque Iuriſprudentiæ tanti boni, vel Advocato iudice, cauſa fuit litterarum & elegantioris eruditionis inſtauratio. Cur igitur paulo poſt damnat utriuſque mixturam, quæ tantopere profuit Iuris ſciẽtiæ? Mixtura certe illa non poteſt fieri, niſi indiſcretis utriuſq; artis limitibus, ſive litteratura ingrediatur fines Iuriſprudẽtiæ, ſive hæc illius. Vix perfectã porro poſſe dari Iuris cognitionem abſque ope & adiumento litterarum humaniorum, inter omnes ferme convenit. Ipſe vero ita ſtatuo ne in litteratura quidem perfectum quemquam reperiendum eſſe qui Iuris diſciplinam non deguſtarit. Hinc tam multi antiqui Grammatici verborum Iuris ſignificationes explicarunt, quas qui neſciat exponere, pro docto litteratore ſe haberi fruſtra poſtulet. Varro & Verrius huius rei teſtes ſunt locupletiſſimi, apud quos Iuris veteris legum-*

que priſcarum interpretata vocabula plurima licet invenire. Omnia dicerē ſi integra ad nos perveniſſent illorum auctorum opera, ut & aliorum celebrium Grammaticorum qui idē præſtierunt, & penitus interciderũt. Iuris Attici voces unde haurire eſt niſi ex Grammaticis? Si non eſſet Harpocration, quam multa ex his ignorarentur? De Polluce idem dico, & Suida, quos niſi haberemus, fruſtra doctiſſimus Advocatus, nec ſine ſummo labore commentarios ſuos de Iure Attico poſſet abſolvere. Grammatici rhetores non ſunt, rhetorum tamen voces & loquutiones ſui muneris eſſe credunt ut explicent. Inde tot λεξικὰ ῥητορικὰ *ab iiſdem prodierunt, quæ magnam partem nobis invidit injuria temporum, ſolis nunc auctorum qui ea ſcripſere nominibus extantibus. Ne hiſtorici quidem ſunt Grammatici nec poëtæ,* ἱςορικὰ *tamen &* ποιητικὰ λεξικὰ, *multi olim concinnarunt. Nō ſunt Architecti, ſed* ἀρχιτεκτονικῆς *vocabula colligunt, & interpretantur. Fabri*

non ſunt, nec fabrilia tractant, nihiloſecius & τεκτονικὰ conficiunt ὀνομαστικὰ, ut Eratoſthenes. Nec venatores ſunt quamvis omnia quæ ad venandi artem pertinent nomina nota habeant, ut alios doceant. Iam vero quis dixerit, medicum eſſe qui Grammaticus eſt? Quis autem neſcit plures olim Grãmaticos collegiſſe dictiones Hippocrati aliiſq; Aſclepiadis uſurpatas, & expoſuiſſe? Vnus hodie nobis ſupereſt Erotianus ex tã multis qui in hoc curriculo ſudaverant. Etiã ſellulariarum artium τεχνικὰ vocabula noſſe debet Grammaticus, ut notitiam eorum porro aliis tradat. Ita omnes artes & ſcientias pervagatur Grammatica, & penetralia earum introſpicit dum in verbis non hæret ſolis, ſed etiam res ipſas familiares habet quatenus ex verborum explicatione pendet rerum certior cognitio. Præterea adeo inter ſe amice conſpirant artes liberales, atque ita invicem connexæ ſunt, & concatenatæ, ut vix in una perfectè quis eruditus dici queat niſi omnes

 pluſ-

pluſquam delibaverit. Hunc ſcientiarum orbem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν appellant, quarum nullæ ad plenum ſciri poſſunt ac doceri quin à litteratura plurimum mutuentur. Architectum ſuum Vitruvius litteratum eſſe vult, peritum graphidos, eruditum geometria, optices nõ ignarum, inſtructum arithmetica, hiſtorias complures noviſſe, philoſophos diligẽter audiviſſe, muſicam ſcire, medicinæ non eſſe ignarum, reſponſa Iuriſconſultorum tenere, aſtrologiam cœlique rationes cognitas habere. Idẽ de muſico, de pictore, de mathematico, & de aliis omnino artibus quæ liberales vocãtur. Etiam oratorẽ quẽ pro perfecto exhibẽt qui de ea arte ſcripſere Græci Latiniq; illa omnia quæ in architecto requirit Vitruvius ſcire debere, & πολυμαθείαν, quã Advocatus tanquam vanã repudiat, pectus oppletũ habere præcipiunt. Nec poëta poteſt videri in arte ſua excellens qui ea omnia ignoraverit. Nulla eſt artium inter ſe ſordidarum coniunctio aut cognatio. Nam ſutrinam bene poteſt

cal-

callere qui fullonicam non didicerit, & faber eſſe optimus, qui in textrino nunquam ſederit. Sed nec ſellularias inter & liberales ulla eſt, aut exigua admodum affinitas. Sapientem tamen ſuum Stoici non ſolum ἐγκυκλίοις *omnibus ſcientiis inſtructum obtrudebant, ſed etiam ſutorem bonum eſſe, piſtorem & textorem nihilo deteriorem, affirmabant. Qua mente ita ſenſerint, non diſputo, unum tamẽ olim extitiſſe ſophiſtam ſcio Hippian nomine, qui præter artium liberaliũ cognitionẽ quibus egregie imbutus fuit, nullum fere opificium quod manu elaboratur tunc excultum eſt, in quo non excelluerit. Venit aliquando Piſam cum Olympicum certamen ageretur celeberrimo totius Græciæ conventu, non minus, inquit Apuleius, cultu viſendus, quam elaboratu mirandus. Omnia ſecum quæ habebat nihil eorum emerat, ſed ſuis ſibi manibus ipſe confecerat. Et indumẽta quibus indutus, & calceamenta quibus erat inductus, & geſtamina quibus*

bus erat conſpicuus. Annuli etiam, aurei quem læva manu oſtentabat, ſaberrimo ſignaculo, & orbiculum circulaverat, & paleam clauſerat, & gemmã inſculpſerat. Stilo Africani ſcriptoris me hæc dicere, manifeſtum eſt. Nec hæc tantum ipſe ſibi concinnaverat manu ſua, quæ utcumque ab arte laudabiliore poſſunt commendari, ſed etiam ſtrigilem & ampullam olleariam fabricaverat quibus in balneo uteretur. Quid veteres memorias revolvimus & quæ pridem fuere miramur, quæ fortaſſean nec fuere? Habemus in urbe unius diei itinere hinc diſſita virginem nobilem haud minus quãHippian, numeroſa arte multiſciã, immo plane omniſciam, & tanto magis eo nomine mirandã, quod in hunc ſexũ rarius cadit tanta ingenii fœcunditas, tanta artium copia cum omnes calleat, tot virtutũ coniunctio cũ nulla careat. Quæcunq; manu confici & mente concipi poſſunt, tenet una. Sic pingit ut nemo melius. Sculpit, fingit ex ære, ex cera, ex ligno ſimiliter. In phrygionica ar-

arte, & in omnibus quæ muliebrium ſunt curarum & operum, omnes antiquas & hodiernas provocat ac vincit mulieres. Tot vero doctrinarum dotibus inſtructa eſt, ut neſcias in qua magis antiſtet. Tot linguarũ donis ornata eſt, ut non contenta Europæis, in Orientem uſque ſtudio & induſtria pervolarit, cõparatura ibi Hebraicas, & Arabicas, Syriacaſque, quas adiungeret iam quæſitis. Latine ita ſcribit, ut virorum qui tota vita hanc elegantiam affectarunt, nemo politius. Gallicas Epiſtolas tales concinnat, ut vix meliores Balzacius. Cæteris in Europa uſitatis linguis æque bene utitur ac illi quibus ſunt vernaculæ. Cum Iudæis Hebraice, cum Saracenis Arabice, poteſt commercium habere litterarum. Etiam viris arduas & ſpinoſas ſcientias ita tractat, philoſophiã nẽpe ſcholaſticam & Theologiam, ut omnes ſtupeant quia prodigio ſimilis res eſt, nemo æmuletur quia nemo poteſt imitari, nullus etiam invideat quia ſupra inuidiam ipſa eſt. Eam à me hic

no-

nominari modeſtia eius mihi cognita non ſinit, nec etiam opus eſt, cum per ſua ſigna ſatis intelligatur, & agnoſcatur ab omnibus. Hæc cum veriſſima ſint, unus vivit ac viget in foro Pariſienſi Advocatus, qui non poteſt pati in eodem homine litteraturæ & Iuriſprudentiæ mixturam. Capax omnium ſimul quæ ſciri diſcive poſſunt hominis eſſe ingenium, ſi ſibi non deſit, vel ex terræ natura ex qua producti ſumus, & in quam reverſuri, coniicere eſt. Ferro ſæpius proſcindenda eſt ac vertenda, ut unicam illam ſpeciem quã per ſationem acceperit reddat. At quamlibet ſubacta & verſata, & uno ſeminio conſita, vix tamen ab ea poteſt obtineri quin lolium ſimul & avenas aliaſque herbas cum eo ſemine quod ei commiſſum eſt progeneret, quaſi teſtato ſignificans, ſe plurium feracem eſſe quam creditur. Quod & ipſum clarius oſtendit ubi inculta relinquitur, ut circa vias & in agris deſertis, & vacuis. Tot enim plantis ac fruticibus omnigenis ibi ſponte pullulat bonis

ma-

maliſque, ut in pauco tempore tota eius ſuperficies ſenticetis occupetur herbiſque aliis immixtis pluribus. Vt redeamus è diverticulo in viam, non iam hic quæſtio de finibus litteraturæ quam latos olim habuerit, aut habere nunc debeat, cuius univerſam ditionem intra artem Donati concludere ſatagit Advocatus, ſed an cum Salmaſius Diatribam de Mutuo edidit fines Grammaticæ extenderit, & in Iuriſprudentiæ limites eam induxerit, ut perſuadere nobis conatur ſuadæ medulla Advocatus, φῶς νομικῆς, & flos delibatus critices. Profectò ſi ex canonibus tantum Grammaticis eam controverſiam decidere inſtituiſſet Salmaſius, qua probavit, Mutuum nõ eſſe alienationẽ, non iniuria potuiſſet eminentiſſimus Iuriſconſultus queri pomœria Grãmatices ultra quã iuſtum eſt fuiſſe promota, & Iuris attentatos terminos. Sed cum ex regulis ipſius Iuris, ex principiis illius ſcientiæ, ex reſponſis veterum Iuriſconſultorum, eam quæſtionem determinarit,

non

non tanquam Grammaticus id feciſſe ſtatuendus eſt, ſed tanquã etſi non Iuriſconſultus, certe Iuris non imperitus. Duæ quippe regulæ Iuris totum hoc negotium conficere ſunt idoneæ, abſque aliis probationibus aut argumentis. Vna eſt quæ petitur ex leg. CCXIII. *D. de verborum ſignificatione, & refertur ex libro* I. *Vlpiani Regularum, ubi dicitur,* æs alienum eſſe quod nos aliis debemus, æs ſuũ quod alii nobis debent. *Non enim ex neceſſaria conſequentia videri poteſt alienatum quod eſt alienum ei qui accepit, & ſuum illi qui dedit. Altera habetur in leg.* LV. *D. de ſolutionibus, ex eodem Vlpiano, ubi ſcripſit,* nummos non alienari qui ſic dantur ut recipiantur. *Et cum de mutuo datis ibi intelligat, & certum ſit, in mutuo nummos ita dari ut recipiantur, illud etiam pro certiſſimo inde concluditur, Mutuum non eſſe alienationem. Nam ut Varro etiam dixit, magis Grammaticus quam Iuriſconſultus,* ſi datur ut reddatur, mutuum. *Ex vocis*

ipſius

ipſius veriloquio hoc etiam conſtat, vel è Grammaticæ ſcitis ac definitionibus potuiſſe hanc quoq; quæſtionam ſolvi. Nã mutuum fieri interpretantur cum par pari refertur. Ergo quod datur mutuo, vel ad mutuum, in hoc datur, ut mutuum fiat, ac reddatur par pari, non ut alienetur. Sed illæ duæ regulæ ex Iuriſprudentium ſcriptis petitæ adeo rem definiunt ut non opus ſit ad eam decidendam implorare opem Grammaticorum. Et Salmaſius ad eum nodum ſcindendum mutuatus eſt gladium Iuriſconſultorum, non ſtylo grãmaticali eũ diſpunxit. Enimvero ſi dicendum eſt id quod res poſtulat, longe mihi magis Grammatica, vel intra eos fines quos habere debet coercita, iuris Romani recte interpretãdi capax videtur, quã cauſidicina. Hæc quippe ſi dodoloſi ſpes refulſerit nũmi, & merces opima proponatur, ad ius evertendum ſæpius accedere parata eſt quã ad propugnãdũ. Pro iure interdũ ſtat ſi forte caũſa inciderit iure ſubnixa. Sin mala deferatur ad advocatũ, quæ præmio

propoſito omni modo ſit defendenda, nō tantū ius in ea detorquetur atq; enervatur, ſed omnino ſi opus ſit, & liti expediat, ſubvertitur ac ſubruitur. Inde eſt quod vulgari inter Græcos proverbio, & nunc etiā inter nos iactato, dicitur de bono cauſarum patrono, nunquam bonum fieri iudicem. *Ratio eſt, quia ex probatis & ſecundum leges ac iuris rationes ſemper bonus iudex pronuntiat, cum advocati etiam optimi in eo collocent artis ſuæ excellentiam ac fiduciam, ut malam cauſam poſſint adverſum ius ac iuſticiam obtinere. Vnde & vulgo dictitant nullā non eſſe bonā ſi bonum advocatū nacta ſit. Ea eſt cauſidicina, non grāmatica, quæ intra fines ſuos laſcivit, quæ petulanter agit, quæ convitiatur, perſtrepit, obloquitur, & quæ canino ritu lutrat. Qua nihil vanius eſt, niſi pro ſolido accipias pretium quod ex eo quæſtu ad cauſidicos redit, multū in eo diverſos ab antiquis prudentibus Iuris, qui cauſas non perorabant, ſed reſponſa de iure tantum dabant, quæ &*

pro

pro lege obſervabantur. At iſti ubi contra ius in dicendo pro reis ſteterunt pecunia corrupti, mox de iure reſponſitant pretio adducti. Quorum reſponſis ſi hodie ſtaretur, & ſi pro regulis iuris ea tenerentur, nihil foret diſtortius, depravatius & iniquius, & invicem ſibi magis contrarium illo iure quod inde cõponeretur. Præterea cauſis agendis occupati, & reſponſis conſiliiſve de Iure municipali venundandis intenti, non mirum eſt, ſi ad Iuris veteris ac Romani intima penetranda & rimanda otium ſibi non faciant qui tam negotioſam in quæſtuoſis ſtudiis vitam colunt. Si quando vero ad hæc ſacra animum conferre libeat, tum ingenium adferunt nimis profanum & alienum à cognitione horum myſteriorum, dum aliud agunt, & halucinantur. Atq; inde ea peccata cõmittere illos neceſſe eſt qualia ſolent οἱ ἐξορχούμενοι τὰ μυστήρια. *Inde illa Advocati non ferenda in eo qui ſe Iuriſconſultum dicit*, Servum communẽ ſecari in partes, *cum ſectio ſit earum*

tantum rerum quæ partitionem ac diviſionẽ ex ſua natura admittunt. Cum docet eũ qui meretricidat, turpiter facere , non quod det , ſed quod condicat, *cum quæratur eo titulo, an condictio competat dati ob turpem cauſam, ſi uterq;, dans & accipiens, aut alteruter, turpiter fecerit dando. Cum* remittere teſtimonium *exponit pro non dicere*, & renuntiare *ſimpliciter poſitum, pro teſtimonium dicere. Cum* obloquutio innocentiũ *explicatur*, *συνηγορία κατὰ τῶν ἀνευθυνῶν. Cũ deniq; alia plura huius κόμματος in illis libris de auctoritate rerũ iudicatarũ & Obſervationũ paſſim occurrunt, quæ partim hic obſervavimus, partim in aliud tempus reſervavimus. In ipſa Epiſtola liminari ad illuſtrißimum Memmium, in qua decuit quaſi frontiſpicium operis ſplendidum & magnificum conſtitui, ὦ καλὸν θεῖον qualis eſt? Quam ineptus? quã parũ ſibi conſtãs? & quam glorioſus in togata militia Thraſonidas? Primo laudibus in cælum fert qui Iuriſprudentiam illuſtrarunt ope*

pe bonarum litterarum quas cum ſcientia Iuris coniunxere. Mox in eadem pagina eamdem litteraturam latius evagantem, non eſſe pro vanitate ſua tolerandam dicit. In eadem tamen periodo maximam eius vanitatem apparere ait, quæ ſtudiorum caput & fundus in nonnullis exiſtere cœpit. Statim ſubiicit, hoc tamen ferri poſſe quamdiu laſcivit intra proprios fines, ſed ſi extra oleas divagetur, tum demum oſtendi veritatem veteris dicti quaſi ab oraculo pronuntiati, πολυμαθημοσύνης οὐκ εἶναι κενώτερον οὐδέν. *Quaſi auctor illius ſententiæ de illis eam protulerit qui cum Iuriſprudentia litterarum humaniorum eruditionem iunctim excoluerint. Alius dixit vel idem,* πολυμάθειαν νόον οὐ διδάσκειν, variam rerum plurimarum eruditionem bonam mentem non docere. *Quod ſi verum eſt, ut fatemur eſſe, tum etiam fateamur oportet, pro* πολυμαθεστάτῳ *haberi debere hunc Advocatum. Paulo poſt addit idem, nihil ſe magis odiſſe in litteris quam*

pravam earum & ineptam cum aliis artibus ac ſcientiis mixturam. Vult nimirum omnes eſſe aut meros Iuriſconſultos, aut meracos grammaticos ſive litteratores ſine admixtione ullius alterius artis aut doctrinæ. Cur igitur paulo ante tam ſuperciliosè damnavit illos Iuriſconſultos qui litteras non ſolum negligunt, ſed etiam odiſſe incipiunt, veluti inſtrumenta ſtultitæ, quique iam veterem illum & ſqualentem ſcientiarum habitum revocandum exiſtimant? Hos etiam ibidem ſemidoctorũ pragmaticorũ *nomine infamat. Quibus tenebimus vinculis hunc Protea? Ita deinde ſe odiſſe dicit hanc litterarum cum ſcientia Iuris mixturam, ut tamen eas miſcuerit. Sed hoc ſibi condonandum eſſe, quia ſine affectatione id faciat, & nullo vanæ gloriæ ſcilicet aucupio. Sua nõ tantum bella & κομψὰ, ſed utilia & ſolida videri debere. Feramus hæc in illo omnia, & credamus eſſe vera quæ de ſemetipſo prædicat, dũmodo & de aliorum laboribus & curis æquius iudicet,*

ac

ac deinceps ab illorũ reprehenſione tẽperet quos intelligit tam bene ſe vindicare poſſe de homine qui tam crebro ſoleat ceſpitare. Hic vero vos, Viri Ampliſſimi, iudices facere conſtitui uter noſtrum iuſtiora ac veriora protulerit, ille in Salmaſio reprehendendo, an ego in defendendo. Deinde etiam iudicabitis, ubi ad ipſum illum noſtrum reprehenſorem ac cenſorem redarguendũ pro infinitis erroribus quos in illo opere commiſit etiã me accinxi, an id iure fecerim. Qua in cognoſcenda cauſa & iudicio ſuper ea ferẽdo adhibebitis utiq; niſi me cõiectura fallit, quaſi παρέδρυς, *eruditos illos qui veſtras ædes, revera* μυσῶν θύρας, *omnibus doctis patentes, quotidie frequentãt, Rigaltios, Sarravios, Guietos, Valeſios, Menagios, Bullialdos, & alios. Quantum Salmaſiũ ipſi ametis ſcio, quanti æſtimetis, non neſcio. Non tamen pro illo favorem peto, nec, ſi peterem fortaſſe, contra ius & æquum impetrarem, qui veritati plus datis quam amicitiæ. Veniã tantũ poſco quod hanc iuſto longio-*

giorē querelā ad vos detulerim, & veſtras aures nō vaciuas niſi ſeriis ſermonibus, hac importuna mea garrulitate nimis familiariter oneraverim. Nec gravate eam dabitis amico veteri, & tot veſtris obſtricto beneficiis, ut cum eorum ſubit memoria, non alia ratione quæ vobis debeo poſſe me videā expungere, quam fatendo, à me ea diſſolvi non poſſe, & promittendo, quoad vivā gratum & memorem mihi animum eorum futurum. Valete, Viri Illuſtres, ac me amate. Prid. Idus Februarii cIↃ IↃ C XLV.

CAPUT

Caput I.

Quid ſit ἔρανος. Qui amico egeno præſtabatur, Mutui genus fuiſſe, ex eventu, vel donationis. Reddi ſolitum ab eo qui poſſet. Quot ἐράνου genera. Vnum ad convivia ex ſymbolis factitata fuiſſe uſurpatum. Δεῖπνον ἐκ συμβολῆς. Συμποσιάρχης *dictus, qui ei rei præficiebatur, non* ἐρανάρχης. *Alterum genus* ἐράνου *ad amicorum inopiam ſublevandam fuiſſe inſtitutũ. Nullus in eo* πληρωτὴς ἐράνου. *Quid ſit* ἀγερμός. *Quomodo* ἀγύρτης, *&* ἐρανιστὴς *differant. Multa alia de hoc erano.*

PRæcipue hic nobis res erit cum auctore rerum iudicatarum, quibus adiunxit obſervationum & emendationum librum. In quibus libris multas emendationes & obſervationes Salmaſii vir ille doctiſſimus & celeberrimus fori Pariſiẽſis Patronus dedita opera ſibi vellicandas ſumpſit. Nõ enim potuit ferre doctiſſimus diſertiſſimuſq; cauſidicus, alia tractari ab amico ſuo quã philologica, & fabrum ad fabrilia remiſit tractãda. Lubẽter hoc illi condonaſſem, niſi animadvertiſſem, captaſſe ubique oc-

caſionem Salmaſii carpendi, quo iure, quaque iniuria. Quo ſucceſſu id ab illo tentatum ſit, hic lubet demonſtrare. Sed ea tantum ſeligemus, quæ ad ius ſpectant Atticum & Romanum. Quoniam enim ſemel inſtituimus Salmaſium defendere adverſus obtrectationes aliquot Doctorũ & Profeſſorum Iuris, calamo currente, & adhuc fervente, placuit una eademque opera & adverſus Patroni cauſarũ abſurdas & malignas reprehenſiones eum tueri. Ab ἐράνῳ incipiemus. Nam genus illud collationis apud Græcos affine mutui, plane mutuum evadit ex eventu, cum etiã, ſi uſus veniat, alienatio plerumque exiſtat, ſi contingat, eũ, cuius in gratiam collectus fuit ἔρανος, non poſſe ex inopia emergere. Si enim, ut lapſus erat facultatibus, cuius rei cauſa amici contuliſſent, iterum ad eas divitias rediret, ut ſolvendo eſſe poſſet, tenebatur illud quod ab amicis acceperat levandæ ſuæ miſeriæ, unicuique eorum reddere. Idque plane & clare teſtatur Theophraſtus in charactere μεμψιμοιρίας, his verbis: καὶ ἐράνου εἰσενεχθέντος παρὰ τῶν φίλων, καὶ φήσαντός τινος, Ἱλαρὸς ἔστι, καὶ, πῶς, εἶπεν, ὅτε δεῖ τὸ ἀργύριον ἀποδοῦναι ἑκάστῳ, καὶ χωρὶς τούτων χάριν ὀφείλειν ὡς εὐηργετημένον;

νον; Iam ſi amici conlata ſtipe eius miſeriam ſublevarunt, dicente aliquo, Hilaris eſt: Quomodo, inquit, cum & unicuique pecunia ſua reddenda ſit, & præterea etiam gratia habenda pro beneficio accepto? Salmaſium, qui ita interpretatus eſt, etiam hoc nomine inſtitit reprehendere facundiſſimus cauſidicus, negatque, *inde effici, pecuniam ab amicis collatam neceſſario iure iis fuiſſe reddendam, ſed eo tantum caſu, quo in eam fortunam inciderent quæ eadem ope egeret.* Quod eſt ineptiſſimum, cum dicat diſerte Theophraſtus, unicuique eſſe reddendum eorum qui contuliſſent ſtipem in amici caſum. At quando erat futurum, ut omnibus redderet, ſi expectaretur ſimilis caſus & fortuna amicorum, quæ tali auxilio & ope indigeret? Ecce centeni amici corrogarunt pecuniam ad unius amici inopiam ſuſtentandam. Oportet igitur, ut iſti centeni in eamdem calamitatem incidant, ut ſingulis rependere vicē poſſit hic amicus qui opibus eorū adiutus eſt. Nam certe ſi unus aut alter ex eo numero, pone etiam viginti, aut triginta, in eam cauſam reciderint qua iuvari pariter debeant, non verum fuerit quod ibi dicit Theophraſtus, eum qui ἔρανον accepit teneri unicuique poſtea tantumdem red-

 dere.

dere. Præterea iniquum eſt, eum, qui pecunias à pluribus amicis gratuitas acceperit, quibus ex duro caſu poſſet emergere, ſi poſtea in re lauta eſſe cœperit, non reddere ſingulis amicorum qui ſubveniſſent eius egeſtati. Immo ius erat eos cogi, ſi ſponte ſua quod honeſtas requirebat nollent facere. Hinc ἐρανικαὶ δίκαι inſtitutæ. Quas in republica ſua non admiſit Plato, lib. 11. de legibus: ἐράνων δὲ πέρι, τὸν βουλόμενον ἐρανίζειν φίλον παρὰ φίλοις. ἐὰν δὲ διαφορὰ γίγνηται περὶ τῆς ἐρανίσεως, οὕτω πράττειν ὡς δικῶν μηδενὶ περὶ τούτων μηδαμῶς ἐσομένων. Quibus verbis haud multum refert, utrum ἐρανίζειν accipiatur de pecunia conferenda, an exigenda, quamvis hoc magis probem. Non item illud quod vult fori patronus, δίκας illas ἐρανικὰς Athenis vulgo exerceri ſolitas, non ut is qui amicorum collationibus adiutus fuerat in re miſera ea quæ acceperat redderet, facultatibus reparatis, ſed ut eos à quibus beneficium illud acceperat, eodē beneficio proſequeretur ſi quādo res flagitaret. Quod eſt falſiſſimum. Nā ex omnibus auctorum locis qui ἐράνου huiuſmodi meminerunt, conſtat, liberum unicuique fuiſſe, miſeris & afflictis amici rebus ſuccurrere, nec ulla actione quemquam

cogi

eogi ſolitum ad conferendum. Multi ſubterfugiebant ac ſubducebant ſe ad occurſum & conſpectum eorum quos ſciebant ἔρανον colligere. Et ex multis locis conſtat Theophraſti, & aliorum auctorum, inter vias, & in publico, ab occurrentibus amicis pro amico ſtipem illam flagitaſſe, aut ſæpe adiiſſe celebres conventus in quibus ſollemne convivium aliquod agitabatur, ut à ſingulis convivis exigerent. Et recte Caſaubonus vir ſuæ ætatis maximus in notis ad Theophraſti characteres obſervavit, hoc genus ἐράνου veluti medium quoddam extitiſſe, inter id quod δάνειον creditumque proprie dicitur, & ſtipem illam quotidianam quæ mendicis hominibus & æruſcatoribus ſine ulla recuperandi ſpe erogabatur, quam Græci ἐλεημοσύνην vocant. In mutuo omnino reddenda fuit pecunia credita. Atque ut reddi poſſet, cavebat ſibi creditor pignoribus, & fiduciis. In illa ſtipe quæ mendicis datur, & ἐλεημοσύνη vocatur, nullo caſu pecunia ſic erogata repetitur nec recuperatur. Nomine ἐράνου collata repetebatur, ſi amicus qui eo beneficio uſus erat, lapſas opes reparaſſet. Non repeti ab eo ſolebat, ſi iniquior ſors ſemper premeret,

fortunaque improſpera tenorem ſuum ſervaret. Quidquid contra hæc dicat facundus advocatus, cauſa certe cadet, vel unico Theophraſti loco, quem ſupra adduximus confutatus , & convictus, ex quo liquet,ſingulis reddi ius fuiſſe, quod contuliſſent, ſi ſolvendo eſſe poſſet aliquando is qui acceperat. Hoc unum præcipue fuit quod in tractatu Salmaſii de ἐράνῳ putavit culpandum , ubi πληρωτὴν ἐράνου interpretatus eſt unumquemque qui ſtipem conferret. Non placuit hæc expoſitio doctiſſimo patrono, ſed aliam commentus eſt, non alio ſtudio ac mente,quam promendæ alicuius novitatis, quæ Salmaſii opinionem refutaret. Ipſe ergo ita interpretatur. *Calamitoſi,* inquit, *eranos quandoque ipſi illos colligebant. Sæpius tamen amicus aliquis, qui rem in ſe ſuſcipiebat. Ab aliis calamitoſi amicis corrogabat quod poterat, & ſi quid deerat ad ſupplendam ſummam qua opus erat ad ſublevandam amici calamitatem, id de ſuo ſupplebat, qui ideo dicebatur* ἔρανον πληρῶσαι & ἐράνου πληρωτής. Satis multa verba funditavit, ſi ſcopum attingerent, & ad rem pertinerent. Sed nec ratione nec auctoritate nititur, quod dixit, nec ulla veri ſimilitudine. Quis enim illum docuit, amicum ex plu-

ribus

ribus miſeri amicis unum ita collectam hanc in ſe ſuſcepiſſe, ut quod ex turba benevolorum corradere non poſſet, ipſe de ſuo ſuppleret? An ab aliquo auctore id hauſit antiquo, & Attico? Nominet ipſum, & verba eius adducat quibus credamus. Niſi teſtem videamus idoneum, non eſt veriſimile, cuiquam oneris id fuiſſe impoſitum, ut ad laborem & operam quærendæ ſtipis, & amicos ea gratia oſtiatim vel vicatim circumeundi, damnum etiam rei ſuæ familiaris adderet, & ſupplere cogeretur ſummam, quæ amico, cui id parabatur, ſublevando videretur neceſſaria. Quid ſi nihil omnino à cæteris amicis corrogare potuiſſet? An ipſe totam ſummam ſufficere cogebatur ac ſuppeditare? Sortitone eligebatur ex amicorum grege unus qui id negotium ſuſciperet, an volenti id iniungebatur curæ ac muneris? Quis vero ſponte ſua tam oneroſam damnoſamque provinciam capeſſere ſuſtinuiſſet, ut præter cæteros amicos id ſolus in ſe reciperet quod omnibus ex æquo debuit irrogari? Si ſorte ductus huic muneri præficiebatur, oſtendat iuriſperitus aliquem auctorem qui id ſcripſerit. Si ſola notione verbi πληρῶσαι, & πληρωτὴς ἐράνου, ita

ſenſit, nunc videat, quam fruſtra ſenſerit, ubi intelliget, loquutionem iſtam non ſolum locum habuiſſe in illo ἐράνου genere, quod pro amicis ad egeſtatem redactis colligebatur, & exigebatur, ſed etiam in ſodalicio. Aliquoties meminit huius ἐράνου Theophraſtus in characteribus, ſed nuſquam πληρῶσαι ἔρανον dixit, aut πληρωτὴν ἐράνου nominavit. In alio genere hæc πλήρωσις uſurpata eſt. In illo nimirum quo ſocii ἐρανισταὶ pecuniam menſtruam conferre in arcam communem ex lege ſocietatis contractæ tenebantur. Nec πληρωτὴς ἐράνου tantum dicebatur ubi voluntaria fuit collatio, ſed in ea etiam collatione uſurpabatur, ubi ex debito id fiebat, & ex pacto inter ſocios inito. Quod ut melius intelligatur, ſciendum eſt, hanc vocem ἔρανος, ſive hunc pecuniæ viritim conferendę morem, in tribus maxime rebus obtinuiſſe. Duo genera fuere voluntaria, unum ex conventione celebrari conſuetum. Qui convivium ex ſymbolis, ἀπὸ συμβολῶν, inſtruebant, ἐρανίζειν dicebantur, cum plures ad epulas una ſumendas pecuniam pro virili ſua parte conferebant. Tale convivium ἔρανος, vel ἀπὸ συμβολῶν, vel δεῖπνον ἐκ συμβολῆς Heſychio. De quo Caſaubonus in Athe-

næum,

næum, Salmaſius in libro de Vſuris, & alii, plura iam notarunt, non hic repetenda. In hoc erano convivali συμβάλλειν verbum uſitatum erat, unde δεῖπνον ἐκ συμβολῆς vocabatur, vel ἀπὸ συμβολῶν. Nullus hic πληρώσει locus. Nullus etiam πληρωτὴς ἐράνου locum ſibi vindicavit, eo ſenſu quo voluit vir doctus. Vnuſquiſque in re præſenti ſymbolam ſuam conferebat. Nemo erat cui cura incumberet ab omnibus exigendi quod conferret debebat, & ſupplēdi ſi quid ſummæ integræ deeſſet, ſive quid minus à cæteris collegiſſet. Præficiebatur quidem toti negotio aliquis, qui curaret convivium apparandum, qui συμποσίαρχης vocabatur, ut notavit Donatus ad illa Terentii ex Eunucho,

Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piræo
In hunc diem, ut de ſymbolis eſſemus. Chæream ei rei
Præfecimus. dati annuli: locus, tempus conſtitutum eſt.
Præteriit tempus: quo in loco dictum eſt, parati nihil eſt.

Iſte συμποσίαρχης multum diſtabat ab ἐρανάρχῃ. Et ſtulte errant viri doctiſſimi qui eumdem faciunt, ut infra docebimus. Secunda erani ſpecies ea eſt, de qua ſupra

pra diximus, qua amicus facultatibus e-volutus, collata ſtipe adiuvabatur ab o-mnibus qui in amicorum eius numero erant. Quæ collatio omnis voluntaria, & ab ipſo ut plurimum fiebat, cui ſub-veniebatur. Per ſe amicos circuibat, aut potius qui inter vias ſibi occurrerent ro-gabat. Non enim ad eorum domum ventitaſſe arguit Theophraſti locus in charactere Illiberalis: καὶ φίλου ἔρανον συλλέγοντος, προϊδόμενος, ἀποκάμψας ἐκ τῆς ὁδοῦ, οἴκαδε πορευθῆναι. *Amico eranon colligente, hoc proviſo é via deflectere, & domum ſe con-ferre.* Sordidus hic, & illiberalis homo, videns veniente à longe amicũ qui ἔρανον colligebat, ne illi occurrat, de via de-clinat, & domum ſuam redit. Ita ſe li-berat à collatione facienda in amicum. Ex quibus verbis duo ſunt quæ docemur, ad eorum domos non ventitaſſe huiuſ-modi collectores, à quibus pecuniam corrogabant, deinde ipſos colligendi munus obiiſſe, non alteri mandaſſe. Quod & ex altero loco eiuſdem Theo-phraſti perſpicue probatur in charactere αὐθάδους, his verbis: καὶ φίλῳ τῷ ἔρανον κελεύσαντι εἰσενεγκεῖν, εἰπεῖν ὅτι οὐκ ἂν δοίη, ὕστερον ἥκειν φέρων, καὶ λέγειν ὅτι ἀπόλλυσι τοῦτο τἀργύριον. Somnium igitur fuiſſe videtur doctiſſi-

doctiſſimi Advocati, qui hariolatus eſt, ſæpius non amicum ipſum qui egebat, ſed aliquem pro ipſo amicorum collegiſſe, quod poterat, ut rem eius ſtabiliret. Nullo auctore id poteſt probare. Longe igitur hinc abeſt ille πληρωτὴς ἐράνου, quem volunt ita dictum, quia de ſuo suppleret quod ab amicis exigere non poſſet. Quod tametſi diceretur de hoc genere ἐράνου, πληρῶσαι ἔρανον, nō eo ſenſu acciperetur quo ſtatuunt, ſed ἔρανον amicus ipſe colligere & συλλέγειν dicebatur: qui vero conferebat, εἰσενεγκεῖν, & πληρῶσαι. Item συμπορίσαι, συμφορῆσαι συμφορήσασθαι, συνερανίσασθαι. Qui colligebat autem, ἀθροῖσαι, συλλέξαι, συλλέξασθαι, ἐκπορίσαι, συστῆσαι, συνάγειν, & ſimilia. Vocabatur etiam συλλογεύς, ut dicit Pollux lib. III. cap. XXVII. ubi omnia verba quorum uſus fuit in hac collecta facienda coacervat, ſed nuſquam inter illa poſuit πληρῶσαι, vel πληρώσασθαι. Certum tamen eſt, uſitatum in hoc genere fuiſſe, ſed alia notione, pro collatione. Nomina etiam alia plurima recenſet ibidem ei rei exprimendæ, quæ communia erant cum ἀγερμῷ, quæ honeſta partim, partim inhoneſta fuit emendicandæ ſtipis ratio, aliquo prætextu, malo bonove, ut χελι-

δονιςῶν, & κορωνιςῶν, & aliorum huiuſmodi ſacrorum mendicabulorum, in quibus etiam numerandi ſunt Galli Matris Deum ſacerdotes. Inde ἀγυρτῶν nomen infame, de æruſcatoribus, & circulatoribus ſtipẽ inhoneſte cogentibus. Pollux in commune tam de eranũ colligentibus quam de eiuſmodi quovis prætextu ſtipem undique cogentibus, & emungentibus: τὸ δὲ ἀγερμὸς, συναγερμὸς, ἄθροισις, συνάθροισις, συναθροισμὸς, πόρος, συλλογὴ, συναγωγὴ, ἐρανισμὸς καὶ σύστασις. Hæc verbalia communia ſunt, tam ἀγερμοῦ quã ἐράνου. Addit, ὄνομα δὲ μόνον ὁ συλλογεύς. Coactor vel collector tam de ἐράνῳ quam de ἀγερμῷ. Mox ſubiungit, ἕτερον γάρ τι ὁ ἐρανιστὴς, καὶ ἀγύρτης. Hic vocat ἐρανιστὴν qui colligit pro ſe ἔρανον. Ἀγύρτης improbus eſt mendicus, & qui mala arte æra corradit, ut præſtigiator, & alii ſimiles. Alia etiam via explorare datur an ille πληρωτὴς ficticius qui abſolvere ſummam & integrare de ſuo cogebatur, adhibitus fuerit ad eranon pro amico colligendum. Aut certa ſumma ſingulis amicorum imperabatur, aut arbitratu ſuo nummos conferebant, quot vellent, ut fit in ſtipe danda mendico. Priore caſu omnes idem præſtabant. Nec ergo πληρωτὴς

τὴς, id eſt, ille qui colligebat, plus tenebatur conferre quam reliqui. Poſteriore caſu ſi ad libitũ quiſq; quod vellet largiebatur, iniquum erat duriore eum eſſe conditione ex amicis qui operam ſuam ad colligendum præſtabat, ut non ſolum plus quam cæteri daret, nec ab eius voluntate id penderet, ut in aliis amicis, ſed etiam id omne quod alii non dediſſent teneretur dependere. Fatetur vir doctus, aliquando ipſos quibus hoc beneficium præſtabatur, per ſe eranon collegiſſe. Cum hoc fiebat, nullus ergo tum erat πληρωτὴς ἐράνου. Quem ſemper videntur adhibere debuiſſe qui collata ſtipe ſuæ miſeriæ ſuccurri poſtulabant. Nam per iſtum πληρωτὴν plus corraſiſſent ab amicis, quam per ſe petendo, cum ceſſantibus aliis amicis, ipſe fungi pro omnibus deberet, & totam ſummam ſubminiſtrare. *Nonne*, inquit doctus Advocatus, qui hanc ipſe ſibi obiectionem facit, *officium illud poterant honeſte recuſare ſi facultates non ſuppetebant? Neque enim ab amico quicquam exigi debet quod eius facultates ferre non poſſint. Sane cauſari poterat aliquis, officium illud ſive munus à ſe iam eſſe ſuſceptum, quare id implendum ſibi eſſe.* Reſpondet ipſe ſibi, & diſſolvit quod obiecit: *Munus illud quan-*

quandoque neceſſarium fuiſſe, nec potuiſſe detrectari. Quod paucis cognitum eſſe videre ait. Certe haud mirum paucis eſſe cognitum quod nuſquam fuit. Quis enim veterum meminit, amico alicui ex pluribus neceſſitatem hanc imponi ſolitam, ut colligeret pro egente eranon, & quod ab aliis eius familiaribus extorquere non poſſet, ipſe præſtaret de ſuo? Dixit, *quandoque neceſſarium fuiſſe hoc munus, nec potuiſſe detrectari.* Ergo aliquando poterat detrectari, nec ſemper neceſſarium fuit. Docere ergo debuit, quando neceſſarium fuerit, & quando non fuerit. Quod ſubiicit de ἐρανικαῖς δίκαις non eo pertinebant, ut aliquis adigeretur ad colligendum pro amico eranon, & dependendum pro cæteris, ſi collecta minus largiter reſpondiſſet. Paulo poſt idem ſubiicit, *ad extraordinariũ illud munus, nẽpe erani pro amico colligendi, neminem invitum potuiſſe compelli, & ab initio fuiſſe voluntatis.* Sic parum ſibi conſtat. Non poterat detrectari, & neceſſarium erat. Mox ait, neminem invitum ad eum potuiſſe compelli, & ab initio fuiſſe voluntatis. Sed explicat ſe, *Niſi ſi quis*, inquit, *ad eiuſmodi officium antea confugiſſet, atque amicorum humanitatem expertus in re eorum anguſta iis reddere detrectaret.*

ſtaret. Hæc nihil ad rem, nec nodum quo ſemetipſum intricavit, ſolvunt: Humanitatem amicorum in re aliquando ſua anguſta expertus, ſi meliore loco eſſe cœpiſſet, cogebatur reddere ſingulis quod ab iis accepiſſet, ut ex Theophraſto liquet. Si amicorum aliquis in ſimile incidiſſet infortuniũ, qui ab illo adiutus aliquando fuiſſet, etiam ſi iam reſtituiſſet quod ab eo acceperat, nihilo ſecius humanitas poſcebat, & mos ἐράνων, ut ei ſubveniret quamvis nihil ei deberet ex priſtino beneficio. Quod ipſum tamen voluntatis fuit, non item illud, ut non redderet quod accepiſſet, ſi facultates eius iam reparatæ id ferre poſſent. At quod quis teneretur colligendi pro amico onus ſubire, & nõ liceret id detrectare, nugæ ſunt nugaciſſimæ. Et nunquam id probabunt ullo veteris auctoris teſtimonio. Quin & ratio ipſa repugnat, præter auctoritatem Theophraſti, ex quo diſcimus, egentes ipſos per ſe collegiſſe pro ſe. Et ſane egeſtuoſus ipſe pro ſe rogans longe magis proficit quam per alium. Habitus miſeri ſupplicis, & vox querula rogantis ſibi ſubveniri magis afficit, quam procuratoris idem pro alio petentis tralaticium officium. Si certa

ſumma opus erat ad funerandam uxorem in egeſtatem redacti, aut ad patrem captivum redimendum, aut ad dotem filiæ dandã, aut ad *æs alienum* diſſolvendũ, non propterea neceſſe fuit amico alicui hanc operam delegare, qui ſolveret ipſe de ſuo, ac ſuppleret ſi quid alii amicorum minus facerent. Plus tantum petendum fuit quàm erat neceſſarium. Si centum aureorum ſumma videbatur neceſſaria ad anguſtias ſuas explicandas, petere debuit ducentos, aut centum quinquaginta. Numerandi etiam amici fuere, & de ſingulis ferenda coniectura certior, qui nam eorum animũ conferendi haberent cum facultatę coniunctum, & qui minus poſſent quam vellent, quiq; nec vellent nec poſſent. Ab his nihil erat exigendum. Ab illis, qui certi erant, poterat cum fiducia ſperari & expectari quod ab his expetitum foret. Sed cum hic ἔρανος quaſi mutui genus ſit, an videtur in eo collatio facta pro voluntate cuiuſque amicorum? Sic autem ad ſtipem mendicantibus datã ea collectio propius acceſſiſſet. An imperabatur ſingulis quod conferrent, & omnibus eadem ſumma, ut in capitationibus? An ipſi inter ſe amici cõgregati hanc quaſi capitationem ſibi impone-

ponebant? Unde apud Theophraſtum in charactere περὶ αὐθαδείας. ἢ φίλῳ δ' ἔρανον κελεύσαντι εἰσενεγκεῖν, εἰπὼν ὅτι οὐκ ἂν δοίη, ὕστερον ἥκειν φέρων. *Amico iubenti eranum conferre*, τὸ ταχθὲν nempe quod amici ſtatuiſſent. Cum viri bene de republica meriti funus collata ſtipe eſſet faciendum, quod non raro Romæ olim ſtante republica factum legimus, ita unicuique ex populo viritim imperabatur, quod pendere deberet. Dionyſius lib. VI. de Agrippa Menenio collata ſtipe funerato, παρήνεσαν δ' τῷ δήμῳ τὴν δαπάνην ἀναδέξαθαι, καὶ συνενεγκεῖν καθ' ὅσον ἂν αὐτοὶ τάξωσιν. *Quantum ipſi conſtituiſſent, tribuni plebis.* Et paulo poſt: καὶ ἑκάστου φέροντος ἑκάστου τὸ ταχθέν. *Et ſingulis conferentibus quod ſtatutum erat.* Eadem omnibus imperata ſumma eſt, non alia atque alia pro modo cuiuſque facultatum. Cum enim exiguum eſſet quod imperabatur, æque tenuioris fortunæ cives id præſtare poterant ac opulentiores. Quadrantes à ſingulis exacti. Vnde & *collatis quadrantibus Agrippam Menenium ſepultum tradunt auctores Romani.* Κατ' ἄνδρα ἐρανισμὸν vocat hanc collationem ſive collectionem. Idem Dionyſius ibidem. Non aliter fuiſſe in Græcorum ἐράνοις valde veriſi-

mile eſt. Sed cum ſingulis certa quaſi penſitatio imponeretur ex conſilio amicorum, liberum tamen fuit ſingulis, eam non præſtare. Sola honeſtatis ratio, & humanitatis, & conſuetudinis, quæ inter amicos tum vigebat id videbatur exigere. Sordium homines notiſſimarum, & deparci, & quibus parva honeſti ac decori cura, officio ſuo deerant. Nullus ergo πληρωτὴς ἐράνου fuit in hoc genere, ea ſignificatione, ut pro amico colligendi munere fungens ſummã, ſi minus integra poſſet ab omnibus corradi, conficeret ipſe de ſuo ſupplendam.

Cap. II.

De tertio genere erani. An ordinarium appellandum. Quis in eo πληρωτὴς *appellatus ſit. A ſingulis collegii eraniſtis* πλήρωσις *ſive penſitatio menſtrua inferebatur.* Κοινὸν τῶν ἐρανιστῶν, *ut* κοινὸν τῶν Λατίνων. *Eraniſtarum ſocietas ſimilis* Συμμορίᾳ, *& eraniſtæ* συμμορίταις. *Quid ſignificat* πληρῶσαι ἔρανον, *implere ſolutionem, & plenam præſtare penſionem. Alius* συλλεκτὴς, *alius* ἐράνου πληρωτής. *Collegia nullam habuere iuriſdictionem. Alia multa.*

Tertium genus ἐράνου fuit quod *ordinarium* vocare placuit eruditiſſimo

mo cauſidico, ut *extraordinarium* quod frequentabatur in amicis pauperibus ſublevandis. Neſció quare, cum huius diſtinctionis nulla extet mentio apud veteres auctores. Aeque autem ordinarium fuit iure & more Attico, amicos ad inopiam delapſos collatione familiarium adiuvari, quam ſocietatem coiri ad ἐράνους conferendos. Quomodo appellabunt prius illud ex tribus genus, quo convivia de ſymbolis collatis fiebant inter plures? Tralaticium quippe etiam erat Græcis, huiuſmodi convivia celebrari, in quæ ſinguli convivæ ſymbolam ſuam conferebant. Utrum ordinario ἐράνῳ id genus accenſebimus, an extraordinario? Sed parum de his laborandum. *In ordinario*, inquit fori patronus, ἐράνῳ, quem nos hic tertium nominamus, poſt duo priora explicata, *neceſſitas penſitationis menſtruæ, &* πληρώσεως, *quam ſecundum cuiuſque ordinem contingebat. inerat.* Si neceſſitas incumbebat ſingulis ἐρανιςῶν pendere quod conſtitutum erat, & conferre in communem arcam ſingulis menſibus, quis locus in ea fuit illi πληρώσει imaginariæ Iuriſconſulti, qua πληρωτὴς ἐράνου debebat ipſe colligere, & corradere ab omnibus id quod tenebantur pendere,

& qui penſionem non ſolviſſent ſibi iniunctam, ipſe πληρωτὴς de ſuo eam exſolvere & ſupplere cogebatur? Subiicit deinde doctiſſimus Iuriſconſultus: *Qui in collegium eraniſtarum recepti erant, collationi menſtruæ deeſſe non poterant, quod qui faciebant dicebantur ἐκλιπεῖν φορὰν, & pœna aliqua erat in eos conſtituta. Certe ad id munus adigi poterant, qua de re dabatur ſingulis menſibus iudicium, in ipſo ſcilicet eraniſtarum collegio, quod ſingulis menſibus coibat.* Cum hæc ita ſe habeant, ubi igitur ille πληρωτὴς qui pro illis ſolvere tenebatur, ſi qui penſitationi menſtruæ non reſpondiſſent? Si enim ſinguli pœna conſtituta adverſus deficientes, quot menſibus penſioni, cui erant obnoxii, ſatisfacere adigebantur, non unus pro aliis hac collatione fungi neceſſe habebat, ſi contingeret aliquem ἐκλιπεῖν φορὰν, & collationi deeſſe. Sed ſi quid extricare poſſum ex tribus capitibus ſatis confuſis quæ huic tractatui de erano dedit, video illum velle in hoc ordinario ἐράνῳ locum non habuiſſe eum ἐράνου πληρωτὴν, verum in altero illo amicorum. Sic enim ſcribit: *Is igitur qui ἔρανον συνέλεγεν, quique erat adeo ἐράνου πληρωτὴς, dicebatur etiam ἐρανίζειν, non conferre amico, ſed aliorum eranos corradere, & quod de-*

deerat ad abſolvendam ſummam, qua opus erat ad rem amici tuendam aut inſtaurãdam, de ſuo ſupplere. Hæc ille initio capitis de erano ſecundi, ubi probare conatur, perperã à Salmaſio acceptũ fuiſſe ἐράνου πληρωτὴν, & in eo exponendo plurimũ à vero aberraſſe. Sed ipſe miſerrime in eo hallucinatus eſt, & dum alterius errorem reprehendere ſatagit, in longe maximo deprehenditur, & duplici vice peccat, dum male carpit quod rectũ eſt, & ipſe cenſor flagro aliorũ ſe præbet obnoxium. Primũ ubicunq; veteres meminerunt illius generis ἐράνου, quo res amicorũ perditæ collata ſtiepe familiarium inſtaurabantur, tametſi apud illos extet mentio ἐράνου πληρώσεως, vel πληρωτοῦ ἐράνου, aliter ea verba accipienda ſunt. Ipſe amicus indigẽs opis amicorũ, eos circumibat, ab his petebat, & colligebat. Vnde & συλλογεὺς dicebatur, & verbum de eo συλλέγειν uſurpabatur. Amici ipſi, qui conferebant, εἰσενεγκεῖν, & συνεισενεγκεῖν, & συμφορῆσαι, vel συμφορήσασθαι, ut Latini *conferre*, & alia de quibus diximus ſupra. Si & πληρῶσαι, vel πληρώσασθαι de eo uſurpetur, idem ſignificat quod εἰσφέρειν, vel εἰσενεγκεῖν. Omnes autem auctorum locos in quibus πληρωτὴς ἐράνου nominatur, de

iſto etiam ἐράνῳ, quem *ordinarium* appellare maluit, intelligendos eſſe conſtat. Nam certe omnes auctores Attici, & antiqui πλήρωσιν ἐράνε, etiam de iſto genere uſurpaſſe leguntur, in quo unuſquiſque menſtruam penſitationem ex lege ſocietatis præſtabat. Qua in penſione ſolvenda nullus omnino locus fuit illi πληρωτῇ, qualem nobis eum Advocatus exponit. Quod & ipſe agnoſcere videtur, dum ἐράνε πληρωτὴν ei ſoli collationi quaſi proprium aſſignat, qua amicorum res lapſæ ab amicis ſuſtentabantur. Quid ſi igitur planum facimus, πληρωτὴν ἐράνε de illa quoque collatione dici quæ ſingulis menſibus fiebat à ſodalibus collegii eraniſtarũ, an hiſcere cõtra habebit quominus turpiſſime hallucinatus ſit, reprehendendo quod recte dictum fuerat? Pollux tribus diverſis locis expoſuit tria illa genera ἐράνων quæ ſupra commemoravimus. Libro VI. cap. I, quod eſt περὶ συμποσίε, meminit illorum ἐρανιςῶν qui de ſymbolis cœnabant, quos & θιασώτας, & εἰλαπιναςὰς, & συσσίτες, & aliis nominibus appellat. Rem ipſam συμπόσιον, σύνοδον, συσσιτίαν, ἢ θίασόν, ἢ εἰλαπίνην, ἢ ἔρανον, ἢ ἑςίασιν, ἢ ἄριςον, ἢ δεῖπνον, ἢ συνδειπνον, ἢ θοίνην. Inde & apud Heſychium:

ἔρανος

ἔρανος ἐκ μερῶν δεῖπνον, εὐωχία, ἢ δεῖπνον ἐκ συμβολῆς exponitur. Idem Pollux lib. III. cap. XXVI. tractat de collatione quam amici plures faciunt ad unius ex amicis facultatibus evoluti caſum ſublevandum, qui & ipſe eius collector exiſtebat. Hanc collectionem ibi appellat συλλογὴν, συναγωγὴν, ἔρανον, καὶ σύςασιν. Nulla nec in hoc nec in illo genere collationis mentio fit apud illum πληρωτοῦ ἐράνου, vel πληρώσεως. In quo tamen genere etiam πληρωτὴς dicebatur qui conferebat ſtipem. At idem lib. VIII. cap. XIII, cui titulus, περὶ ἐράνων καὶ τῶν περὶ αὐτοὺς, non de conviviali erano ibi ſermonem habet, ut perperam interpres vertit in titulo capitis *de conviviis*, nec de amicorum in amicum egentem collatione, ſed de hoc genere tertio collegialium, ut ita dicam, ἐράνων, in quibus explicandis nullam facit mentionem συλλογῆς quæ in erano amicorum proprie obtinuit, nullam συμβολῆς quæ collatio propria fuit conviviorum de ſymbolis inſtruendorum, ſed ἐράνου φορᾶς, ἐράνου καταβολῆς, & πληρώσεως. Locum integrum adſcribam, ut conſtet quam turpiter peccarit vir aliorum caſtigator promptiſſimus: Ἔρανος, ἐρανιςαὶ, κοινὸν ἐρανιςῶν, ἐν

ἐρανικαὶ δίκαι, ἐρανικὸς νόμος, ἐράνου φορὰ, ἐράνου καταβολὴ, κατενεγκεῖν τὸν ἔρανον, πληρώσασθαι τὸν ἔρανον, ἐκλιπεῖν τὴν φοράν. Non obſcurum eſt ex his de quo ἐράνῳ intellexerit. Nam κοινὸν ἐρανιστῶν vocat collegium eraniſtarum. Ita vocem illam κοινὸν accipi notum eſt Græce peritis. Vnde τὸ κοινὸν τῶν Λατίνων apud Dionyſium lib. v. πρὸς τὸ κοινὸν τῶν Λατίνων, ad plebem Latinorum, vel ad rempublicam ſive civitatem Latinorum. Etiam Latini *commune* ita uſurparunt, ut Cicero, & in veteri inſcriptione *cōmune Lyciæ*, τὸ κοινὸν τῆς Λυκίας, vel τῶν Λυκίων. Barbari *communiā* dixerunt. Singula collegia & corpora ſocietatum quaſi parvæ reſpublicæ fuere. Vnde & de his τὸ κοινὸν dictum eſt, id eſt, collegium vel corpus. Sic in antiqua inſcriptione, τὸ κοινὸν τῶν ἀλειφομένων, & τὸ κοινὸν τῶν ἀνδρείων τῶν συγγενῶν. De omnibus collegiis ea vox poteſt uſurpari. Quod ignoravit vir doctiſſimus aliorum reprehenſor catus, ſed incautus. *Ergo*, inquit, ἐρανιστὴς *intelligitur tam activè quam paſſive, qui ſtipem ſuam menſtruam & ἔρανον in arcam* ἐρανιστῶν *communem conferebat, & ideo ſi quando neceſſe erat, eranorum illorum particeps erat. Quo pertinere exiſtimo* τὸ κοινὸν ἐρανιστῶν *apud Pollucem.* Nihil in iſtis vidit bonus

bonus vir, nec illud κοινὸν ἐρανιςῶν apud Pollucē intellexit nec fortaſſe legit. Nam ex lectis illis Pollucis verbis intellexiſſet, πληρῶσαι τ̓ ἔρανον, & κατενεγκεῖν τ̓ ἔρανον, id eſt, perſolvere ſive implere pecuniam menſtruã, & deferre ſive conferre in arcã communem, eamdem rem eſſe. Et cum ipſe agnoſcat πληρωτὴν illum ſuum non habere locum in hac penſitatione menſtrua eraniſtarum collegii, iam fateatur neceſſe eſt, πληρωτὴν ἐράνε non eum eſſe quem putavit, ſed quam Salmaſius explicavit. Si non illi ſatis idoneus auctor Pollux videtur; accedat & Harpocration, ut hoc illi confirmet quod ignorabat. Is πληρωτὰς ἐράνε exponit ex Demoſthene contra Ariſtogitonē τοὺς ἀποδιδόντας τ̓ ἔρανον τοῖς ἤτοι λαχοῦσιν, ἢ ὠνημένοις. εἶεν ἂν οἱ παρ' ἡμῖν ἐρανάρχαι. Eos dici πληρωτὰς affirmat, qui ἔρανον ſolverent illis quos ſortito ad hoc munus ſumebant, vel eligebant, quales fuere quos ſua tempeſtate dictos ſcribit Harpocration ἐρανάρχας. Sed mendum eſt in verbis Harpocrationis à viris doctiſſimis nondum animadverſum. Nam pro ὠνημένοις, ſcribendum eſt, ᾑρημένοις. τοῖς ἤτοι λαχοῦσιν ἢ ᾑρημένοις. *Sorte ductis aut electis*, id eſt, αἱρεθεῖσιν. Sic Pollux lib. VI. cap. I.

de

de huiuſmodi ſympoſiarcha, vel eranarcha, κατὰ κλῆρον ἢ κατὰ δόγμα προαιρεθείς. Hoc autem loco ᾑρημένος, idem valet quod αἱρεθείς, nempe electus. Sic apud Ariſtophanem in ἐκκλησιαζούσαις.

Ἐμὲ γὰρ ἀνάγκη ταῦτα δρᾶν, ᾑρημένην
Ἄρχειν.

Hæc me neceſſe eſt facere, quippe electa ſum
Ad imperandum.

Ex quo etiã videre licet, quãtopere falſus ſit vir eruditiſſimus, qui ἐρανάρχας proprie dictos cũ συμποσιάρχαις confudit. Ἐρανάρχης igitur is fuit in collegio, & cõmuni eraniſtarum, qui præerat corpori, & accipiebat menſtruas cuiuſque ſodalium ex eo corpore penſitationes. Is aut ſorte ductus capiebatur ad hoc munus, aut ei dabatur qui electus ab omnibus fuerat. Communem collegii arcam apud ſe habebat. Ad eius domum afferebant quod conferendum & inferendum arcæ quiſq; habebat menſtruatim. Certũ eſt, nec locũ illum Pollucis, nec iſtum Harpocrationis poſſe accipi de ἐράνῳ inter amicos uſitato, ſed de collegiorũ ἐράνῳ. In quo cum ſatis conſtet, atque id etiam agnoſcat vir doctus, locum non habere poſſe illum πληρωτὴν, ea ſignificatione qua exponendum cenſet, hinc colligi prorſus oportet,

ter, πλήρωσιν ἐράνȣ nō illa notione debere ſumi qua putavit. Pollux συνώνυμα hæc poſuit, τ̄ ἔρανον πληρώσαϑς, & τ̄ ἔρανον καλενεγκεῖν, conferre eranon, & implere. Harpocration quoque ἐράνȣ πληρωτὰς interpretatus eſt de eraniſtis qui pendunt ſingulis menſibus Eranarchæ quod pendere tenentur ex ſocietatis conventione. Nam verbum ἀποδιδόναι etſi proprie ſignificet reddere quod quis acceperit ex mutui cauſa, ſæpe tamen ſumitur de ea datione, vel præſtatione quam quis tenetur quaſi ex debito, quia ex pacto, conferre. Ita & *reddere* apud Latinos, quamvis *ſignificatum habeat retrodandi, recipit tamen & per ſe dandi ſignificationem*, ut dicitur in leg. XCIV. D. de V. S. Vt autem liquidius conſtet de quibus ἐρανιςαῖς Pollux intellexerit, cum de his τ̄ ἔρανον πληρῶσαϑαι dixit, & τ̄ ἔρανον κατενεγκεῖν, ſimiles his eraniſtis eſſe ſcribit τῶν συμμορίταις. Ἐοίκασι δὲ, inquit, τῶν ἐρανιςαῖς οἱ συμμορῖται. Ergo de collegio eraniſtarum intellexit, cum συμμορία corpus ſit certum civium ſive collegium, cuius participes & conſortes dicti συμμορῖται. In aliis civitatibus Græciæ univerſus populus diviſus erat in συμμορίας, ſive corpora ſodalitatum. Athenis ſoli divites, quo fungi mune-

muneribus poſſent, & reipublicæ præſtare intributiones. Harpocration; cujus verba ita diſtinguenda; οὐχ ἅπαν τὸ πλῆθος, ὥσπερ παρ' ἡμῖν, διῄρητο εἰς τὰς συμμορίας Ἀθήνησιν, ἀλλὰ μόνοι οἱ πλούσιοι, καὶ εἰσφέρειν τῇ πόλει δυνάμενοι. Mille ac ducenti tum Athenis cenſebantur ditiſſimi, qui in viginti diſtribuebantur συμμορίας. Sic ſexaginta erant in ſingulis συμμορίαις. Alii, ut Hyperides, quindecim tantum homines in unaquaque συμμορίᾳ ponunt. Vide rationem apud eumdem Harpocrationem. Etiam μέτοικοι Athenis in συμμορίας fuere diſpertiti. Vnde & μετοικικῆς συμμορίας mentio apud Pollucem eodem loco ex Hyperide; ex quo notat etiam Harpocration, ὅτι καὶ οἱ δημοποίητοι ἐνεγράφοντο εἰς τὰς συμμορίας. His ergo συμμορίαις ſive ſodalitatibus ſimiles erant eraniſtæ, quorum collegio qui præerat dicebatur ἐρανάρχης, id eſt, ἐράνου ſive corporis ἐρανιστῶν princeps, ut συμμοριάρχης dicebatur qui unicuiq; συμμορίᾳ præfectus erat, & φυλάρχης, qui tribui. Nõ igitur ἐρανάρχης ad convivia proprie pertinuit, ut credidit vir eruditiſſimus. Ἔρανος autẽ nomine nõ ſolum ipſa collatio appellata eſt, ſed ipsũ collegiũ, cuius primus vel præfectus ἐρανάρχης. Harpocration: Ἐρανιστὴς μέν-

τοι

τοι κυρίως ἐστὶν ὁ τοῦ ἐράνου μετέχων, καὶ τὴν φορὰν τὴν ἑκάστου μηνὸς ἔδει καταβάλλειν εἰσφέρων. Ubi ἐρανιστὴν proprie dici interpretatur qui particeps eſt & conſors ἐράνου, id eſt, collegii eraniſtarum. Eraniſtæ igitur ſodales erani. At vir doctus miſerrime ea verba Harpocrationis exponit, ὁ τοῦ ἐράνου μετέχων. Sic enim ſcribit: *Ἐρανιστὴς proprie dicitur, qui eranum confert, & ex conſequenti, qui eſt erani, id eſt, beneficii τῶν ἐρανιστῶν, particeps.* Immo contra ἐρανιστὴς proprie Harpocrationi exponitur ὁ τοῦ ἐράνου μετέχων, id eſt, particeps & conſors collegii eraniſtarum ſive erani, & qui partem ſibi impoſitam pecuniæ conferebat ſingulis menſibus. Sic ἐράνου μετέχειν dicitur, qui unus eſt erani, & ſodalis eſt ac ſocius eiuſdē collegii, ut συμμορίας μετέχειν, qui pars eſt illius corporis, nempe ὁ συμμορίτης. Idem Harpocration in voce συμμορία. Συμμορίτας δὲ εἶπεν οἱ τῆς αὐτῆς μετέχοντες συμμορίας, ὡς ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ Ὑπερίδης δείκνυσι. Pergit vir doctiſſimus, ſed aliorum cenſor parum idoneus. *Ergo ἐρανιστὴς intelligitur tam active quam paſſive, qui ſtipem ſuam menſtruam, & ἔρανον, in arcam ἐρανιστῶν communem conferebat, & ideo ſi quando neceſſe erat, eranorum illorum particeps erat.* Primum male *ſtipem* vocat men-

menſtruam penſionem quam ſinguli eraniſtę inferebãt. Hoc ſtipis nomẽ in altero genere erani, quo amici in re anguſta poſiti ſuſtinebantur magis uſurpatur. Quod eraniſtæ ex ſodalitio cõmuni arcæ debent, penſionis vel functionis menſtruæ vicẽ obtinebat. Modica æra & exigua, qualia mendicis erogantur, vel amicis ad inopiam redactis, id nomen merentur proprie, non penſio legitima, & ordinaria quæ imperabatur ex lege & conventione ſocietatis ſingulis ſodalibus, quæ quaſi tributum potius erat. Vnde & *καταβολὴ* dicebatur quaſi ſolutio, & præſtatio, ſive functio. Nam *καταβάλλειν* pecuniam, eſt ſolvere, pendere. Harpocration: *ὥσπερ περίοδος ἡ καταβολὴ πυρετοῦ ἐν ταῖς περιοδικαῖς νόσοις λέγεταί τις καταβολὴ, διὰ τὸ ἐν ἀποδεδειγμένῳ περιιέναι χρόνῳ, καθάπερ οἱ ἐρανισταὶ τὰς καταβολὰς ποιοῦνται τῶν χρημάτων.* Sed fallitur. *Καταβολὴ χρημάτων* non dicitur quod ſtato tempore fiat, ut nec *καταβολὴ* acceſſionis febriũ. Conſtituto quidem tempore veniunt iſtiuſmodi acceſſiones in morbis recurrentibus ordine temporum certo, ſed non propterea *καταβολαὶ* appellantur, nec ulla in voce *καταβολὴ* periodicæ reverſionis notio, non magis quam in *ἐπίληψις*, & in *ἐπισημ-*

μα-

μασία. Sed nec *καταβολὴ χρημάτων* ab illis morbis ſtato tempore, & ordine ingruentibus nomen invenit. Simpliciter *τὰ χρήματα καταβάλλειν*, eſt pecunias deponere, dependere, denumerare. Vnde *καταβολὴ* penſio earum ſive præſtatio. At febris acceſſus etiam *καταβολή*, quod cum impetu deſcendat. Optime in Gloſſis, *καταβολή, ἀπόδοσις, ſolutio, penſio.* Et *καταβολεὺς* ſolutor. *Ἀπόδοσιν* & *καταβολὴν* idem eſſe vult. Ita & Harpocratio *ἀποδιδόναι* dixit & *καταβάλλειν* de eraniſtis penſionem menſtruam arcæ erant inferentibus. Optimæ Gloſſæ Latino-Græcæ quæ Philoxeno tribuuntur: *Penſitationem, τὴν καταβολὴν, τὴν εἰσφοράν.* Inde & *καταβολεῖν* apud Iuſtinianum in Novellis Conſt. 1. de Falcidia, de legatis quæ perſolvuntur ab hærede, *καταβαλεῖν τὰ ὁλόκληρα πρεσβεῖα*. Iulianus Anteceſſor vertit, *perſolvere ſolida legata*. At *ſtipem* eædem optimæ Gloſſæ exponunt *ἐλεημοσύνην*, non *εἰσφορὰν*, nec *καταβολήν*. Nec omnis *ἔρανος ſtipis* nomine Latine reddi debet. Multo minus ille qui quaſi ex pacto debet pendi, & perſolvi. Heſychius inter alia *καταβολὴν* interpretatur, *πλῆθος τῶν χρεῶν*, id eſt, ſolutionem debitorum. Sed & inepta eſt doctiſſimi viri obſervatio de

paſſiva & activa ſignificatione vocis ἐρανιςής. Certum quidem eſt, qui onera ſuſtinet ſocietati ſive ſodalitio communia, commoda etiam participare cum reliquis ſodalibus in cōmune, ſed minime eorum verborum ἐράνȣ μετέχων ea eſt, quam ſibi fingit interpretatio. Nec κοίνον τῶν ἐρανιςῶν Polluci ab ea ratione quam commentus eſt, dicitur, cum omne ſodalitium, ἑταιρεία, corpus, collegium, atq; etiam civitas, τὸ κοινὸν appelletur Græcis. Quæ καταβολὴ autem dicitur de penſitatione menſtrua qua fungi debebant eraniſtæ, ea etiam πλήρωσις appellatur, & φορὰ, & εἰσφορὰ, & καταφορὰ quoq;. Verbum πληρȣ̃ν, pro ſatisfacere, & fundere vel præſtare quod quis debet, non ſolum antiquiſſimæ & Atticæ uſurpationis fuit, ſed etiam uſque ad media tempora Helleniſmi permanſit uſitatiſſimum in ea ſignificatione. Hierocles compoſuit de Ridiculis opus quod γελοῖα inſcriptum eſt, ubi omnis conditionis & generis hominum iocularia & ridicula dicta factave ad cuiuſque conditionis genium & characterem exprimendum exhibebat. Extat caput quo Scholaſticorum τὰ γελοῖα repræſentaverat. Plura capita deſcripſit ex antiquo libro

ἀνεκδό-

ἀνεκδότῳ ſacius Voſſius magno parente filius digniſſimus. In iis unum habetur de pigro. Piger igitur ad pigrum venit repeciturus denarium quem ſibi debebat. Dixit piger debitor pigro ſuo creditori, Eia, inquit, hic habes meum marſupium. Ligatū ſolve, & ſume denarium quem tibi debeo. Creditor etiam piger laborē fugitans reſerandi marſupii, maluit remittere debitum, quā ex marſupio id ſumere. Hierocles hæc Græce ita concepit: Ὀκνηρὸς ὀκνηρῷ ὤφειλε δηνάριον. ὁ δέ φησιν, εἰς φασκώλιόν μου δέδεται· λύσον, ἆρον. ὁ δὲ ἀπελθεῖν, φησιν, ἐπληρώθην. *Piger pigro debebat denarium. Dixit hic, In meo marſupio eſt ligatum: reſera, & tolle. Ille vero, Abi, inquit, iā pro ſoluto id habeo quod debes.* Vbi ἐπληρώθην ſignificat ad verbum *ſatisfactus ſum*. Id eſt, mihi ſolutū eſt. Ergo πληρῶσαι eſt ſolvere, ſatisfacere: πληρωθῆναι, ſatisfieri. Iulianus Anteceſſor in Novella prima Iuſtiniani, *implere* Latine id dixit quod Græci πληρῶσαι. Notum eſt autem illis qui verſionem eius Novellarū Iuſtiniani legerunt, multa in iis occurrere quæ Græciſmū ſapiunt. Sic igitur ille in eadē Cōſtitutione. π. 111. *Vel enim cognoſcens ab initio modū ſubſtantiæ dominium non debet, vel ſi quibuſdam ſolida legata perſolverit, omnibus implere debebit.* Id

 eſt,

eſt, ſolida & integra præſtare. Nam πληρῶσαι ſignificat ita ſolutionem facere eius quod debetur, ut ſolidum præſtetur, nulla facta reliquatione. Quod Demoſthenes dixit πλήρη φορὰν φέρειν, id eſt, *plenam penſitationem præſtare.* Τὸν μὲν πειθόμενον τούτοις ὡς φέροντα τὴν τῆς σωτηρίας φορὰν πλήρη τῇ πατρίδι. Et hac comparatione hic uſus eſt ab erani ſodalibus, qui præſtare ſolidam penſitationẽ debebant eius quod ſingulis menſibus inferre tenebantur. Inde verbum πληροφορεῖν fecerunt Græci poſteriores, de his qui plene ſatisfaciunt. Quod etiam tranſlatum eſt ad probationem plenam, cum aliquis de eo quod ignorabat plene inſtruitur. Id Latini etiam *implere* dixerunt. Vt in leg. 1. Cod. de probationibus: *Vt creditor qui pecuniam petit, numeratam implere cogitur*, id eſt, numeratam plene probare. Sic *implere intentionem* in iure eſt, probare quod intendas. *Implere petitionem, exceptionem.* Sic ergo & *implere*, vel πληρῶσαι, plene eſt ſolvere, & ſolidam præſtare penſionem. Nunc videamus auctorum locos in quibus ita ſumitur hoc verbum, eoſque ipſos, quos vir doctiſſimus attulit, ut commentum ſuum nobis adprobaret de illo collectore pro amico collectam fa-

faciente, cui neceſſitas incumbebat de ſuo ſupplere, quod minus corraſiſſet. Iam illud demonſtravimus, hoc verbum πληρῶσαι in illa penſitatione & collatione frequentatum fuiſſe ubi locum habere non potuit illa ſuppletio ſummæ quæ pro amico colligebatur. Nempe in penſitatione menſtrua ab ſingulis ſodalibus corporis eraniſtarum inferri ſolita. Nec ergo & in illa συλλογῇ, quę pro amicis pauperatis fiebat, alia ſignificatione poteſt ſumi illa πλήρωσις, quam quomodo à ſingulis ſumitur in penſitatione eraniſtarum collegii. Etſi enim liberum fuit amicis collationem illam refugere, vix tamen honeſte potuit declinari ab illis quibus aliquis reſpectus æqui & honeſtis erat, cum mos ita poſtularet Græcorum, & id maxime requireret humanitas. Ideo quaſi ex neceſſitate hæc collatio unicuique amicorum incumbebat in amicum facienda, qui vitio non ſuo decoxiſſet, ſed fortunæ iniquitate. Quod autē pertinaciter viri doctiſſiſimi, in hac collectione pro amicis ſuſtinenda eumdem fuiſſe collectorem & πληρωτὴν ἐράνου, ex locis quibus ipſis id probare voluerunt, planum iis faciendum quantopere falſi ſint. Ex Demoſthene

in Midiana citant hæc verba: Ἐγὼ νομίζω, πάντας ἀνθρώπους ἐράνους φέρειν παρὰ τὸν βίον αὑτοῖς· οὐχὶ τούτους δὲ μόνους οὓς συλλέγουσί τινες, καὶ ὧν πληρωταὶ γίγνονται, ἀλλὰ καὶ ἄλλους. Οἷον. Ἔστι τις μέτριος, καὶ φιλάνθρωπος ἡμῶν, καὶ ἐλεῶν πολλούς, Τούτῳ ταὐτὸ δίκαιον ὑπάρχειν, ἄν ποτ' εἰς χρείαν καὶ ἀγῶνα ἀφίκηται. Ἄλλος οὑτοσί τις ἀναιδής, καὶ πολλοὺς ὑβρίζων, καὶ τοὺς μὲν καθάρματα, τοὺς δὲ πτωχούς, τοὺς δ' οὐδὲν ὑπολαμβάνων εἶναι. τούτῳ τὰς αὐτὰς δίκαιον ὑπάρχειν φοράς, ὥσπερ αὐτὸς εἰσενήνοχε τοῖς ἄλλοις. Talionem & retributionem in omnibus quæ bene aut male agimus eſſe debere, orator Atticus hic cenſet. Miſericordes & beneficos in alios parem ab aliis miſericordiam & humanitatem iuſtum eſſe conſequi. Contra, quos miſeret neminis, quique omnes præ ſe contemnunt, & iniuria afficiunt, remunerari paribus oportere. Ita omnes vitæ humanæ actiones ad inſtar erani inſtituendas eſſe. In omnibus enim actibus locum habere hanc ἐράνων mutuitationem ac viciſſitudinem. Ut enim in erano colligendo alii ſunt qui ab amicis eum colligunt, alii qui collationem in amicum implent indigentem, qui poſtea viciſſim, ſi uſus evenerit aut neceſſitas inciderit, pari ab amicis munificentia excipientur.

Duo

Duo igitur illa ſunt diverſa in eranis, per quos amici inter ſe mutuis officiis ac beneficiis certant. Alii ſunt qui συλλέγουσιν ἐράνους, nempe amici ad egeſtatis metas detruſi, alii qui collationem implent, amici nimirum ditiores. Iſti ſunt πληρωταὶ ἐράνου, illi συλλογεῖς. Vno eodemque tempore hæc fiunt, erani collecta, & collatio. Vir autem doctiſſimus qui hæc vult eſſe eadem, & ab uno eodemque præſtari, ut idem nempe ἐράνου πληρωτὴς exiſtat, & συλλέκτης, non vidit mentem illius loci Demoſthenis, nec vim eius nec venerem aſſequutus eſt. Verba illa, in quibus tota ratio differentiæ conſiſtit inter πληρωτὴν ἐράνου, & συλλογέα, peſſime reddidit, ἐγὼ νομίζω πάντας ἀνθρώπους ἐράνους φέρειν παρὰ τὸν βίον αὐτοῖς. οὐχὶ τοὺς δὲ μόνους οὓς συλλέγουσί τινες, καὶ ὧν πληρωταὶ γίγνονται, ἀλλὰ καὶ ἄλλους. Sic enim vertit: *Ego ſic exiſtimo, omnes homines ſua vivendi ratione quaſi collectam ſibi ipſis facere, non eam modo quam aliqui adimplent, ſed & alias.* Primum οὓς συλλέγουσι τινες, καὶ ὧν πληρωταὶ γίγνονται, ita expreſſit, ut ſuppreſſerit alteram partem, οὓς συλλέγουσί τινες. Vt ſcilicet commodius efficeret quod ſentit, πληρωτὰς & συλλέκτας eſſe eoſdem. Deinde φέρειν ἐράνους perperam

Latine tranſtulit, *collectam facere*, cum ſit *conlationem facere*, vel conferre. Vnde φορὰ pro ipſa præſtatione & penſione erani. Sed & apud eundem πλήρη φορὰν φέρειν, plenam præſtare contributionem, in Oratione 1. adverſus Ariſtogitonem. Item ἐκλιπεῖν φορὰν apud Pollucem, de eo qui deeſt collationi, nec eam implet. In hoc ipſo loco Midianæ φοραὶ præſtationes ſunt, ſive penſitationes. Τούτῳ τὰς αὐτὰς δίκαιον ὑπάρχειν φορὰς, ὥσπερ αὐτὸς εἰσενήνοχε τοῖς ἄλλοις. *Huic eaſdem æquum eſt collationes rependi quas ipſe aliis præſtitit.* Ergo φέρειν ἔρανον eſt, collationem ferre, ſtipem conferre, non colligere. Sic igitur Latine reddenda illa verba Demoſthenis fuere, in quibus vertendis celebris Advocatus plane cæcutiit: *Ego vero exiſtimo, omnes homines eranos ſibi ipſis toto vitæ curriculo conferre, non iſtos ſolos quos aliqui colligunt, & quorum collationem implent alii, ſed & alios.* Eamdem ſententiam alio loco in eadem oratione pluribus exequutus eſt, ſed iiſdem fere verbis: Ἐγὼ γὰρ οἶμαι, πάντας ἀνθρώπους φέρειν ἀξιοῦν παρὰ τὸν βίον αὐτοῖς ἔρανον παρὰ πάνθ' ὅσα πράττουσιν, οὐ τοῦτον μόνον ὃν συλλέγουσι, καὶ οὗ πληρωταὶ γίγνονταί τινες. Cur hic vertit cenſor, ἔρανον φέρειν, *certam penſionem & contributionem con-*

conferre, in alio vero loco quem ſupra retulimus, *collectam facere*? An idem *colligere*, & *conferre*? An ἔρανον φέρειν utrumque ſignificat? Hæc inter ſe ita diverſa, ut tamen relata ſint, nec alterum ſine altero intelligatur. Eſt qui colligat ἔρανον? Ergo eſt & qui confert. Si confert aliquis, debet eſſe qui colligat. Qui utrumque eumdem facit, συλλέκτην & πληρωτὴν, mentem Demoſthenis non capit. Vices in omnibus vitæ actionibus rependi debere pro iuſtis aut iniuſtis factis diſputat, idque exemplo ἐράνων, qui in uſu apud omnes erant & more frequenti. Ego, inquit, moderatus ille, & miſericors, & beneficus erga omnes, merito debeo & parem ab omnibus miſericordiam & humanitatem, comitatemque, experiri, ſi quando uſus venerit, ut opus habeam. Alter, ait, hic violentus eſt, inhumanus, qui miſeretur neminis, qui neminem pro homine habet, τούτῳ τὰς αὐτὰς φορὰς παρ' ἑκάστου δίκαιον ὑπάρχειν. *Aequum eſt huic & vices rependi eaſdem à ſingulis*. Quæ φοραὶ ſive collationes ab erano amicorum tralatæ ſunt, in quo amicus qui in amicum munificus aliquando extitit, eamdem poſtea ab amico liberalitatem dignus eſt ſentire, ſi

quando ea opus habuerit. Subiicit ſtatim Demoſthenes, Σὺ δ᾽ πληρωτὴς τοῦ τοιούτου γεγονὼς ἐράνου, σεαυτῷ τοῦτον δίκαιος εἶ συλλέξασθαι. *Tu cū conlator iſtiuſmodi extiteris erani, nunc viciſſim, ut eiuſdem ſis collector æquitatis ratio poſtulat.* Quis non hinc videt alium eſſe πληρωτὴν, alium συλλέκτην? Qui aliquando liberalis in amicum fuit, & largiter in eius neceſſitatem expendit & contulit, alio tempore in ſua neceſſitate ab eodem amico, vel ab aliis collatæ beneficentiæ collector exiſtit. Ad ſimilitudinem huius erani tralaticii & in vita communi uſitati, Midiam, inquit, alterius erani πληρωτὴν fuiſſe cognoſces. Contumelioſus in omnes erat, arrogans, ſuperbus, immiſericors, inhumanus. Hæc ipſius πλήρωσις, hæc præſtatio, hęc in omnes collatio fuit iniuriarum, contumeliarum, & contemptus. Nunc vice verſa humilis exiſtet, ſubmiſſus, pueris in iudicia productis lamētabitur, ingemiſcet, conlacrimabit, verba ſupplicis more funditabit deprecantia, ut miſerationem veſtram eliciat. Sed quo ſe humiliorem faciet, tanto maiore odio eum proſequi debetis, ut duritiem nimirum, & immiſericordiā quam ipſe olim aliis oſtendit, ac præſtitit, nunc à vobis viciſſim colligat,

gat,

gat, & excipiat. Qualis nimirum πληρωτὴς aliquando erga omnes fuit, dignũ & iuſtũ eſt, ut hoc tẽpore talis evadat συλλέκτης, ut nimirũ collectio eius collationi reſpondeat. Α῏ν τοίνυν, inquit, ὑμῖν ὀρθῶς δοκῇ σκοπεῖν, τούτου πληρωτὴν εὑρήσετε Μειδίαν ὄντα τοῦ ἐράνου, οὐκ ἐκείνου. Non fuit πληρωτὴς illius ἐράνου, quem vobis dixi uſitatum eſſe hominibus, ὃν συλλέγουσιν, καὶ οὗ πληρωταὶ γίγνονταί τινες, quem alii colligunt, alii vero conferunt; ſed illius quem dixi homines in omnibus vitæ ſuæ actionibus debere ſibi invicem conferre & mutuitare. Qualis ille? Nempe ut qui benefici, & miſericordes fuere, tales alios experiri debeant. Qui contra, ut ſimiles mores nanciſcantur, viceſq; in omnibus patiantur pro his quæ bene aut male geſſerunt. Οἶδα τοίνυν, ὅτι καὶ παιδία ἔχων ὀδυρεῖται, καὶ πολλοὺς λόγους ταπεινοὺς ἐρεῖ δακρύων, & cætera quæ ſequuntur iam à nobis expoſita ſupra. Niſi συλλέγειν ἔρανον, & πληρωτὴν εἶναι ἐράνου diverſa ſint, non poterit cõſtare ratio Demoſthenicæ illi ratiocinationi, & comparationi. Vno quippe & eodem tempore hæc duo ſimul fieri neceſſe eſt, ut unus nempe colligat, alii πληρωταὶ ſint, id eſt, collatores. Prout quis ſerit, ita me-

metit. Prout quis contulit in erano, ita & colligit. Hæc ſententia eſt Demoſthenis. Ergo alius *συλλέκτης ἐράνου* alius *πληρωτής*. Vulgarem loquutionem & Græcis Latiniſque pariter familiarem, tantum virum non percepiſſe, valde mirandum. *Conditionem implere* dicitur Latine is qui conditioni ſatisfacit. Quod & *πληρῶσαι* Græcis. *Legem implere*, qui legi paret, & ſatisfacit. *Implere mandata*, qui ea exequitur. *Implere voluntatē alicuius*, qui eam perficit. Unde & Iuſtiniano Novella I. *πληροῦν τὴν τοῦ διαθεμένου γνώμην*, *voluntatem teſtatoris implere*. Quod & *πλήρη τὴν γνώμην τοῦ διαθεμένου τηρῆσαι*. Sic ergo, & *πληρῶσαι ἔρανον*, *φορὰν*, *καταβολὴν* dicitur, qui implet præſtationem, collationem, penſitationem, eique plene ſatisfacit. Nam *ἔρανος*, ut Salmaſius docuit, nihil omnino aliud ſignificat, quam *φορὰν*, vel *εἰσφορὰν*, vel *καταβολήν*. Verbum quippe Græcum antiquum *ἐρᾶν* pro *fundere*. Vnde *ἐνερᾶν* *infundere*, *κατερᾶν* *defundere*, *ἐξερᾶν* *effundere*. Sic *fundere* & *refundere pecuniam*, Latini dixere. Et *fuſionem* pro collatione uſurparunt etiam Iuriſconſulti. Vt in leg. XXVII. D. de uſufructu, pro functionibus & collationibus publicis ſumitur, ſicut iam obſervarunt

varunt

varunt viri docti ex optimo Gloſſarum veterum auctore, qui *fuſionem* interpretatur εἰσφορὰν δημοσίων, & σωτέλειαν. *Fuſio* eſt ἔρανος, ἀπὸ τοῦ ἐρᾶν, quod eſt *in terram fundere*, ab antiquo ἔρα, quæ eſt *terra*. Ergo πληροῦν ἔρανον, & φορὰν, vel εἰσφορὰν nihil eſt aliud, quam plenam, & ſolidam illationem, vel collationem præſtare, non deminutam, nec defectam. Hinc πλήρης φορὰ, opponitur τῇ ἐλλιπεῖ apud eumdem Demoſthenem in prima contra Ariſtogitonem, ὡς φέροντα τὰ τῆς σωτηρίας πλήρη φορὰν τῇ πατρίδι. An aliud eſt, πλήρη φορὰν φέρειν, quam πληρῶσαι φορὰν, vel ἔρανον? Contra ἐλλιπὴς φορὰ dicebatur quæ non ſolida præſtabatur, ſed in qua reliquatio fiebat, ac τὸ ἔλλειμμα. Hęc ὑπόλοιπος φορὰ etiam vocatur in Oratione Lyſiæ contra Aeſchinem apud Athenæum lib. XIII. ſub finem. Vnde ἐράνου ἔλλειμμα ἀναπληρῶσαι, Ariſtidi in Platonica prima, qui, quod reliquatus fuerat in erano ſolvendo, ſufficit. Cuius verba attulit diſertiſſimus Advocatus, ut oſtenderet, πληρωτὴν ἐράνου eum eſſe, qui, pro amico ſtipem colligens, ſi ſolidam ſummam non conficeret, de ſuo ſufficere cogebatur. Eũ prorſus ibi ratio fugiſſe videtur. Ille ipſe qui non integrum ſolvebat quod debuerat,

rat, ἔλλιμμα facere dicebatur. Gloſſæ ἔλειμμα, *reliqua, reliquarium.* Item in optimis Gloſſis: *Reliquariū*, ἔκθεσις λοιπάδος. *Reliquatio.* λοιπογραφία. *Reliquatus eſt debitū &c.* *Reliquatur*, qui nō integrū ſolvit, in iure. Et *reliquari ſummam aliquam*, quod vulgo Galli dicimus, *demeurer en reſte.* Inde *reliquatores* qui reliquati ſunt, & non πλήρη φορὰν fecerunt. Qui *reliqua reſpondent*, ii ſunt, qui, quod ex debito ſuperfuerat non ſolutum, ſolvunt. Ita loquutus eſt Quintilianus. Hoc eſt Ariſtidi τὸ ἔλλιμμα ἀναπληρῦν, *reliquationem, vel reliquatum ſolvere.* Quod in erano collegiali, ut ita dicam, uſurpatum eſt, non in amicorum erano, nec in conviviali. Nam illæ omnes loquutiones, φορὰ ἐλλιπὴς, πλήρης φορὰ, ἐκλιπεῖν φορὰν, nihil attinuere ad eranon amicorum, quia non ex debiti cauſa collatio illa fiebat, ut quæ voluntaria eſſet. At quæ penſiones menſtruæ ab eraniſtis inferebantur in arcā collegii communē, in his φορὰ ἐλλιπὴς ſæpe locum habuit, cum multi non ſolverent quod debebant ſuo tempore, alii non plenum penderent. Qua de cauſa, & iudicia reddebantur adverſus ceſſatores, & reliquatores, & compellebantur ἀναπληρῦν τὰ ἐλλείμματα, qui reliquati fue-

fuerant. De hoc genere erani intelligenda verba Demoſthenis ex prima contra Ariſtogitonem, ubi & πληρωταὶ ἐράνου vocantur qui ſolidam præſtant penſionem, & implent canonem, eique ſolutioni plene ſatisfaciunt. Ἐπειδὰν τοίνυν οἱ νόμοι μετὰ τῶν θεῶν ὁμολογῶνται σώζειν τὴν πόλιν, δεῖ πάντας ὑμᾶς τὸν αὐτὸν τρόπον, ὥσπερ εἰ ἐκάθησθε ἐράνου πληρωταὶ, τὸν μὲν πειθόμενον τούτοις, ὡς φέροντα τὴν τῆς σωτηρίας φορὰν πλήρη τῇ πατρίδι, τιμᾶν καὶ ἐπαινεῖν, τὸν δ' ἀπειθοῦντα κολάζειν. Ἔρανος γάρ ἐστι πολιτικὸς, καὶ κοινὸς, πάνθ' ὅσα ταξάντων τῶν νόμων ἕκαστος ὑμῶν ποιεῖ. Ὃν ὁ λείπων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πολλὰ, καὶ καλὰ, καὶ σεμνὰ, καὶ μέγαλα ὑμῶν ἀφαιρεῖται, καὶ διαφθείρει τὸ καθ' αὐτόν. De quo erano hæc intelligenda ſint, tametſi non explicaſſet Harpocration, cuivis tamen vel mediocriter perito facile id patuiſſet. Non enim de amicorum erano, ſed de eo qui à ſingulis collegii eraniſtis confertur, & impletur, eſſe accipienda. nemo poteſt dubitare. Quaſi de collegio aliquo loqui cui reipublicæ corpus comparat, planum eſt. At nullum fuit collegium, nullum ſodalicium inſtitutum pro illis eranis quos in amicum inopem cõferebant amici divites, quiq; colligebantur ab illo ipſo amico cui hoc præſta-

ſtabatur. At inſignis fori patronus inſigniter hic hallucinatus eſt, dum utrumque eranon perperam confundit quem recte diſtinxerat paulo ante, hoc eodem capite, alterum vocando *ordinarium*, alterum *extraordinarium*. Sic enim ſcripſit: *Duplex erat ἔρανος, ſive ἐράνου genus, ordinarium, & extraordinariū, quod ante diximus. In ordinario neceſſitas penſitationis menſtruæ, & πληρώσεως, quem ſecundum cuiuſque ordinem contingebat, inerat. In extraordinario non ſemper. Qui in collegium eraniſtarum recepti erant, collationi menſtruæ deeſſe non poterant, quod qui faciebant, dicebantur ἐκλιπεῖν τὴν φοράν.* Ergo ordinarius ἔρανος collegii eraniſtarum fuit, non ille extraordinarius amicorum, cuius colligendi gratia nullum inſtitutum eſt corpus vel collegium eraniſtarum. Ad iſtud officium extraordinarii erani pro amico conferendi, neminem potuiſſe invitum compelli, paulo infra ſcribit. Nulla ergo actio dabatur adverſus renuentem conferre. Hic vero quaſi lethæo poculo exhauſto, omnium oblitus quæ ante ſcripſerat de ordinarii & extraordinarii erani diſcrimine, ita illa miſcet, ut unum idemque eſſe nunc velit. Audiamus clariſſimum Advocatum perorantem: *Si*

qui

qui igitur eiuſmodi ope ſublevati erant, eos exiſtimo pari officio obligatos fuiſſe & obſtrictos erga eos à quibus beneficium illud acceperant, & in re anguſta eorum, qui contulerant, conferre quoque debuiſſe. Si collectam pro ſe fecerant, collectam quoque facere obligatos eſſe. Qua in re ſi ceſſabant, corpus eraniſtarum de querela adverſus eos inſtituta cognoſcebat: cauſa agebatur apud ἐρ́ανε πληρωτάς. Quod colligo ex Demoſthene Orat. 1. adverſus Ariſtogitonem. Subiungit deinde verba illa ipſa Demoſthenis quæ ſupra adduximus. Procul dubio cum hæc meditabatur, de cauſa aliqua clientis cogitabat defendenda, quæ obturbavit mentem eius diverſa agitatione, nec ſinceram & ſolidam paſſa eſt adplicari ei rei quam tum commentabatur. Alioquin ſi totus fuiſſet ſuus, non in tantam poterat incidere abſurditatem, & ἀλογίαν, quam verbis ſupra citatis expreſſit. Collegium eraniſtarum non cognoſcebat de erano inter amicos frequentato. Officium hoc fuit voluntarium ad quod nemo invitus cogebatur. Nullum propter hoc collegium inſtitutum erat. Quid mentis haberet cum hæc ſcribebat neſcio. Certe habebat non ſuam, aut ratio eam fugerat. De collegio eraniſtarum illa dicuntur apud De-

moſthenem, cuius collegii eraniſtæ ſodales, omnes etiam fuere ἐράνου πληρωταί. Nam omnes implere debebant erani pręſtationem ſive penſitationem quam arcæ communi quot menſibus inferre tenebantur. Nemo poterat ἐκλιπεῖν τὴν φοράν, id eſt, penſitationi illi deeſſe; quod λείπειν ἔρανον hic appellat Demoſthenes. ἔρανος γὰρ ἐστι πολιτικὸς, καὶ κοινὸς, πανθ' ὅσα ταξάντων τῶν νόμων ἕκαστος ὑμῶν ποιεῖ, ὃν ὁ λείπων πολλὰ καὶ καλὰ ὑμῶν ἀφαιρεῖται, καὶ διαφθείρει τὸ καθ' αὑτόν. Vidit vir conſultiſſimus, non poſſe hæc aliter capi quam de collegio eraniſtarum. Vidit etiam, eraniſtas, id eſt, ſodales illius collegii dici à Demoſthene ἐράνου πληρωτάς. Scivit etiam, ſi forte, in præſtanda menſtrua penſione, quam ſolvere oportebat eraniſtas ſingulos, & in arcam communẽ inferre, nullum fuiſſe collectorem qui ſupplere de ſuo compelleretur quod ab aliis non potuiſſet extundere. Vt igitur ſatisfaceret ei opinioni ſtultæ quam imbiberat, quod ad eranos collegii eraniſtarum pertinebat proprie, communicare voluit cum erano amicorum, & ex ordinario atque extraordinario genere erani, ſicut antea ea diſcreverat, unum genus concinnavit. Immo etiam ſupra p. CXIII. πλή-

πλήρωσιν agnovit pro penſitatione menſtrua qua ſodales eraniſtæ fungebantur. Quæ πλήρωσις non poteſt eo ſenſu accipi quo πληρωτὴν ἐράνου intelligendū cenſuit, ſed ſumitur pro ſimplici præſtatione, vel illatione quę fiebat ab eraniſtis collegatis. Hi cum appellantur ἐράνου πληρωταὶ à Demoſthene, non recipiunt aliā interpretationem quàm pro iis qui plenam præſtarent erani penſionem collegio. Et ſic Harpocration expoſuit ex hoc ipſo Demoſthenis loco, nominatim indicato, Δημοσθένης κατ' Ἀριστογείτονος· πληρωτὰς ἐκάλουν τοὺς ἀποδιδόντας τὸν ἔρανον τοῖς ἤτοι λαχοῦσιν, ἢ ἡρημένοις, οἷον ἂν οὗτοι οἱ παρ' ἡμῖν καλούμενοι ἐρανάχαι. Quæ verba iam ſupra explicavimus. Ita vir eruditus dum falſam ſententiam propugnare omni modo contendit, parum providit, ne ſecum ipſe pugnaret, & abſurda multa pronuntiaret. Vt in re tamen belle inventa, & ſollerter excogitata, perſtat, & ſic concludit: *Ergo ſi quis è ſtatis eraniſtarum collegiis in officio ceſſabat, nec ſtipem menſtruam conferebat, in eum animadvertabant οἱ ἐράνου πληρωταί. Item ſi quis erani eiuſmodi ope ſublevatus, parpari non referebat iis à quibus beneficium illud in re anguſta erat conſequutus. Atque eo pertinebant ἐρανικαὶ illæ δίκαι, qua-*

 rum

rum Grammatici meminere. Scilicet amici potentiores atque opulentiores, qui amicum in anguſtias neceſſitatis ultimas prolapſum ſublevare recuſabãt, ad eraniſtarum collegium aliis de rebus conſtitutum, & ex aliis hominibus compoſitum, in iudicium vocabãtur, ut cogerẽtur ingratiis id facere quod ſponte non fecerant. Quis huic homini perſuaſit, eraniſtas ſodales ſediſſe iudices, de rebus nihil ad ſuum collegium pertinentibus, & inter huiuſmodi perſonas, in quas nullum ius, nullam poteſtatem habuere? Atqui paulo ante affirmabat nullum ad huiuſmodi voluntarium officium potuiſſe compelli. Nunc autem in ius ire coactos aſſerit ad collegium eraniſtarum, qui ne de collationibus quidem menſtruis ſui collegii cognoſcebant. Oſtendat, habuiſſe aliquam Iuriſdictionem ulla collegia, vel corpora ſocietatum Athenis, tum ei credam de peritia in his rebus quam potius oſtentat quam præſtat. Ipſæ illæ ἐρανικαὶ δίκαι quarum dicit Grammaticos meminiſſe, non diſceptabantur in collegio eraniſtarum, ſed ante ἐννέα ἄρχοντας, qui de privatis omnibus iudiciis cognitionem habuerunt. Ex illis autem novem magiſtratibus ſive prætori-

bus,

bus, Theſmothetæ ſex peculiariter de actionibus eranicis & emporicis cauſas audiebant ſingulis menſibus, ut ex Polluce diſcimus lib. VIII. cap. VIII, καὶ δίκας ἐμποϱικὰς, καὶ ἐϱανικάς. Semper iſtæ Dicæ iunguntur, & ſub iiſdem iudicibus decidebantur. Qui eam actionem introducebant vocabantur ἐπαγωγεῖς. Idem Pollux: ἐπαγωγεῖς οἱ τὰς ἐμμήνους δίκας ἐπάγοντες. ἦσαν δὲ πϱοικὸς, ἐϱανικαὶ, ἐμποϱικαί. Poteſtatem quidem lex duodecim tabularum fecit ſodaliciis ſive ἑταιϱείαις, pactionem quam velint ſibi ferendi, dum ne quid ex lege publica corrumpant. Quod ex lege Solonis ſumpſiſſe auctorẽ duodecim tabularum, ſcribit Caius leg. IV. D. de collegiis: qua pleriſque collegiis ac ſodaliciis in ea nominatis conceſſum voluit Solon, ut quod ſtatuiſſent in ſuo corpore ad ipſius collegii ſtatum componendum id ratum eſſet. Ὅ,τι ἂν διάθωνται πϱὸς ἀλλήλους, κύϱιον εἶναι. Non vero ut contentioſam haberent iuriſdictionem, aut δίκας εἰσάγειν apud ſe poſſent. Nuſquam enim ulli collegio, tam apud Romanos quam apud Græcos, permiſſum id legitur. Rem communem habere illis licuit, arcam communẽ, actorem, ſyndidicum, non iuris dicundi inter ſodales

& de rebus ad ſodalicium pertinentibus poteſtatem. Non minus ſe ridiculum præbet Cauſidicus eximius, cum ex loco Ariſtidis in Platonica prima docere nos vult, aliud eſſe *εἰσφέρειν*, aliud *συνεισφέρειν*, cum alio ſimul conferre, & eranum dare: aliud autem *ἔρανον πληρῶσαι*, id eſt, *ἐράνῳ τὸ ἔλλειμμα ἀναπληρῶσαι*, vel *τὸ ἐλλεῖπον ἀναπληρῶσαι*. Iam docuimus, *τὸ ἐλλεῖπον ἐράνῳ ἀναπληρῶσαι*, vel *τὸ ἐκλεῖπον*, ad id genus erani ſpectare quod contribuebant eraniſtæ collegiati, non ad eranum quo amici opibus lapſi ſuſtinebantur ope amicorum collaticia. In utroque tamen *ἐράνῳ* locum habuit *συνεισφέρειν*, quia plures conferebant. Omnes *ἐρανισαὶ* collegii conferebant menſtruam penſionem. Ergo & in hoc *ἐράνῳ συνεισφέρειν*, idem quod *εἰσφέρειν*. In ea etiam collatione quæ ad amicum ex inopia ſublevandum inſtituta moribus fuerat, plures amici conferre ſolebant. Ergo & in hoc pariter erano *συνεισφορὰ* locum habuit. Sic in hoc atque in illo erano nihil diſcriminis inter *συνεισφορὰν*, & *εἰσφορὰν*. At *τὸ ἔλλειμμα ἀναπληρῶσαι*, nullo modo in amicorum erano, qui voluntarius fuit, uſurpatum eſt, in quo vel nihil licuit dare, ſi quis honeſtatis & humani-

manitatis curam parvi penderet, & ſe munificum dici ac liberalem non flocci faceret. Ariſtidis verba differentiam illam neutiquam ſignant, quæ ſic habent, οὐδὲ δὴ λόγῳ νικῶν ὁμοίως καθ' ἕκαστον, καὶ πάντων ἀθροισθέντων. ἐστὶν ἔμπροσθεν, ᾗ ὅσον κρατεῖ, μένει διηνεκὲς αὐτῷ, ᾗ οὐκ ἀπόλλυσι. οὐ γὰρ συνδιενεγκεῖν ἐστιν ὥσπερ χρήματα, οὐδὲ ἐράνῳ τὸ ἔλλειμμα ἀναπληρῶσαι. Quod hæc accipit de erano qui ad iuvandum amicum confertur, tota veri regione errat. De eraniſtarum ſodalium collatione id eſſe intelligendum, vel ea verba oſtendunt, ᾗ τὸ ἔλλειμμα ἐράνῳ ἀναπληρῶσαι, quibus locus non fuit, in erano amici pauperis. In erano ſodalicii utrumque competebat, ut συνεισφορὰ ab omnibus fieret, & ut plena ea ſolidaq; procederet ſine ulla reliquatione. Quam πλήρη φορὰν vocavit Demoſthenes in prima contra Ariſtogitonem, oppoſitam τῇ ἐλλιπεῖ. Talem qui daret, cogebatur τὸ ἐλλεῖπον vel τὸ ἔλλειμμα ἀναπληρῶσαι. Qui plenam vero inferebat ſolidamque præſtationem is πληρωτὴς ἐράνου, dicebatur. Quod de omni ſolutione perfecta obtinuit. Idcirco & in erano amicorum, collatio quoque cuiuſque ita appellata eſt. Πλήρωσιν ſic accipiendam eſſe, docuit Salma-

 ſius

ſius in verbis his Philoſtrati ex lib. VI. de vita Apollonii, *ἀλλὰ ὁ μὲν θυγατέρα σκηπτόμενος ἐν ὥρᾳ γάμου, ὁ δὲ υἱὸν ἤδη τελοῦντα εἰς ἄνδρας, ὁ δὲ ἐράνου πλήρωσιν*. Id eſt, erani præſtationem, collationem. Hic quoq; ſuum ſomniũ nobis obtruſit qui de totius ſummæ collectione ad levandam amici calamitatem neceſſariæ intelligendum contendit. Collatio eſt, quam ille vult eſſe collectionem. Vt *πληρεῦν* hic dicitur de uno qui confert, ita *συμπληρεῖν* de pluribus qui conferunt. Sic *εἰσενεγκεῖν*, & *συνεισενεγκεῖν*, de eodem. Ita accipio locum Stratonici apud Athenæum lib. VIII. Is Heracleæ cum eſſet, quæ urbs nepotibus & ſcortatoribus plena erat, adeo ut *πορνεῖον* potius magnum quam oppidum eſſe videretur, vidit duos compedibus vinctos propter *æs alienum*, ac dixit, *ὡς μικροπολιτικὸν τὸ μὴ δυνάσθαι συμπληρῶσαι*! Parum civiles arguens & humanos fuiſſe illius urbis cives, quibus *συμπληρώσεις*, id eſt, *συνεισφοραὶ*, eranorum non eſſet uſu recepta, unde amicorum ope duo iſti ob æs alienum vincti poſſent liberari. Hoc quidem velle dicere viſus eſt, ſed luſit ambiguo verbo *συμπληρῶσαι*, cum potius omnes urbis illius cives eodem modo vincti eſſe deberent,

&

& συμπληροῦν hunc numerum duorum, qui nimis exiguus eſſet pro ea urbe in qua tanta eſſet multitudo hominum carcerem & vincula meritorum. Cum plures πλήρωσιν, id eſt, collationem faciebant, hoc vocabatur συμπληρώσασθαι, ut συνερανίσαι, & συνεισενεγκεῖν. Non intellexit etiam eximius cauſarum patronus, qua notione Græci ſoleant ponere verbum ἐρανίζειν. Aliud enim ſignificat cum iungitur tertio caſu, & cùm quartum habet. Ἐρανίζειν τινὶ eſt, conferre in aliquem pecuniam, & eranon largiri. Ἐρανίζειν τινὰ, idem eſt quod petere, & exigere ab aliquo eranon. Sic in iſto verſu accipitur apud Diogenem Laërtium, in vita Cynici cognominis, ἔρανόν ποτε αἰτούμενος πρὸς τὸν ἐρανάρχην ἔφη, σοῦ ἄλλους ἐράνιζ᾽, ἀπὸ δ᾽ Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας. Quod etiam notavit ex Demoſthene Harpocration. Ἐρανίζοντες· Δημοσθένης ἐν τῇ τοῦ Λυκούργου παίδων ἐπιστολῇ ἐρανίσας εἶπεν ἀντὶ τοῦ ἔρανον αἰτήσας. Apud eumdem Demoſthenem cum tertio caſu iunctum id verbi, pro bene facere uſurpatur, & eranum conferre, ἐν οἷς ἐρανίζει τούτοις τοῖς περὶ ἑαυτόν. Id exponit Harpocration, εὐποιεῖ ἀποδιδοὺς τὴν ἴσην βοήθειαν αὐτοῖς. Nullo modo igitur ἐρανίζειν ſignificare poteſt

colligere eranon, ut viſum eſt viro doctiſſimo in iſtis apud Antiphonem: μεγάλας εἰσφορὰς εἰσφέροντα, πολλὰ δὲ τριηραρχοῦντα, λαμπρῶς δὲ χορηγοῦντα, πολλοῖς δ' ἐρανίζοντα. Ita enim legendum eſſe illi aſſentior pro eo quod vulgo legitur, πολλοὺς δ' ἐρανίζοντα. Sed ut πολλοῖς ἐρανίζειν, idem ſit quod eranū pro multis colligere, nunquam mihi perſuadebit, nec cuiquam Græci ſermonis aut iuris Attici ſcienti. Cum ea ſignificatione quam illis verbis Antiphonis tribuit, præſtaret legere ut editur, πολλοὺς ἐρανίζειν. Nam cum quarto caſu *exigere eranon* ſignificat iſtud verbi, & ex conſequenti, colligere. Sed tunc ipſe pro ſe colligens æque poſſet intelligi ac pro alio. Et certū eſt, teſtimoniis Theophraſti, Demoſthenis, & Lyſię, aliorumq;, ipſos quibus hæc largitio impertiebatur ex collatione amicorū, collectā per ſe feciſſe, non alterius operâ uſos eſſe. At ἐρανίζειν cum dandi caſu non poteſt aliud deſignare, quam eranon conferre. Ἐρανίζεσθαι vero paſſive idem notat quod colligere. Ἐρανίζει τινὶ igitur qui dat & confert. Ἐρανίζεται, qui accipit & colligit. Vnde apud Pollucem lib. IV. cap. VI. de Sophis, παρὰ τῶν μαθητῶν φόρους ἐρανίζεσθαι, συνερανίζεσθαι, ἀθροί-

θροίζειν, συλλέγειν. Sic enim legendum. Heſychius: ἐρανίζεται, συλλέγει. Ergo aliud ἐρανίζειν, nempe conferre, cum ἐρανίζεσθαι ſit colligere. Sic aliud δανείζειν, aliud δανείζεσθαι. Dare illud eſt mutuo: hoc, accipere. Talia ſunt alia infinita. Qui dicit igitur, ſe πολλοῖς ἐρανίσαι, ſignificat ſimpliciter ſe pecuniam erani nomine in multos indigentes amicorum contuliſſe, non ut cenſet noſter Advocatus, in multorum amicorum gratiam eranorum colligendorum curam ſuſcepiſſe, ſicque fuiſſe πληρωτὴν ἐράνου. *Quo munere*, inquit, *nemo defungi poterat non ſine magno ſumptu, cum is qui eranos colligebat quæ deerãt ad ſummam conficiendam ſupplere teneretur.* Hæ ſunt hariolationes nulla ratione nixæ, nulla auctoritate, niſi eius cuius è cerebro prodierunt. An amicus potens & opulentus amici fortunis evoluti caſum miſerari & ſublevare non poſſet niſi pro eo eranon colligeret? Hæc collectionis opera melius ipſi conveniebat, qui ad miſeriam devolutus erat, quam opibus affluenti amico. Non cadebat in iſtos animos & copias tam vile miniſterium. Satis erat, ſi erogaret quantum vellet, & quantum poſſet, de ſuo, nec neceſſe habuit, ut liberalitatem ſuam in amicum ino-

inopem teſtaretur, ad hanc colligendi pro eo erani provinciam deſcendere. Licebat omnibus in tantum munificis eſſe, in quantum aut facultates eorum patiebantur, aut animus ad largiendum propenſus incitabat. Ut neminis liberalitas cogebatur, ita nec claudebatur, in re adeo libera ac voluntaria, ut fuit erani collatio. At cogeretur voluntas, ſi quis invitus id munus & onus ſubire ingratiis teneretur colligendi pro amico erani. Nōne magis expediſſet amico in re lauta poſito, & in dignitate etiā ſi forte conſtituto, totam ſummam elargiri, quā ſibi neceſſariam dicebat egeſtuoſus amicus, quam id negotium ſuſcipere laborioſum, ex quo nulla munificentiæ aut liberalitatis gratia eum contingeret ex actu quem coactus adminiſtraret? Præterea quod etiam conſiderandum eſt, non ſemper erat certum an eo munere defungi non poſſet abſque magno impendio. Quid ſi omnes amici officium ſuum feciſſent, in ſolvenda ſua parte ſummæ?non multū ſic diſpē dii in collectorē redūdaſſet, quia nōn amplius parte ſua virili præſtandū habuiſſet. Hęc omnia nullo fundamento nituntur, nec ulla ratione, ſed imaginoſum plane redolent, & falſiſſima ſunt.

ſunt. Non omnium olim fuit adire Corinthum. Nunc non omnium eſt de his poſſe pronuntiare. Qui in re ſua occupati ſunt, qui in aliena, qui operam foro locant, qui quotidie conſuluntur, qui denique res alias agunt, iſta agere cum ſucceſſu non queunt.

CAP. III.

Quid ſit comeſſatio. Nullum dari κῶμον *ex ſymbolis. De ſymbolarum collationibus. Quid ſit* ἐρανάρχης. *Symbolas non eſſe* ἐράνους, *nec ita appellari. Ipſum convivium, quod de ſymbolis parabatur,* ἔρανον *dici. Quo ſenſu dicatur* ἔρανον. πληρῶσαι, *&* συμπόσιον πληρῶσαι. *Qua ſignificatione Sarapis apud Ariſtidem* κοινὸς ἐράνων πληρωτὴς *appellatus ſit, &* ἑστιάτωρ. *Quid ſit proprie* ἑστιᾶν. Ἑστοῦχος, *& dominus ædium idem. Sodalicium vocari, convivium ſodalibus datum. Salmaſii expoſitio* ἐρανιστῶν *apud Ariſtotelem defenſa. Alia nonnulla.*

ADEO penitus medullis infixus hic illi viro doctiſſimo ſedit error de πληρωτῇ ἐράνου, eodemque collectore, quia ſuppleat ſummam non plene collectam, ut etiam ad convivia quæ de ſymbolis fie-

fiebant, eum morem traduxerit. Tertium ei rei caput dedit, quod hîc examinare conſtitui. Primum in ipſo titulo occurrit grande peccatũ, quo poſuit ἐράνυς πληρῶσαι etiam in comeſſationibus & ſymbolis locum habuiſſe. Ego vero nullas comeſſationes de ſymbolis fieri ſolitas novi, ſed epulas, & convivia, ſive prandia illa eſſent, ſive cœnæ. At comeſſatio aliud erat, idem nempe quod Græce κῶμος. Nam ex verbo κωμάζειν factum Latinum *comiſſare*, unde *comiſſatio*. Quia pueris etiam notum eſt quid eo nomine ſignificetur, tam Græcis quam Latinis, in re obvia tempus non teram. Notandum etiam, quod ait, συμβολὰς, & ἐράνυς, rem eamdem ſignificaſſe. Quod ſi verum eſſet, de omni ἐράνῳ uſurparetur συμβολή. Atqui de conviviali tantum dicitur collatione, non de illa quæ fit ab eraniſtis ſodalibus, nec de illa quæ ad amicum comparata eſt ſublevandum ex inopia. Adeo autem propria eſt conviviorum hæc συμβολή, ſive hæ συμβολαὶ, ut Latini eam vocem fecerint ſuam, & *ſymbolam ſymbolaſque* dixerint, non aliunde tralatis quam ex illo conviviorum more collatiis ſumptibus inſtrui ſolitorum. Vnde *de ſymbolis eſſe*, apud

pud Terentium. Et apud eumdem, *ſymbolam dedit, cœnavit.* Plautus in Curculione: *Symbolarum collatorem apud forum piſcarium.* Vox ἔρανος generalis eſt, de omni collatione quacumque ex cauſa facta, ἀπὸ τοῦ ἐρᾶσαι, quod eſt *fundere*, & κενῶσαι, de ſuo aliquid dare & largiri. Συμβολὴ autem de ſolis conviviis collaticia ſtipe instructis. Ἔρανος etiam de ipſo convivio uſurpatur, nunquam συμβολή. Sic & collegium ipſum ἐρανιςῶν, nomine etiam ἐράνου appellatum. Vnde & μετέχων ἐράνου, qui pars eſt collegii, unus ex ſodalicio. In erano amicorum, ſola collatio quæ fit ex parte dantium, ἔρανος appellatur. Nullum ibi corpus aut collegium, nulli proinde ἐρανάρχαι. Nã ἐρανάρχης, nõ dicitur de eo proprie qui præeſt collectæ faciendę, ſed de illo qui corporis alicuius aut collegii magiſter eſt aut præfectus. In eraniſtarum ſodalicio, cum ἔρανος dicatur ipſum collegium, ideo ἐρανάρχης vocatus eſt ipſius ἐράνου, hoc eſt, collegii prępoſitus ac magiſter, qui in convivio quod de ſymbolis paratur, συμποσιάρχης magis proprie nominatur. Sic enim Ariſtidi appellatur oratione in Sarapidem, & Donato in Eunuchum Terentio. Huius comici verſibus citatis, *Heri aliquot adole-*

adoleſcentuli coimus in Pireo, ut de ſymbolis eſſemus, Chæream ei rei præfecimus, ſubiicit vir doctiſſimus hanc obſervationem : *Vides, adoleſcentulos illos Chæream conſtituiſſe qui convivium illud curaret, quod ſingulorum ſymbolis inſtruendum erat, & qui ideo vere erat* ἐρανάρχης, ἐράνȣ πληρωτὴς, *quippe qui de ſuo ſupplere teneretur, ſi ſymbolæ non ſufficiebant ad convivium illis opipare parandum.* Eadem eſt ſtultitia quam in præcedentibus vidimus. Quis illum docuit eos qui præficiebantur convivio ex ſymbolis plurium parando & inſtruendo, de ſuo ſuffeciſſe, ſi ſymbolæ non ſufficerent? An non poterant videre quantum ſatis eſſet qui ad epulandum coibant, & quantum impendere vellent? Si plus expendiſſent quam providerant, quid fuit proclivius quam ab omnibus pro rata id repeti? Si dictus eſt ἐρανάρχης ille convivii præfectus, non à ſymbolarũ exigendarum cura tantum ita appellatus eſt, ſed quod totam convivii apparandi ſollicitudinem ſuſtineret, & in convivio ipſo legem bibendi diceret, & omnia arbitrio ſuo moderaretur, unde eſt συμποσιάρχης dictus. Donatus ad illa verba, *Chæream ei rei præfecimus. Id eſt,* inquit συμποσιάρχην *fecimus.* Si etiã ut dixi ἐρανάρχης appellatus

tus eſt, non ab erano, id eſt, ſymbolis colligendis ita nuncupatus fuerit, ſed quod eſſet ἐρανου præfectus, id eſt, convivii. Sic in collegio eraniſtarum ἐρανάρχης appellabatur non qui præeſſet collationi, ſed magiſter ipſius collegii, ſive ἐράνου. Ita ἐρανάρχην Diogenes Laërtius in vita Diogenis cognominis accepit, de convivii nempe moderatore, id eſt, erani magiſtro. Ἔρανόν ποτε αἰτούμενος πρὸς τὸν ἐρανάρχην ἔφη, Τοὺς ἄλλους ἐράνιζ', ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας. Non enim de erano amicorum intelligendū eſt, ut inſcite putarunt, qui nullum habuit ἐρανάρχην, & in quo ſinguli qui ἐράνου πληρωταὶ dicti sūt, collatores etiam erani totidem fuerunt. In convivio autem ex ſymbolis faciendo, qui ἐράνου πληρωτὴς appellabatur, non collector ſymbolarum omnium, ita audivit, nec collator ſuæ ſymbolæ, ſed idem qui συμποσιάρχης nomen habuit vel ἐρανάρχης, id eſt, convivii ſive ἐράνου magiſter, quique convivarum cogendorum curam haberet, quod συμπόσιον πληρῶσαι, & συναγαγεῖν, Græci dixerunt. Ἔρανον de ipſo convivio dictum eſſe, primum docendum eſt. Pollux lib. VI. cap. I. τόδε πρᾶγμα, inquit, πότον, συσσιτίαν, συμποσίαν, ἢ σύνοδον τὴν ἐν οἴνῳ, ἢ θίασον, ἢ εἰλαπίνην,

πίνlω, ἢ ἔρανον, ἢ ἑςίασιν, ἢ ἄριςον, ἢ δεῖπνον, ἢ ζωύδειπνον, ἢ θοίνlω. Suidas: *ἔρανος, ἡ ἐκ κοινῦ ἑςίασις.* Convivium ex communicatis & collatis ſymbolis. Ergo *ἔρανος*, ipſum convivium. Heſychius: *ἔρανος, εὐωχία, ἢ ἐκ μερῶν δεῖπνον, ἢ ἐκ συμβολῆς δεῖπνον.* Immo cum de convivio agitur, nunquam fere aliter vox *ἔρανος* accipitur quam de ipſo convivio, non de ipſis ſymbolis, & collationibus ſingulorum convivarum. Euſtathius in Λ. Odyſſeæ, *ἔρανοί εἰσι κατὰ τοῦ παλαιοὺς αἱ ἀπὸ τῶν συμβαλλομένων συναγωγαί· ἀπὸ δὲ συνεράσαι καὶ συμφέρειν ἕκαςον. ἐκαλοῦντο δὲ καὶ θίασοι, καὶ οἱ συνιόντες ἐπὶ τὰ τοιαῦτα ἐρανιςαί, καὶ συνθιαζῶται.* Quæ verba citavit ex Athenæo. Scribendum autem in verbis Euſtathii ut poſuimus, *ἀπὸ δὲ συνεράσαι*, non ut vulgo eſt, *ἀπὸ δὲ συνεράσθαι*. Eſt autem *συνεράσαι*, idem quod conferre. quod ipſe Grece alio verbo expoſuit, *συμφέρειν*. In ipſo Athenæo legitur *συνερᾶν*. quod idem eſt. Ergo *ἔρανος* & *θίασος* iidē, ipſum nempe conviviū ex ſymbolis. Idem Euſtathius in Π. Iliados: *ἔςι δὲ τοιοῦτος ὁ ἔρανος, ἐν ᾧ συνέβαλλον ἕκαςος τὸ πρὸς ἰσχὺν εἰς χρείαν συνδείπνου συμβολιμαίου· ὥςε ὁ μὴ τοιοῦτος ἀσύμβολος ἐλέγετο, διὰ τὸ δωρεὰν δειπνεῖσθαι, καὶ ἀδαπάνως.* Vides

des ἔρανον vocari ipſum convivium συμβολιμαῖον, non ſymbolam quæ ab unoquoque pro ſua parte conferebatur. Item in lib. I. Odyſſeæ: Ἰςέον ἢ ὅτι κατὰ τρεῖς μάλιςα τρόπους συνέλθοιεν ἂν οἱ πολλοὶ ἐπὶ εὐωχίᾳ, ἤγουν ἐν εἰλαπίνῃ, ἐν γάμῳ, καὶ ἐν ἐράνῳ. Ubi ἔρανος eſt convivium ex ſymbolis, ut γάμος convivium nuptiale, εἰλαπίνη, convivium aliquod ſollemne ſacrificii cauſa vel alia factum. Ipſe Homerus hæc tria ſic diſtinxit, & ἔρανον appellavit convivium ex ſymbolis. Odyſſ. A.

Τίς δαὶς, τίς ἢ ὅμιλος ὅδ' ἔπλετο, τίπτε δέ σε χρεώ,
Εἰλαπίν', ἠὲ γάμος, ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γέςιν.

Cum ἔρανον Homerus in ea ſignificatione poſuerit, non pro ſymbola uſurparit an eſt quærendus auctor magis idoneus? Cũ omnis Græcia ab illo principio ἔρανον, cum de convivio quæſtio eſt, ita ſemper nuncupaverit, non pro ſymbolis. Nunquam igitur ἐράνους legere eſt apud Græcos pro ſymbolis conviviorum. Et doctiſſimus Advocatus, initio capitis tertii, quo tractavit de ſymbolis, Euſtathium per indicem tantum legiſſe videtur, cum ex eo citavit, ἐρανιςὰς eſſe τοὺς ἐξ ἐράνων, ὅ ἐςιν ἐκ συμβολῶν συνδειπνοῦν-

πνὄντας. In indice Euſtathii hoc quidem notatum eſt, ſed nuſquam extat in ipſo Euſtathii commentario. Nam eo loco quem reſpexit indicis conſarcinator, totidem verbis ſcriptum habetur, ad Odyſſ. P. ἔρανος γὰρ ἐστὶν ἡ ἀπὸ συμβολῶν συναγωγή. Ἐκαλεῖτο δὲ αὐτὸς, καὶ θίασος, καὶ οἱ συνιόντες, ἐρανισταὶ, ἢ θιασῶται. Iam puto ex his conſtare ἔρανον, ubi de conviviis ſermo eſt, nunquam in alio ſumi ſignificatu quam pro epulis ipſis ſtipe collata inſtructis, non de ipſa ſymbola. Ergo ἐρανάρχης, in talibus conviviis idem qui & συμποσιάρχης, id eſt, ὁ τοῦ ἐράνου ſive θιάσου ἄρχων. Nec minus porro certum eſt, ubicunque in rebus ſympoſiacis occurrit τὸν πληρωτὴν ἐράνου, non de ſymbolarum collatore eſſe intelligendum, ſed de convivii ipſius magiſtro, cui cura incũbebat convivium apparare, convivas vocare, ad eos mittere, & ſic τὸν ἔρανον ſive τὸ συμπόσιον πληρῶσαι. Pollux lib. VI. cap. 1, ubi de iſtis conviviis συμβολιμαίοις agit: τὸ δ' ἔργον, συναγαγεῖν συμπόσιον, συστῆσαι, πληρῶσαι, συγκροτῆσαι, συγκαλέσαι. Ille igitur ἐράνου πληρωτὴς, negotium habebat convocare & cogere convivas, & curare ut omnes qui de ſymbolis erant, adeſſent, ac nemo deeſſet. Menãder apud Athe-

Athenæum de hoc genere conviviorum, quæ de ſymbolis parabantur, ἐπλήρωσεν ἢ τὸ συναγώγιον. Subiicit iſtis verbis ipſe Athenæus, μή ποτε δὲ τοῦτο ἐστὶ τὸ ἀπὸ συμβολῶν καλούμενον; Cum ergo Heſychius, πληρωτὴν ἐράνου, interpretatur συναγωγὸν, de iſtiuſmodi convivii curatore & magiſtro intellexit, cui muneris id iniunctum, ut omnes convivas adeſſe curaret, non de eo qui eranon ſive collationem colligeret, ut putavit doctiſſimus cauſarũ patronus, ſed harum rerum parum peritus. Nunquam enim πληρωτὴν ἐράνου de collectore erani Græci dixerunt, ſed de collatore, tam in erano amicorum quam in erano ſodalium, ut ſupra abunde demonſtratum puto. Vbi autem ſermo eſt de epulis ſtipe collata inſtructis, ἐράνου πληρωτὴς, is eſt qui ἔρανον πληροῖ, ac συνάγει, id eſt, convivium ut ſit plenum efficit convocatis omnibus convivis qui ſymbolas contulerunt. Cui rei proprium verbum συνάγειν ἀπὸ συμβολῶν apud Athenæum lib. VIII. Ipſa etiam convivia συναγώγιμα appellata. Ephippus apud eumdem Athenæum eodem libro, καὶ συναγώγιμον συμπόσιον ἀποπληροῦσι. Quid ſit πληρῶσαι ναῦν, Græce periti ſciunt, remigibus nempe inſtruere. Ita & πληρῶ-

σαι ζυμπόσιον, vel ἔρανον, eſt convivium instruere convivis. Nã ἔρανος, cum epularum mentio fit, non aliter ſumitur quã pro ipſo cõvivio. Συναγαγεῖν, & πληρῶσαι ζυμπόσιον, eadem res eſt, ut Pollux nos docuit. Notum quid ſit Græce συναγαγεῖν ἐκκλησίαν, convocare & cogere concionem. Hinc ζυνάξις cœtus Chriſtianorum convenientum ad orandum. Inde & συναγωγὴ Iudaica. Συναγώγιμον convivium expreſſit Terentius, cum dixit,

Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piræo,
Vt de ſymbolis eſſemus.

Qui præfectus erat ei rei, ut coirent & convenirent omnes, ſummamque convivii inſtruendi curam habebat, is πληρωτὴς ἐράνε, id eſt, ζυμποσίε, & ἐρανάρχης, & ζυμποσιάρχης vocabatur. Nunc ſupereſt locus Ariſtidis explicandus ex Oratione in Serapin, cuius auctoritate nititur vir doctus, ut illum ſuum πληρωτὴν ἐράνε nobis ingerat, qui de ſuo ſupplere tenebatur, ſi ſymbolæ non ſufficerent ad epulum opipare & ſumptuoſe apparandum. *Quare*, inquit, *eleganter Ariſtides Serapin aiebat* κοινὸν ἁπάντων ἐράνων πληρωτὴν, *quod omnibus ſacrificiis intereſſet, id eſt, in omnibus ſacrificiis invocaretur, cum ſacrificia ſingula ſin-*

ſingulis diis fierent, neque alius ad ſacrificium vinitaretur, quam is cui ſacrificium dicatum erat. At Serapis, inquit Ariſtides, *in omnibus & ſingulis cæterorum omnium deorum ſacrificiis invocabatur, ut is, ſi quid opis deeſſet, ab eo numine cui ſacrificium fiebat id ſuppleret, eſſetque is veluti ſympoſiarcha, cuius nomine ordinarentur.* In tot verbis nihil boni ſenſus, & falſiſſima eſt quam ex his confecit ſententia. Nihil tale ex verbis Ariſtidis colligi datur, ideo invocari ſolitum in omnibus reliquorum deorum ſacrificiis Sarapin, ut ſi quid opis deeſſet, ipſe suppleret, id eſt, ut quod ille Deus cui ſacra fiebant præſtare non poſſet, ipſe ſupplicantibus & ſacrum facientibus largiretur. Dimidium igitur cæteri Dii poterant, aut beſſem, aut unciam, Serapis totū. Sed quomodo aut quando ſciebatur, an deus, cui ſacrū fiebat non plenā opem nec integram poſtulantibus ferre poſſet, ut eius ſupplementum à Serapi impetraretur? Hæc ſunt ineptiſſima. Hanc prærogativam & hoc privilegium habuiſſe Serapin dicit Ariſtides ſupra cæteros Deos, ut omnium ſacrificiorum eum participem homines facerent, & ad epulū, quod ſacri cauſa parabatur, invocaretur, non tanquam conviva unus ex

multis futurus, ſed tanquam magiſter convivii, & domnædius, & parochus. In verbis Ariſtidis tria hæc ſynonyma ſunt, ἑστιάτωρ, συμποσίαρχος, & ἐράνου πληρωτής. Sic enim ſcribit: καὶ τοίνυν, καὶ θυσιῶν μόνῳ τούτῳ θεῶν διαφερόντως κοινωνοῦσιν ἄνθρωποι τὴν ἀκριβῆ κοινωνίαν, καλοῦντές τε ἐφ' ἑστίαν, καὶ προϊστάμενοι διαιτύμονα αὐτὸν, καὶ ἑστιάτορα. ὥστε ἄλλων ἄλλους ἐράνους πληρούντων, κοινὸς ἁπάντων ἐράνων οὗτός ἐστι πληρωτὴς, συμποσιάρχου τάξιν ἔχων τοῖς ἀεὶ κατὰ ταὐτὸν συλλεγομένοις. Is dicitur ἑστιάτωρ apud Græcos, qui convivium præbet, & convivas domum invitat, & convocat, nempe ἐφ' ἑστίαν, & qui vocatos paſcit, quod eſt ἑστιᾶν. Vnde & ἑστιάτωρ dicitur, & ἑστιοῦχος. Heſychius: ἑστιάτωρ ὁ δειπνίζων, ὁ εἰς εὐφροσύνην καὶ εὐωχίαν καλῶν, ἤγουν τροφεύς. *Paſcere* id dicebant medii ævi auctores, quod Græci ἑστιᾶν, ut Salmaſius docuit, ad Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores in vita Severi à Spartiano ſcripta; *quando paſcebat*, id eſt, quando convivium exhibebat. Unde τροφεύς Heſychio vocatur, id eſt, qui paſcit. Apud cumdem Heſychium ἑστιᾶν eſt ἀριστοποιεῖν, prandium præbere. Inde ergo ἑστιάτωρ. Hic etiam συμποσίαρχος. Egregie de his Pollux lib. VI. cap. I. ὁ μὲν οὖν, inquit, συνιστὰς τὸ συμ-

συμπόσιον, ἑστιάτωρ, ἑστιῶν, ξενίζων, συμποσίου ἄρχων, ὁ τῆς ξυνουσίας ἡγεμών. ὁ γὰρ οἰκοδέμων τραγικόν. Ubi ſcribendum, ὁ γὰρ οἰκομέδων, τραγικόν. Is eſt, quem Latinis *domnædium* dixere, in cuius nempe domo paratur & præbetur epulum. Auctor Rhethoricæ ad Herennium lib. IV. in Notatione: *Dum hæc loquitur, venit in ædes quaſdam, in quibus ſodalicium eadem die erat futurum, quo iſte pro notitia Domnædii ingreditur cum hoſpitibus.* Ubi *Domnædium*, ex libris veteribus repoſuimus. Quod & veteres Gloſſæ confirmant, *Domnædius, cænacularius*, σταθμοῦχος. In illis Ciceronis verbis, *ſodalicium* eſt ἔρανος, convivium nempe ſodalium, id eſt, ἐρανιστῶν. Græce ἑστιοῦχος vocatur, ut notat Pollux qui ἑστιοῦχον apud Ariſtophanem ἑστιάτορα dici ait, eum nimirum in cuius ἑστίᾳ ſive ædibus convivium celebratur. Duplicis erant generis convivia. Quod unius ſumptibus fiebat, & quod plurium ſimul conferentiũ. Hoc ἔρανος Homero, illud εἰλαπίνη. Prioris generis epulo, dominus ipſe qui invitabat convivas, magiſter convivii erat, idemque ἑστιάτωρ, id eſt, accipiens cæteros, & paſcens, & idem οἰκομέδων, ut eſt apud Pollucem ex Tragico. In altero genere, ubi ſinguli convi-

væ partes ſuas & ſymbolas æqualiter conferunt, nemo unus ἑστιάτωρ habetur, ſed omnes ſimul habentur ἑστιάτορες, & convivæ. Ἐκ κοινοῦ appellat hoc convivium Heſiodus, ἐκ κοινοῦ πλείστη τε χάρις, δαπάνη τ' ὀλιγίστη. Talia *ſodalitia*, vel de ſymbolis convivia. In his qui συμποσιάρχης erat futurus, aut eligebatur omnium ſodalium conſenſu, aut ſortito conſtituebatur. Si quis enim ſuo ſumptu epulas appararet, & convivas convocaret, is iure ſuo συμποσιάρχης habebatur, ut ex Pollucis verbis ſupra citatis liquet. Vbi huiuſmodi ſυμποσιάρχου meminit, qui etiam ἑστιάτωρ erat, & dominus tam ædium quam ipſius convivii, ſtatim ſubtexit & alterum genus ſymposiarchæ, qui in epulis collaticiis aut ſorte aut electione ſtatuebatur, καὶ ἄλλος δὲ καλεῖται συμποσιάρχης, ὁ ἐν ἰσοτελεῖ τινι κοινωνίᾳ κατὰ κλῆρον ἢ κατὰ δόγμα προαιρεθεὶς τοῦ συμποσίου ἐπιμελητής. *Aliter vocatur & ſymposiarcha, qui in æquali ad epulandum in commune ſocietate vel ſodalicio ſortito ducitur, aut electione nominatur convivii curator.* De electione ſumitur apud Terentium, *Chæream ei rei præfecimus*, id eſt, συμποσιάρχην fecimus, & ἐπιμελητὴν convivii. Ἰσοτελὴς ea κοινωνία Pollucis, locum plane habet in convi-
viis

viis συμϐολιμαίοις, & refutat omnino inſcitam illam opinionem viri docti de collatione ampliore ſympoſiarchi, quaſi ſupplere cogeretur de ſuo, ſi ſymbolæ omnium nō ſufficerent ad convivii apparatum. Vbi ἰσοπλὴς erat κοινωνία, non alter plus altero nec rex ipſe, vel magiſter, vel præfectus convivii, curatorve, amplius quam cæteri erogabat. Maiorem reliquis laborem & operam ſumere cogebatur in convocandis convivis, & ordinandis omnibus quæ ſpectarent totum convivii apparatum. Is etiam exigebat à ſingulis ſymbolas: ut in vita Diogenis, cum ἐρανάρχης inter exigendum à ſingulis quod conferre tenebantur, à Cynico, qui ſe intruſerat in ſodalitium non vocatus, peteret, reſpondit ille verſu Homerico parum immutato, τῶν ἄλλους ἐράνιζε. His explicatis de conviviorum differentia, redeamus ad locum Ariſtidis, ut de quo genere convivii intellexerit, perſpiciatur. Sic enim clarius liquebit quo ſenſu in eo accipi debeat ὁ πληρωτὴς ἐράνου. De ſacrificiis loquitur, & epulis quæ ob ſacrificium & pōſt ſacrificium parabantur. Iis epulis Deos quibus ſacra fiebant intereſſe putabant veteres, Ad ea ſacra invitabantur. Vnde illa apud

pud Poëtas. *Bacche, veni.* Item: *ad tua ſacra veni.* Et alio loco:

Ipſe ſuus Genius adſit viſurus bonores.

Et apud Homerum:

--- Ἦλθε δ' Ἀθήνη
Ἱρῶν ἀντήσουσα.

Item de Neptuno, ut intereſſet ſacro ſibi apud Aethiopas parato:

--- Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας,
Ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης.

De ipſo Iove alibi dicit, eum cum cæteris Diis ad epulum ſacrificii ſibi facti profectum eſſe.

Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.

Cum diis ſacrificabant, ad epulum ſacrificii invitare ſolebant amicos, & familiares ſuos. In iſtiuſmodi epulis ſacrificiorum cauſa factis, nulla collatio in commune fieri ſolita, nullæ ſymbolæ in medium à pluribus datæ, nulla *ἰσοτελὴς κοινωνία* ſumptuum locum habuit. Ipſe qui ſacrificium faciebat, epulum etiam apparabat ſuis impenſis. Deus autem, cui ſacrum illud celebrabatur, & propter quem epulum ſacrificii cauſa inſtruebatur, non ſolum tanquam conviva intereſſe ſacratis ſibi epulis exiſtimabatur, ſed tan-

tanquam ἑστιάτωρ habebatur. Nam paſcere convivas ille Deus, & convivium ipſe exhibere videbatur, cuius in honorem id ſacrificium factitabatur, & ex cauſa ſacrificii epulum. At Serapidi hoc præcipuũ prætercæteros Deos dabatur, ut in omnibus aliorũ deorum ſacrificiis, & ſacris ſollemnibuſque epulis, ipſe quaſi ἑστιάτωρ crederetur, & ἐράνου πληρωτὴς, & συμποσίαρχος. Quæ tria apud Ariſtidem idem ſignificant: καὶ περιϊστάμενοι δαιτύμονα αὐτὸν, καὶ ἑστιάτορα. ὥστε ἄλλων ἄλλους ἐράνους πληρούντων, κοινὸς ἁπάντων ἐράνων οὗτός ἐστι πληρωτὴς, συμποσιάρχου τάξιν τοῖς ἀεὶ κατὰ ταὐτὸ συλλεγομένοις. De ſacris epulis ſacrificiorum cauſa comparatis ſermo eſt. In quibus, ut dixi, nulla ſtipis collatio nec ſymbolarũ datio in uſu fuit. Qui ſacrificabat, convivium ipſe propriis impenſis dabat. Cuicunque Deo fieret, Serapis in eo ἑστιάτορος, & συμποσιάρχου, & πληρωτοῦ ἐράνου vicem obtinebat. Ergo Ariſtides hoc loco ἔρανον non pro convivio ex ſymbolis parato poſuit, ſed pro epulo ſacro, & ſollemni, quod quiſque in honorem Dei alicuius inſtitueret, vocatis ad hoc amicis, & familiaribus. Nam & ἔρανον Græci uſurparunt pro magnifico & opiparo convivio, quod unus ali-

aliquis ex opulentioribus apparabat, non collatis in unum multorum ſymbolis, ſed ſuis ipſius ſumptibus. Ἐρᾷν quippe, vel ἐράσαι, idem quod profundere, & expendere. Heſychius: ἐράσαι, κενῶν. Idem ἔρανον, εὐωχίαν ſimpliciter interpretatur. Euſtathius in Α. Odyſſ. Εἰ μὴ ἄρα ποτὲ ἀφνειός τις συντελοίη τὸν ἔρανον, ἀσύμβολον δεῖπνον καθίζων, οἷς ἐθέλει. τότε γὰρ πολυτελὴς ἔσται καὶ αὐτὸς, ὥσπερ καὶ ὁ ποιητὴς ἐμφαίνει ἐν τῷ, καθὰ σύες ἐν ἀφνειοῦ ἀνδρὸς ἢ γάμῳ ἢ ἐράνῳ ἢ εἰλαπίνῃ σφαζόμενοι. In alio tamẽ eiuſdem poëtæ loco ubi ſimiliter horũ trium meminit, γάμου, εἰλαπίνης, & ἐράνου, vocem ἔρανον pro convivio quod de ſymbolis adornatur, acceperunt Grammatici. Illud certum eſt, ex eo loco & proprietate nominis, ἔρανον quamlibet largitionem, & donationem collationemque ſignificare, ſive ea à pluribus in unum quemlibet, & ad rem unam aliquam fiat, ſive ab uno in plures. Et ſic convivium unius ſumptibus paratũ ad plures cõvivas excipiẽdos, æq; ἔρανος Græce vocatur, ac ex multorũ collatione & ἰσοτελεῖ κοινωνίᾳ inſtructum. Pollux Rhetor qui æqualis fuit Ariſtidis, in Onomaſtico, ἔρανον poſuit pro quolibet epulo, ut Ariſtides, & hæc omnia tanquam ſynonyma recenſuit, συμποσίαν,

ποσίαν, συσσιτίαν, εἰλαπίνην, ἔρανον θίασον, ἑστίασιν, σύνδειπνον, θοίνην, & ξενισμὸν, ut ſupra notavimus. Apud Athenæum lib. VIII. ἔρανος de qualibet largitione, vel dono, ſive munere dicitur, de Stratonico qui cum Rhodo ſpecimē artis dediſſet, nemine vel minimo plauſu cū proſequente, cū hoc dicto ab urbe exiit, ὅπου τὸ ἀδάπανον οὐ ποιεῖτε, πῶς ἐγὼ ἐλπίζω παρ' ὑμῶν ἔρανον λήψεσθαι; Sed veriſimile eſt, hunc, ἔρανον non potuiſſe à Rhodiis accipere niſi ære collato. Ideo Heſychius ἔρανον, in hoc ſignificatu, τὸ ἐκ συνεισφορᾶς δῶρον interpretatur. Certe ſi vel unus donum det, id etiam ἐράνου nomine, ἀπὸ τοῦ ἐράσαι, hoc eſt, fundere ac largiri, poteſt appellari. In eraniſtarum de ſymbolis epulatione & compotatione, ſicut iam docuimus, ἑστιάτωρ nullus eſt præcipuus, ubi omnes ex æquo ſunt ἑστιάτορες. Cum igitur Serapis haberetur convivii ἑστιάτωρ omnium conviviorum quæ propter ſacrificia cuicumque deorum conficienda inſtituebantur, & omnium ἐράνων idem πληρωτὴς, & συμποσίαρχος, non poteſt aliter accipi ἐράνου πληρωτὴς, quam συμποσίου πληρωτὴς, id eſt, de eo qui cogeret & conciliaret convivas ad epulum ſacrificii. Quod munus fuit ſympoſiarchi, & domini, qui ſacri-

ſacrificabat, & amicos ad convivium invitabat. Nam & ϛυμπόσιον πληρῶσαι, docet Pollux idem eſſe quod ϛυϛῆσαι, & ϛυγκροτῆσαι. Et cum ἔρανος idem prorſus ſignificet quod ϛυμπόσιον, ἔρανον πληρῶσαι idē omnino quod ϛυμπόσιον πληρῶσαι. Sed & ἐρανάρχης & ϛυμποσιάρχης idem. Durat adhuc, & adeo penitus illis inhæret hæc opinionis lues, ut non videatur poſſe elui. *Hic autem*, inquiunt, ἐρανάρχης ſive ἐράνου πληρωτὴς, *etſi convivium inſtruebat ære collaticio, aliquando tamen aliquid de ſuo addebat, quo lautius id eſſet.* Illud *aliquid* nihil eſt, & iſtud *aliquando* non magis ad rem. Poterat ſane ſi vellet, vel totum convivium ſuis impenſis parare. Nemo puto eum impediſſet. Sed aliud eſt, cum more agitur communi & pervulgato ſymbolarum, aliud cum aliquis munifice liberalis præter ius ac morem eſſe cupit. In ſymbolis conferendis cum placeret ita convivari ad hoc coëuntibus, omnes erant ἰσοτελεῖς. Qui præficiebatur epulis curandis, ſive is *ſympoſiarcha* proprie ut dixi appelletur, ſive *eranarcha*, cū ſit idem utrumq;, minus etiam expendere debuit quam cæteri aut plane nihil, cum operam ſolus inſumeret inſtruendo convivio. Hoc æquum ſane fuit, im-

immunem eum curare & laborare. At vero iniquiſſimum, ad laborem ſumptũ etiam addere, & unum præter cæteros non ſolum ſatagere, ſed etiam plus quam alios impendere. *Qua in re tamen*, inquit vir doctus, *ſi ſumptum maximum faciebat, eum dicebat Ariſtoteles lib.* IV. *Nicomachiῶn, cap.* II, *eſſe* βάναυσον, *qui vellet* λαμπρύνεσθαι περὶ μέλος, *& magnificus videri in re à magnificentia alieniſſima, nempe in convivio, quod hominum qui ſimul eſſe volebant familiariter & hilarè, ſymbolis inſtruebatur,* οἷον ἐρανιστῶν ἑστιῶν γαμικῶς, *ut ait Ariſtoteles.* Sed hęc ipſa quæ adfert conferunt multũ ad eius ſententiam falſi arguendam. Ex his quippe quæ dicit Ariſtoteles conſtat non moris fuiſſe, ut eranarcha convivium ex ære collatitio inſtruendum, ſplendidius apparandum curaret quam ferret ſymbolarum ratio, utque de ſuo quidquam adderet, cum βαναυσίας eum qui id faceret, inſimulet philoſophus. Si lautior apparatus eſſet factus quam paterentur ſymbolæ collatæ, proclive fuit hyperocham à ſingulis pro rata portione exigere. Sed poſſit etiam exiſtimari, ſymbolas non ante ſuetos conferre, ſed cum placuiſſet de ſymbolis cœnare aut prandere, uni dabatur nego-

tium convivii quã poſſet fieri lautiſſime parandi. Finitis epulis ratio ducebatur quantum expenſum fuiſſet, tum à ſingulis ęqualiter ſua pars ſumptuum exigebatur à Sympoſcarcha. Hoc erat ſymbolam conferre. Quocunq; modo aut tempore, ante an poſt convivium id fieret, ἰσοπλεῖς omnes qui de ſymbolis erant, conſtat fuiſſe. Quos autem eo loco Nicomachiã ἐρανιστὰς appellat Ariſtoteles, hi non erant ſymbolarum collatores, ſed ſodales ex collegio erant, ut Salmaſius iam recte docuit. Ἐκ συμβολῶν, vel ἀπὸ συμβολῶν δεῖπνον, vocabatur quod ex collatione ſymbolarum conficiebatur, non ἐξ ἐράνων. Nec ἐρανιστὰς Græci vocare ſolent eos qui de ſymbolis cœnarent, ſed eos tantum qui ex ſodalicio ἐρανιστῶν fuere. Non etiam convenit, id quod Ariſtoteles ibi ſcribit de adoleſcentibus luxurioſis, & ſumptuoſis, qui coibãt ad epulandũ ex ſymbolis. Nihil illi parcunt quin quam lautiſſimus & maxime opiparus exeat epularum paratus. Ariſtoteles vero exemplum illud affert, de illis qui præter rem & rationem in parvis rebus, quæque liberalitatem non poſtulant, nec magnificentiam, quam maximos ſumptus faciunt, in hoc ſolum ut divitias oſtentent.

tent. Hanc igitur ϐαναυσίας notam eſſe ſcribit, cum quis ἐν τοῖς μικροῖς τῶ δαπανημάτων πολλὰ ἀναλίσκει, καὶ λαμπρεύεται παρὰ μέλος, οἷον ἐρανιςὰς γαμικῶς ἑςιῶν, καὶ κωμῳδοῖς χορηγῶν ἐν τῇ παρόδῳ πορφύραν εἰσφέρων. Primũ illud ἑςιᾷν, non convenit ſymbolarum collatoribus, vel de ſymbola cœnantibus. Nullus enim ibi præcipue ἑςιάτωρ. Nemo ἑςιᾷ, ſed omnes in commune ἑςιάτορες, omnes pro virili impenſarũ partẽ ſuſtinent quæ in epulas inſumuntur. Hic autem ſermo eſt de eo, qui omnes ἐρανιςὰς ita pollucibiliter accipit, ac ſi nuptiale cõviviũ appararet. Id igitur intelligendũ de illo qui convivium ipſe exhibebat propriis ſumptibus nõ ære collato. Nam hic plane ἑςιᾷν dicitur, id eſt, paſcere, & ἑςιάτωρ vocatur. Ἐρανιςαὶ autem ſunt ſodales ex collegio eraniſtarum, quos unus è collegio ſplendidè accipit. Ne eum quidem ἐρανάρχην fuiſſe aut ϛυμποσιάρχην philoſophus ait, ut in collegio ſemper aliquis electus aut ſorte ductus conſtituebatur totius corporis magiſter, vel præfectus. Sed omnis qui pluribus præbet convivium, is ϛυμποσιάρχης, & ἑςιάτωρ, ſine electione aut ſortitione, iure ſuo. In omnibus collegiis & ſodaliciis hæc ſemper olim conſuetu-

do viguit, & præcipue in Græciæ civitatibus, ut qui eſsēt in eo corpore & ordine ditiores, ſæpe collegii ſodales cæteros cœna ſaliari exciperent, vel ambitionis cauſa, & ad oſtendandas opes, vel etiam gratiæ promerendæ inter collegas, & potentiæ colligendæ. Apud Theophraſtum aliquis δημότας accipit, ex populariũ numero, in charactere μικρολόγου, καὶ ἑστιῶν δημότας, μικρὰ τὰ κρέα κόψας παραθεῖναι. *Et populares paſcens, minuta opſonia per particulas cæſa apponere.* Hæc *cœna popularis* Plauto dicitur, in Trinummo. Ἑστιάτορες abſolute vocabantur huiuſmodi opulenti homines, qui aut δῆμον ſuum, aut φρατρίαν, aut etiam plebem univerſam publico epulo exciperent, ut in illo ipſo Ariſtotelis qui allegatus eſt Nicomachiôn loco, οἷον εἴπου χορηγεῖν οἴονται δεῖν, ἢ καὶ τριηραρχεῖν, ἢ καὶ ἑστιᾶν τὴν πόλιν. Etiam in hoſpitum ſuſceptione μεγαλοπρέπειαν ſuam oſtendebant opulenti. ξενισμὸν vocabant. Unde ξένισις inter nomina conviviorum & epularum ſplendide apparatarum in Onomaſtico Pollucis, lib. VI. cap. 1. Ariſtoteles eodem capite & libro Ethicorum ad Nicomachum, ξένων ὑποδοχὰς appellat. Convivium quod ſodalibus ab uno ſodalium dabatur, *ſodalicium* vocat

cat auctor Rhetoricæ ad Herennium lib. IV. in Notatione, ut iam ſupra diximus: *Dum hæc loquitur, venit in ædes quaſdam in quibus ſodalicium erat futurum, quod iſte pro notitia dōnædii ingreditur, perſpicit argentum quod erat expoſitum. Viſit tricliniũ ſtratum.* Ergo apud Ariſtotelem ὁ ἑστιῶν γαμικῶς ἐρανιστὰς, de eo debet accipi qui ſodales collegii eraniſtarum æque ſplendido ac ſi nuptias celebraret convivio excipit. Munificentiæ in eraniſtis exceſſum βαναυσίας, non μεγαλοπρεπείας, argumentum habere viſum eſt Ariſtoteli, quia magnificētia in ſodalicio eiuſmodi convivio non adeo requirebatur, ut in eo quo tota civitas exciperetur, aut quo nuptiæ celebrarentur. Paraphraſtes eorum Ethicorum, qui Heliodorus eſt Pruſæus, non Andronicus, ita reddidit, οἷον ἐρανιστὰς ἑστιᾷ πολυτελέστατα ὥσπερ εἰ γάμους ἐποίει. Quod recte converſum eſſe ab Andronici doctiſſimo interprete contendit vir alter ille doctiſſimus: *Talis eſt, exempli gratia, qui nuptiali apparatu eos excipit, qui ſymbolam in cœnam contulerunt.* Non miror ita illi hæc recte converſa videri. Similia ſibi quærit olla olera. Sed miror, viris ingenioſiſſimis & doctiſſimis hæc potuiſſe in mentem venire, ut quiſquã ἑστιῶν

dici poſſit aut videri, id eſt, convivio excipere aliquos, qui in cœnam ſymbolas contulerint. Aequalem omnes partem ſumptus in convivium facti ſuſtinent, nemo magis ἑστιάτωρ inter cæteros quam quilibet ex corpore, cum æqualiter cuncti contulerint. At ille ἑστιᾷ, qui convivium exhibet ſuo ſumptu, hoc eſt, ut loquuntur Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, *qui paſcit*. Profecto ita ἑστιᾷ ἐργανιστὰς, id eſt, ſodales eraniſtas unus aliquis è collegio apud Ariſtotelem, ut apud Theophraſtum loco citato unus populariũ δημότας ſuos ἑστιᾷν dicitur. Falſiſſimum eſt igitur quod ibidẽ adiicit eloquẽtiſſimus Advocatus, *Ibi ἐργανιστὰς eſſe qui ἔρανον & ſymbolã ad convivium celebrandum contulerunt, & ἐργάνου μετέχουσι. Quemadmodum etiam ἐρανισταὶ dicuntur qui in collegium ἐρανιστῶν conferunt, & ideo ἐργάνου, id eſt, commodorum quæ ex ea ſocietate percipiuntur, participes ſunt.* Et quæ hic dicit, & quæ præcedenti capite ſcripſit eodem pertinentia, à vero prorſus ſunt aliena. Ἔρανος non eſt ſymbola. In cœna ex ſymbolis facta nullus eſt peculiaris ἑστιάτωρ, quamvis unus ſit ζυμποσιάρχης, qui curam habet apparandi epuli. Ἐράνου μετέχειν dicitur, non qui particeps eſt commodorum quæ percipiuntur ex col-

collegio, ſed qui ipſius collegii pars eſt. Sic φρατρίας μετέχειν, apud Harpocrationē, qui unus eſt τῶν φρατόρων. Φράτορες δὲ, inquit, οἱ τῆς αὐτῆς φρατρίας μετέχοντες. Apud eumdem, οἱ τῆς συμμορίας μετέχοντες, omnes συμμορῖται. Sic πόλεως μετέχειν, & δήμου μετέχειν, qui populi pars eſt, ac civitatis iure fruitur. Heſychius: Δημοτεύεσθαι, δήμου μετέχειν, καὶ πολιτείας, κατὰ νόμον. Id eſt, κοινωνεῖν. Qui eiuſdem ſunt κοινωνίας, μετέχοντες, & κοινωνοῦντες, iidem. Sic τελετῶν μετασχεῖν apud Ariſtidem omnes myſtæ dicuntur, qui myſteriis initiati ſunt. Ab illa quæ inter unius corporis & collegii ſodales intercedit κοινωνία, & conſortio, τὸ κοινὸν ἐρανιστῶν Polluci lib. VIII. cap. XIII. Ita in nummis κοινὸν Βυζαντίων. Etiam κοινωνία pro eodem occurrit. Cum plures in eamdem rem conferunt, κοινωνία etiam dicitur, ut apud eumdem Pollucem, ἰσοτελὴς κοινωνία eraniſtarum, ubi omnes æqualem portionem pro virili conferunt. Κοινωνία Κορινθίων, etiam in nummis viſitur, & κοινωνικαὶ σύνοδοι, apud Stephanum in voce πάτρα, & κοινωνία ἱερῶν. In omnibus huiuſmodi cœtibus ἑταιρικοῖς, ſollemne fuit convivia celebrari omnium collegii ſociorum,

ſive ab uno præberentur propriis ſumptibus, ſive in commune ex pecunia communi fierent. Ioſephus Antiquitatum XIV. Καὶ γὰρ Γάϊος Καῖσαρ ἐν τῷ διατάγματι κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὰ πόλιν, μόνους Ἰουδαίους οὐκ ἐκώλυσεν οὔτε χρήματα συνεισφέρειν, οὔτε σύνδειπνα ποιεῖν. Agapæ quoque primorum Chriſtianorum ab his ἑταιρικοῖς conviviis non longe abibant, & parum abeſt quin eamdem cauſam, & originem habuerint. Cum enim pauci eſſent Chriſtiani in ſingulis urbibus circa initia naſcentis Eccleſiæ, quicumque Chriſto nomen dederant, quaſi unum conſtituebant & conflabant ἑταιρικὸν σύστημα, iiſdem ſacris participantes, una conviventes, & communem arcam habentes. De quibus nos alibi. Sciendum eſt autem ἐρανάρχην proprie appellatum fuiſſe qui præerat collegio eraniſtarũ, & improprie à Diogene Laërtio ſic dictum qui præficiebatur convivio ex ſymbolis facto, quem συμποσιάρχην optimi auctores nominarunt. Recte autem Harpocration notavit ἐρανάρχην vulgo etiam ſua ætate vocitatum qui magiſter erat collegii eraniſtarum.

CAR.

CAP. IV.

Salmaſii emendatio in lege Solonis de ſocietatibus & collegiis defenſa. Non ea tantum parte legem illam fuiſſe mendoſam, quæ nunc pluribus locis emendatur. Quinam fuerint ἱεροποιοὶ, *&* ὀργεῶνες *Atticis. De diviſione corporum* πολιτικῶν *Athenis inſtituta in* φυλὰς, φρατρίας, *&* γένη. *Multa de his quæ hactenus ignorabantur, notata. Theophraſti teſtametum emendatum. Ariſtoteles in Politicis correctus. Plurima alia, toto capite explicata & illuſtrata.*

COLLEGIORUM mentio ſuperioribus capitibus facta, & eraniſtarum ſodalicium pertractatum in memoriam mihi revocarunt emendationem Salmaſii in lege Solonis de collegiis, quæ ſemper mihi ſummopere probata eſt, quantúvis viris doctis aliquot improbata ſit. Quos inter celeberrimus noſter Advocatus peſſimam eam pronuntiare non eſt veritus. Ita ut nihil excogitatum ſit à doctiſſimis hominibus ad eam legem illuſtrandam, quod à Solonis mente & recta ratione non ſit multo alienius quam vulgata eſt lectio illius legis, ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι. Quæ cum ſint valde aliena à Solonis mẽ-

te, & tota legis ſententia, certe iudicio Advocati alieniſſimum à vero rectoque eam Salmaſii coniecturam eſſe oportet. Sed an ita ſit, ut ſibi perſuaſit, iam hic videbimus. Lex illa tractat de variis collegiis, & ſodaliciis, non ſolum ſacrorum, ſed etiam aliarum rerum cauſa inſtitutis. Alia quippe collegia ſunt, ex diverſi generis & conditionis profeſſioniſque hominibus compoſita, ut collegium ἐρανιςῶν, de quo in præcedentibus defenſionibus actum eſt. Alia ſunt eiuſdem nationis, vel populi, ut δημόται apud Atticos. Alia eiuſdem cognationis, ut γενῆται primitus apud eoſdem, & ὁμογάλακτες. Alia eiuſdem cenſus, ut ζυμμορῖται. Ditiſſimi quippe Athenis in ζυμμορίας, diviſi erant. Alia eiuſdem miniſterii ad ſacra obeunda, ut ἱεροποιοὶ, & ὀργεῶνες, ut apud Romanos collegium Pontificum, Augurũ, fratrum Arvalium, & ſimilium. Alia eiuſdem artis, ut collegium fabrum, & ſimilium. Alia eiuſdem negotiationis, ut mercatorum. Hæc ſufficiat exempla collegiorum retuliſſe, ut via muniatur ad explicandam & emendandam illam Solonis legem, quæ habetur in leg. IV. D. de collegiis. Eam de collegiis eiuſmodi variis, qualia ſupra memo-

memoravimus, quæque Græcis ἑταιρεῖαι dicuntur, agere conſtat. Ergo inter eas ἑταιρείας, quæ Athenis illo tempore quo Solon eam legem tulit, cognitæ fuerunt, una extitit, ἐπὶ λείαν οἰχομένων. Sic enim in Pandectiis Florentinus legitur. Pro quo habent Baſilicῶn libri, ἐπὶ λείαν ἐρχόμενοι, alii etiam ἀρχόμενοι. Quodnam iſtud collegium aut corpus fuerit Athenis, aut quo nomine vocaretur qui ad prædam exibant, prorſûs neſcio. Quod ait nobiliſſimus Advocatus, ad prædam ex hoſtibus quærendam eorum initam fuiſſe ſocietatem, non legi apud veteres Græcos, nec Romanos tale collegium nominatum. *Poſſunt*, inquit, *iniri ſocietates, non modo ad merces comparandas, & è peregrinis regionibus advehendas, aut eo tranſportandas, ſed ad prædam etiam ex hoſtibus quærendam, aut ad utrumque ſimul, quæ ſocietatis genera neque hodie ſunt incognita.* De ſocietate ineunda ad merces comparandas, & exportandas è regionibus peregrinis, aut tranſportandas ad exteros, nihil eſt dubiũ quin pactio fieri poſſit, & quin talis ſocietas etiā olim cognita fuerit, ſed de ea quę contrahitur ad prædam ex hoſtibus agendā, nō eſt quæſtio an talis poſſit iniri, ſed an inita aliquādo ſit, ſive apud Græcos ſi-

ve apud Romanos. Hoc certe eſt, de quo nihil me fando audiſſe, aut legendo cognoviſſe fateor. Non enim hic tantum quæritur, an ſocietas huiuſmodi inter aliquos homines aliquando contracta ſit, aut contrahi etiam nunc queat, ſed an collegium certum, ἑταιρεία ſtata, certorum hominum numero definita, cui lege Solonis coire licuerit, & pactionem inter ſe, totum corpus obligaturam, ſibi ferre. Si fuit tale Athenis collegium quomodo vocabatur? Nam qui negotiationis cauſa coibant, ἔμποροι dicebantur. Qui prædæ cauſa corpus collegiumque legitimum conflabant, quo nomine vocari fas fuit? Λῃσταὶ certe, ſi quid Græce ſcio, poterant nuncupari, Latine *prædatores*. Sed quo ex genere civium ſumebantur? Vtrũ ex opificibus, an ex aratoribus, an ex politicis, an vero ex militibus? Ex his potius fuere. Ergo militum hæc ἑταιρεία, quibus legitimas ex hoſtibus prædas agere licuit. Sed quis unquam audivit, in militia Romana aut in Græca tale inter ſe coiiſſe ſodalicium milites, ut ad prædam ex hoſtibus abactã participandam collegium conſtituerent, legibus licitum? Fuere & quædam prædonum piratarumque & latronum collegia,

gia, ſed illicita, ſed in perniciem civium collecta, & omni ope exterminanda. Et tamen ſi ullum ad prædas faciendas collegium olim coiit, horum prædonum fuiſſe neceſſe eſt. Non enim civium in Republica bene conſtituta, & bene morata, tale unquam collegium uſurpatum eſſe, aut licitum extitiſſe crediderim. Sed ponamus in gratiam doctiſſimi Advocati, Athenis ætate Solonis prædatorum & prædonum ex civibus coalitum lege permiſſum conſtitiſſe aliquod collegium. Quid eſt, ἐπὶ λείαν οἴχεσθαι? An οἱ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, qui ad prædas agendas abeunt, illam ſocietatis aut collegii ſignificationem indicant? Multi prædatum eunt, qui tamen quod capiunt ſibi ſervant, nec aliis cōmunicant. In aliis ἑταιρείαις quarū mentio extat in eadē lege Solonis, ipſa ſocietas nomine ipſo eorū qui ibi vocātur, indicatur, ut ὁμόταφοι, σύσσιτοι, φράτορες, & alia. Ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, ut εἰς ἐμπορίαν, nihil κοινωνικὸν deſignant. Poſtremo quæ ſimilitudo, τῶν ἐπὶ λείαν οἰχομένων, & τῶν εἰς ἐμπορίαν, ad prædas agendas euntium, & ad mercaturam proficiſcentium? Οἴχεσθαι denique verbum his rebus parum convenire, Græce periti facile mihi conceſſerint. Viderunt hoc niſi fallor, & Græci, qui

qui βασιλικὰ ex iure Romano Iuſtiniani, pandectis, Codice, & Novellis compoſuerunt, & pro οἰχόμενοι repoſuere ἐρχόμενοι. Quod ne ipſum quidẽ ſatis rectum videtur nec ſatis Atticum, cum nec ullam κοινωνίαν ſicut debuit exprimat. His omnibus permotus rationibus Salmaſius, pro ἐπὶ λείαν, corrigendũ indicavit, καπηλείαν. Nihil magis alienum potuiſſe excogitari à mente Solonis & recta legis ſententia viſum eſt doctiſſimo ac celeberrimo Advocato. Quid? An ſodalicium collegium prædandi cauſa coitum, magis videbitur conſentaneum rectæ rationi, & legi Solonianæ ſenſui, quam negotiationis cauſa inita ſocietas? An etiam negotiatorũ & inſtitorũ rationem minus convenire cum mercatura putabit quam prædarum agendarum licentiam? Atqui apud veteres Atticos, & priſcos alios Græcos hæc duo ſemper coniunguntur, κάπηλος & ἔμπορος. καπηλεία & ἐμπορία. Κάπηλοι illi nõ ſunt caupones, ne quis erret, ſed inſtitores ac propolę qui à mercatoribus emunt magnariis quod per partes in foro vendant. Ἔμποροι ſunt qui navigant, & per averſionem emunt ac vendunt merces. Κάπηλοι ab ἐμπόροις emunt, & fora mercium vendendarum gratia circumeunt.

Vn-

Vnde *circumforanei* vocantur Latine, & *propolæ*. Græci ἀγοραίους etiam nominant, quos ita cum ἐμπόροις Ariſtoteles coniunctos aliquot locis proponit, ut alii καπήλους & ἐμπόρους, in Oeconomico. Xenophon καπηλείαν, & ἐμπορίαν, prorſus ita iunxit, ut lex Solonis ex emendatione Salmaſii correcta. Sic enim in libro περὶ προσόδων ſcribit, ὥστε πολλοὶ ἀφικνούμενοι τὴν γῆν ἐργάζεσθαι, ἐπ' ἐμπορίας, καὶ καπηλείας, καὶ τοκισμοὺς τρέπονται. Negotia vertit Mela in verbis Herodoti de Aegyptiis Latine expreſſis, αἱ μὲν γυναῖκες ἀγοράζουσί τε, καὶ καπηλεύουσι. *Forum curant & negotia fœminæ*. Suidas καπηλείας, ἐμπορίας. Paſſim, ut Salmaſius iam notavit, κάπηλος & ἔμπορος, καπηλεία & ἐμπορία apud Græcos iunguntur. Nec alteri ſine alteris eſſe poſſunt, cum mercatores magnarii, qui ſunt ἔμποροι, habere debeant καπήλους quibus ſua vendant, & iſti ἐμπόρους, à quibus emant. An potuit ergo probabilior coniectura excogitari quam quæ καπηλείαν conciliaret cum ἐμπορία, in lege Solonis, cum in vita iſtæ profeſſiones ita individuæ ſint altera alterius comites, ut ſeparari nequeant? An vir doctiſſimus hanc emendationem nimis longe petitam, & à veſtigiis lectionis vulga-

tæ nimis remotam putavit ? Quid vero propius quam ex ὀπὶ λείαν, facere καπηλείαν? An ipſius correctio in eadem lege magis premit veſtigia ſcripturæ vulgaris, qua ὀργίων μύσται repoſuit, pro ὀργίων ἢ ναύτῃ, vel ut alii habent, ὀργίων μίωνται? An ignoravit quod eſt veriſſimum certiſſimumque, quæ leguntur Græcorum teſtimonia in libris Latinis, ea depravatiſſima circumferri, in quibuſdam exemplaribus in totum non legi? Exemplo ſit decretum Ephororum adverſus Timotheum, quod apud Boëthium ita mendoſum à librariis relictum eſt, ut nullum in eo ſanitatis, aut ſinceritatis priſtinæ veſtigium appareat. Talia omnia ſunt quæcunque reperiuntur apud auctores Latinos, citata aliquando ex Græcis auctoribus vel ſingula vocabula, quæ nunquam ferme ſine labe aut vitio deſcripta extant. Vehementer etiam errant, ſi putant, hac tantũ parte inquinatam ad nos perveniſſe hanc Solonis legem. Planum mox faciam, aliquot adhuc locis reſtare vitioſam. Hic ipſe locus nondum perſanatus eſt totus, ſed dimidiatim tantum à Salmaſio reſtitutus. Nam quid eſt; εἰς καπηλείαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμποϱίαν? Sic enim legunt Pandectæ Florentinæ. Sed omnino

omnino reſcribendum, ἢ καπηλειῶν κοινωνοὶ, ἢ ἐμπορειῶν. Iam hic habemus collegium καπήλων & ἐμπόρων, ſive καπηλειῶν & ἐμπορειῶν. Nam ita dixit Xenophon numero multitudinis, εἰς καπηλείας καὶ ἐμπορείας τρέποντοι. Idem autem κοινωνία quod collegium, vel ſocietas ſodalicia. Vnde in nummis κοινωνία Κορινθίων. Quod etiam dicitur eodem ſenſu, Κοινὸν Κορινθίων, ut κοινὸν ἐρανιστῶν Polluci. Alio loco apud eumdem κοινωνία vocatur ἰσοτελὴς ἐρανιστῶν. Heſychius: Κοινὸν, δῆμος. Facile autem potuit degenerare vox κοινωνοὶ in οἰχόμενοι, præcipue maiuſculis litteris ſcripta, ut omnes Græcæ dictiones ſolent exaratæ reperiri in libris Latinis. Fortaſſean & qui deſcripſerunt Pandectas Florentinas, haud bene ſuis oculis uſi, ΟΙΧΟΜΕΝΟΙ legerunt pro ΚΟΙΝΩΝΟΙ. Si vetuſtior eſt corruptela, non hoc etiam mirandum. Alioquin ex editæ lectionis veſtigiis haud paulo melius emendatũ videretur, ſi quis reſcribetet, καπηλείαν μετοιχόμενοι, ἢ ἐμπορείαν: vel μετερχόμενοι, id eſt, μετιόντες, *cocionaturam exercentes, & mercaturam*. Sed omnino vocabulum reſtitui neceſſe eſt, quo deſignetur ſocietas vel collegium. Longe maioris momenti maculæ occuparunt

illam legem, de quibus ne ſuboluit quidem acutiſſimo & naſutiſſimo Iuriſconſulto. Statim in ipſo principio, ἐὰν ἢ δῆμος, ἢ φράτορες. Quo ſenſu Δῆμος ibi appelletur, non video. Nam Δῆμος, univerſus eſt civitatis populus. At in hac lege tractatur de variis cœtibus, & coitionibus corporum; quæ partes ſunt civitatis. De Athenarum urbis *Demis* loqui voluiſſe Solonem certum eſt. Hi pagi ſunt ſive vici, & κῶμαι, ut Græci interpretantur Grammatici, quibus olim ſeparati habitabant Athenienſes. Hos vicatim diſperſos ita in unam urbem contraxiſſe traditur Theſeus, ut tamē nomina Δήμων remanſerint, & cuiuſque pagi ſive Δήμου populi quaſi unum corpus collegii ab aliis ſeparatum & diſcretum conſtituerint. De his ergo intellexiſſe Solonem in hac lege certum eſt, & δῆμοι in hac ſignificatione, ſunt συστήματα πολιτικά, non ἑταιρικά. Numero ergo multitudinis ſcribendum, Ἐὰν ἢ δῆμοι, ἢ φράτορες. Sed nec δῆμοι videntur reponendi pro ipſis vicorum ſive pagorum collegiis ac corporibus. Nam tota lege nuſquam ipſa corpora nominantur, ſed corporati. Non dixit φρατρίας ſed φράτορες: non συσσιτίας, non θιάσους, ſed θιασώτας, & συσσι-

συσσίτους. Putem igitur legendum cum accentu in ultima, ἐὰν ἢ δημοὶ, ἢ φράτορες. Ubi δημοὶ ſunt δημόται, veteri lingua Attica qua Solon uſus eſt. Heſychius: Δημὸν ἐόντα, ὀξυτόνως δημότην, καὶ ἕνα τῶν πολλῶν. Ex Homero eſt illud, Δημὸν ἐόντα. Stephanus in Ethnicis: Δῆμος παρ' Ἀθηναίοις, ἡ κώμη, καὶ ἡ τοῦ πλήθους συλλογὴ, καὶ τὸν ἕνα δημότην. οὐ μὴν ἔοικε Δημὸν ἐόντα. Sic μῖμος eſt imitatio, μιμὸς imitator. Cum igitur conſtet de Demis, id eſt, particularibus πολιτικοῖς συστήμασι urbis Athenarum loqui Solonem, δῆμος non poteſt ſingulariter ibi locum habere. Nam abſolute cum dicitur δῆμος, intelligitur de univerſo populo, τὸ ὅλον ἔθνος, ut ſcribit Stephanus. Sic Δῆμος Ἐρεχθῆος apud Homerum totus Athenienſis populus. Quæ ſequuntur in eadem lege, longe ſunt deploratiſſima, ἢ φράτορες, ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ ναῦται. Græci βασιλικῶν auctores quum Pandectas in Græcum ſermonem converterent, & viderent hos ναύτας non poſſe hic locum habere, correxerunt, ἢ ἱερῶν ὀργίων μηνυταὶ, ut de his intelligeretur qui orgia ſive ſacra oſtendunt, & interpretantur. Vt in veteri inſcriptione Gruteriana, *Oſtenderunt Cryphios*. Doctiſſimus Advocatus qui correxit ἱερῶν ὀργίων μύσται, ni-

tmis abit longe ab utraque lectione tam ea quam Baſilicorum interpretes commenti ſunt, quam ea quæ reperitur in Pandectis Florentinis. Præterea nuſquam legimus, σύστημα ἱεραρχικὸν vel collegium myſtarum Athenis fuiſſe. Μύσται vocabantur omnes qui initiati erant myſteriis. Vnde & *Symmeyſtæ*. Mentio eſt in veteri inſcriptione συνόδου τῶν μυστῶν. Sed rerum Atticarum ſcriptores non memorant nullam ἑταιρείαν hoc nomine Athenis notam. Deinde quod ait corrector, hanc à ſe proditam lectionem propius abeſſe à ſcriptura Baſilicorum, quæ habet μλωνται, ineptum eſt ea ratione niti. Nam ſi ita repererunt in libris Iuſtinianis Baſilicorum auctores, non ſollicitanda fuit ea lectio. Sin vero ipſi eam confinxerunt ex corrupta ἢ ναῦται, non eſt allleganda ea ſcriptura quaſi germanæ ac veræ lectionis veſtigia oſtentet. Cæterum non in hoc tantum vitiũ eſt, ſed in eo etiam quod ἱερὰ ὄργια dicuntur. Nulla quippe ὄργια, niſi ἱερά. Quinimmo ipſa per ſe ὄργια, Grammatici interpretantur, τὰ ἱερά. Heſychius: Ὀργίων, ἱερῶν. Suidas: Ὄργια, μυστήρια, ἱερά. Audaci coniectura, ſed vera, ſic totus locus emaculandus: ἐὰν δὲ δημοι ἢ, φράτορες, ἢ ἱεροποιοὶ, ἢ ὀρ-

ἢ ὀργεῶνες, ἢ σύσσιτοι. Hæc omnia συςήματα κοινωνικὰ, fuere Athenis celebria, partim πολιτικὰ, ut δῆμοι ſive δημόται, & φράτορες: partim ἱερατικὰ, id eſt, religionis & ſacrorum cauſa inſtituta, ut ἱεροποιοὶ, & ὀργεῶνες. Pollux lib. VIII. cap. IX. hæc tria etiam coniunctim recenſuit, ἱεροποιοὺς, ὀργεῶνας, φράτορας. Paulo poſt addit & δημάρχους, qui ſingulorum δήμων fuere magiſtri & præfecti, ut φράτορες ſuos quoque habuere φρατριάρχας, & φυλέται ſive tribules ſuos φυλάρχας. Quod ad ἱεροποιοὺς attinet, decem numero Athenis fuere qui ſacrificia quinquennalia faciebant, τὴν εἰς Δῆλον, τὴν ἐν Βραυρῶνι, τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν, τὴν εἰς Ἐλευσῖνα. Collegiũ igitur, ſive ἑταιρεία hæc, decem ſacerdotes habuit ſacris faciundis quinquennalibus, qualia fuere quæ memorata ſunt. Ὀργεῶνες quoque, ad ſacra quædam obeunda inſtituti, quæ Diis ſive Heroibus de more fierent, peculiare collegium ſive σύλλογον conſtituebant, & una conveniebant eorum ſacrorum gratia celebrandorum. Harpocration: Ὀργεῶνες δέ εἰσιν οἱ ἐπὶ τιμῇ θεῶν ἢ ἡρώων συνιόντες. Ὀργιάζειν γάρ ἐστι τὸ θύειν, καὶ τὰ νομιζόμενα δρᾷν. Eorum in legibus Solonis mentionem fuiſſe factam oſtendit Suidas ex Seleuco, qui in Axo-

nes commentarium ediderat, his verbis: *Σέλευκ☉ ἐν τῷ ὑπομνήματι τ̃ Σόλων☉ ἀξόνων, Ὀργεῶνας φησι καλεῖσθαι τοὺς συλλόγους ἔχοντας περὶ τινας ἥρωας ἢ θεούς.* Quod ait, *συλλόγους ἔχοντας*, collegium eorum ſive *πολιτικὸν σύστημα* peculiare ſignificat conſtitiſſe, quod ſtatis temporibus coibat ad ſacra certis Diis vel Heroibus celebrãda. Inde *ὀργεῶνες* de quibuſlibet ſacerdotibus poëtis uſurpati. Ut in verſu Aeſchyli ex Tragœdia Myſorum.

Ποταμοῦ Καΐκου χαῖρε πρῶτ☉ ὀργεών.

Pollux *Ὀργεῶνας* eos fuiſſe interpretatur qui per ſingulos Demos Atticæ ſtatis diebus certa ſacrificia facerent. *Ὀργεῶνες οἱ κατὰ δήμους ἐν ταχθεῖς ἡμέραις θύοντες θυσίας τινάς.* Harpocration videtur ſentire, poſterioribus Atticis aliud munus habuiſſe Orgeones, vel ſic dictos eſſe quoſdam qui convenirent ut honorẽ defunctis exhiberent. Quod tamẽ quaſi dubitans proponit, & id colligi poſſe ait ex teſtamento Theophraſti. *Μήποτε δὲ*, inquit, *ὕστερον νενόμισται τὸ ἐπὶ τιμῇ τινας τ̃ ἀποθανόντων συνιέναι, καὶ ὀργεῶνας οὕτως ὀνομάζεσθαι, ὡς ἔστι συνιδεῖν ἐκ τ̃ Θεοφράστου διαθηκῶν.* Alios fuiſſe hos Orgeones ab antiquis hoc nomen habentibus ſuſpicatur. Sed fruſtra. Quẽadmodum enim antiqui Attici Orgeones He-

Heroum in honorem & cultum ſtata quædam ac ſollemnia ſacrificia fecie bant, ita etiam ad virorum illuſtrium memoriam colendam & honorandam convenire ſolebant, & ſacra facere ad eorum ſepulcrum, ibique epulari, pecunia præcipue à defunctis ad hoc ipsũ teſtamento relicta, ut hoc fieret. Quemadmodum etiam caverat de ea re teſtamento ſuo Theophraſtus. Mirum tamen, in teſtamento illius philoſophi quod hodie extat apud Diogenem Laërtium nullam haberi mentionem Ὀργεώνων. Debuit tamen ibi extare, & olim extitit priuſquam corrupta eſſent exẽplaria, eo loco qui ſic eſt reſtituendus: Ὅπως δὲ συμμένῃ, μετὰ τὰ περὶ ἡμᾶς συμβάντα περὶ τὸ ἱερὸν, καὶ τὸ μνημεῖον, καὶ τὸν κῆπον, καὶ τὸν περίπατον, ὑπὸ τῶν Ὀργεώνων, συνεπιμελεῖσθαι δὲ Πόμπυλον τούτων ἐποικοῦντα αὐτὸν, καὶ τῶν τῶν ἄλλων ἐπιμέλειαν ποιούμενον, ἣν καὶ πρότερον. Vult, poſt mortem ſuam Orgeonas ad monumentum ſuum convenire, ſacra ibi facere in fano quod extructum ibidem fuerat, cuius & paulo ante in eodem teſtamento fit mentio. Iſti Orgeones iidem omnino fuere qui ſolebant ἐπὶ τιμῇ θεῶν ἢ ἡρώων συνίεναι. Epicurus quoque teſtamento ſuo voluit εἰκάσι menſium ſingulo-

rum ζωόδαν ad ſuum monumentum fie-ri, & memoriam ſuam ab ſectatoribus & diſcipulis epulo celebrari. De ſacrificio & Orgeonibus nihil conſtituit, utpote qui crederet, Deos nihil ſui nec alieni curare. Quam recte autem Ὀργεῶνες in hac lege Solonis coniungantur cũ φράτορσι, ex iis quæ apud Suidam leguntur apparet in ea voce exponenda: περὶ δὲ τῶν Ὀργεώνων γέγραφε καὶ Φιλόχορος· τοὺς δὲ φράτορας ἐπαναγκὲς δέχεσθαι, καὶ τοὺς Ὀργεῶνας καὶ τοὺς ὁμογαλάκτους. *Phratoribus neceſſitatem incumbere recipiendi Orgeonas, & collactaneos.* Qui cives erant, liberos ſuos pueros & puellas inducebant in phratriam, quod εἰσάγεσθαι εἰς φρατρίαν dicebant, & γράφεσθαι εἰς φρατρίαν πατρόθεν. Pollux lib. VIII. cap. IX. περὶ φρατόρων· εἰς τούτους τούς τε κούρους καὶ τὰς κούρας εἰσῆγον, καὶ εἰς ἡλικίαν προελθόντας ἐν τῇ καλουμένῃ κουρεώτιδι ἡμέρᾳ. Idem Pollux in unaquaque phratria eſſe γένη triginta docet lib. III. cap. IV, & unumquodque γένος triginta viris conſtare, qui vocabantur Ὀργεῶνες, & ὁμογάλακτοι. Sed Philochorus apud Suidam clare Ὀργεῶνας & ὁμογάλακτους diſtinxit, & Orgeonas & collactaneos, recipi debere in phratriam dixit. Ex his ſane conſtat, certum corpus & collegium

gium conſtituiſſe Orgeonas, & eorum munus fuiſſe, ſtatis temporibus ſacrificia quædam Diis & Heroibus facere, atque etiam defunctorum memoriã qui ea fieri teſtamẽto caviſsẽt, celebrare. Φυλαὶ, id eſt, tribus, continebant Δήμους. Nam plures in unaquaq; φυλῆ δῆμοι, & φρατρίαι plures. Ex Phratoribus vero erant Ὀργεῶνες. de quibus paulo poſt. Nemo iã non videt, ὀργεῶνες ſcribendum eſſe, pro Ὀργίων ἢ ναῦται. Cum imperiti enim librarii non caperent illos Ὀργεῶνες, pro his ſubſtituerunt, ὀργίων ἢ ναῦται, aut μύσται. Sequuntur in eadem lege, ἢ σύσσιτοι, ἢ ὁμόταφοι, ἢ θιασῶται. De συσσίτοις certum eſt, ut & συσσίτιον, nomen eſſe Atticũ, de contubernio una convivantium. Athenæus lib. 1. ἀγνοεῖ δ' ὅτι ἐν Πλάτωνος συσσιτίῳ ὀκτὼ ἢ εἴκοσιν ἦσαν. Qui ſubiunguntur, ἢ ὁμόταφοι, prorſus alieni ſunt ab hoc loco, ut vitium ſcripturæ clament, inſerti inter συσσίτους & θιασώτας. Non alii ſunt ὁμόταφοι, quam qui iã in eodẽ monumẽto ſepulti ſunt, & cõditi. Nec Corpus aut collegiũ efficere poſſunt uno in loco ſepeliendorum. Non etiã putem tale unquam collegium extitiſſe, qui cum in vita nullã inter ſe κοινωνίαν habuerint, in morte tumuli habere ſocietatem ſaltem voluerint,

luerint. Præterea de illis ὁμοτάφοις altum apud ſcriptores rerum Atticarum ſilentium. Nec audio virum doctiſſimum, qui non melior eſt pravorum corrector quam aliorum cenſor, dum legendū cenſet, ἢ ὁμόκαποι, vel ὁμόκαπνοι. Verbum iſtud Creticum non Atticum. Nam Epimenides Cretenſium legiſlator ὁμοκάπυς vocaverat, quos Charondas ὁμοσιπύυς id eſt, συσσίτυς. Et rididulum eſt, quod addit idem, Epimenide adminiſtro ad leges condendas uſum eſſe Solonem. *Quid ni ergo*, inquit, *Epimenidis dictionem in legem ſuam attulerit?* Non Attice ergo Solon loqui debuit in legibus ſuis, ſed Cretice, quia Epimenide Cretenſi uſus eſt adminiſtro in legibus ſuis condendis. Hæc inepta ſunt, nec merentur refutationem. Præterea cum ὁμόκαποι Cretum lingua iidem ſint qui σύσσιτοι Atticorum, an veriſimile eſt rē eamdē voluiſſe exprimere duobus vocabulis Solonem, uno Attico, altero Cretico? Ego vero corrigendum plane autumo, ἢ ὁμόγαλοι. Iidem ſunt qui & ὁμογάλακτοι. In maiuſcula Græca littera, Τ & Γ non multum differunt. Cum igitur ſcriptum foret, ΟΜΟΓΑΛΟΙ, inde fecerunt ignari librarii Ο'ΜΟ'ΤΑΦΟΙ. Collegium & corpus Athenis fuit

ὁμο-

ὁμογαλάκτων, ut & ὀργεώνων. Polluxquidem eoſdem facit, ſed ex Philochoro liquet, eſſe diverſos, verbis quæ ex Suida ſupra citavimus, τοὺς δὲ φράτορας ἐπάναγκες δέχεσθαι, καὶ τοὺς ὀργεῶνας, καὶ τοὺς ὁμογάλακτας, οὓς γεννήτας καλοῦμεν. Ergo ὁμογάλακτοι Athenis iidem erant, qui & γεννῆται vocabantur. Hi corpus vel ἑταιρείαν faciebant, ut & φράτορες, & unumquodque γένος triginta habuit γεννήτας, ſive ὁμογάλακτας. Sic dicebantur οἱ τοῦ αὐτοῦ γένους κοινωνοῦντες. Ergo hæc κοινωνία ὁμογαλάκτων ex triginta viris conſtitit, qui etiam γεννῆται dicti. Vnaquæque φρατρία triginta γένη habuit, & unumquodque γένος homines triginta ſive triginta γεννήτας. Non omnium tamen γενῶν viri appellati ſunt γεννῆται, ſed proprie, & κατ᾽ ἐξοχὴν, qui ex primo genere fuerunt. Iidem ὁμογάλακτοι vocabantur. Suidas, πάλιν δὲ τῶν φρατριῶν ἑκάστη εἰς γένη διῄρητο τριάκοντα, ἐξ ὧν αἱ ἱερωσύναι ἑκάστοις προσήκουσαι ἐκληροῦντο, καὶ γεννῆται οἱ ἐκ τοῦ αὐτοῦ καὶ πρώτου γένους τῶν τριάκοντα γενῶν, οὓς καὶ πρότερόν φησι Φιλόχορος ὁμογάλακτας καλεῖσθαι. Antea appellabantur teſte Philochoro ὁμογάλακτες. Ec ſic in lege Solonis vocatos apparet. Poſtea nominati ſunt γεννῆται. Et notandum quod ait Suidas, ſacerdotia

dotia γεννήταις ſortito fuiſſe attributa, prout cuique familiæ ſive γένει hæc vel illa aſſignata ſunt. Ex alio nimirum γένει ſumebantur ὀργεῶνες, ex alio ἱεροποιοὶ, ex alio κηρυκες, & ita de cæteris. Et ſic conſtabit ratio Polluci, qui ſcripſit, γεννήτας, ὀργεῶνας & ὁμογαλάκτας fuiſſe appellatos. Triginta γένη cum eſſent in unaquaque φρατρίᾳ, & omnes triginta γενῶν viri dicerentur etiam γεννῆται, omnibus paſſim omnia ſacerdotia attribuebantur, ſed aliis alia, cum tamen omnes ſacerdotes ex γεννήταις ſumerentur. Vt certus numerus ὀργεώνων ſorte ex ſuo γένει capi ſolebat, ita ἑταιρείαν & σύνοδον conſtituebant ſeparatam. Ergo ὁμογάλακτοι proprie appellati ſunt primi γένους γεννῆται ex triginta. Certe eos qui γεννῆται dicebantur, κοινωνικὸν σύστημα compoſuiſſe traditur apud Euſtathium veteris Lexici Rhetorici auctor, ad Iliad. Β. ὅθεν καὶ ἦν τὸ σύστημα κοινωνικὸν οἱ γεννῆται, ἅ ἐστιν ἐκ τῶν γενῶν τῶν συννενεμημένων εἰς τὰς φρατρίας. Ergo & ὁμόγαλοι, vel ὁμογάλακτες, qui iidem cum γεννήταις, fecere κοινωνικὸν σύστημα. Vt hæc paucis clare abſolvantur, ſciendum eſt, ex iſtis collegiis, & corporibus ſive συστήμασιν Atticis, alia fuiſſe πολιτικὰ, alia ἑταιρικὰ ſive ϖεραιρετικά. Prima & ſumma

ma κοινωνία civium fuit univerſorum, iiſdem moribus, inſtitutis, & ſacris utentium. Vnde nomina Κοινὸν, & Κοινωνία, de his etiam uſurpantur, nempe pro univerſi civitatis unius populo. Vnde Κοινὸν Λατίνων, Κοινὸν Βυζαντίων, item Κοινὸν Γαλατῶν in veteri inſcriptione; Κοινωνία Κορινθίων. *Commune Siciliæ* Ciceroni, id eſt, Κοινὸν Σικελίας, ut Κοινὸν Λυκίας, in veteri inſcriptione. Πολίται & συμπολίται dicebantur omnes eiuſdem συστήματος κοινωνοῦντες. Verum hæc univerſalis κοινωνία nihil ad has particulares συστημάτων & collegiorum κοινωνίας, niſi quod omnes ſub ſe comprehendit & continet. Proxime ſequitur, ut maxima omnium poſt univerſalem, τῶν φυλῶν ſive tribuum Athenis diviſio. Antiquitus quattuor tantum fuere. Poſtea decem factæ, poſtremo duodecim. Hæc maxima poſt univerſalem totius civitatis κοινωνίαν, extitere συστήματα κοινωνικά. Vnde φυλίων θεῶν ἱερά. Omnia quippe eiuſmodi συστήματα, parva magnaque, peculiaria ſacra habuerunt, & Deos proprios. Φυλέται dicebantur huius κοινωνίας conſortes. Singulæ porro φυλαὶ plures δήμους ſive pagos habuere. Ex quo rurſus alia συστημάτων diviſio extitit. Singuli quip-

quippe δῆμοι totidem πολιτικὰ & κοινωνικὰ fuere συςήματα, quorum conſortes δημόται appellati. Hæc duo igitur maxima συςήματα Athenis, φυλέται, & δημόται. Stephanus: φυλὴ ἡ καὶ φυλέται πρότερον ὠνομάσθησαν ἐκ τῶν εἰς τὰς πόλεις καὶ τὰ καλούμενα ἔθνη συνόδων γινομένης. ἕκαςον γὰρ τῶν συνελθόντων φῦλον ἐλέγετο εἶναι. Ergo & hoc σύςημα fuit πολιτικὸν, quod & συγγενικὸν fuiſſe credas, ſi fides Grammaticis, qui φυλέτας paſſim interpretantur συγγενεῖς. Φυλέται maiora συςήματα. Deinde Δημόται. Mox & Φράτορες. Pollux hæc tria ſimul hoc ordine iunctim poſuit lib. III. cap. IV. φυλέτης, δημότης, & Φράτωρ. In ſingulis φυλαῖς plures erant δῆμοι, & plures Φρατρίαι. Mirum in hac Solonis lege, δημοτῶν ſive δημῶν, & Φρατόρων fieri mentionem nullam φυλετῶν. Sed hæc ratio videtur afferri poſſe quod φυλαὶ ampliora eſſent συςήματα, quam ut in ἑταιρείας nomen cadere poſſent. Comprehendebant quippe tam δημότας quam Φράτορας. Lex Solonis à *Demotis* tanquā cæterorum omnium corporū maioribus poſt φυλέτας, cœpit. Sua autem ſacra habuere peculiaria, ut aliæ κοινωνίαι, ac epula ſollemnia φυλετικὰ appellata, non ſolum φυλέται, ſed δημόται δημοτικά, &

Φρά-

φράτερες φρατερικά. Nam & φράτερας ἐσιᾶν legimus, & δημότας ἐσιᾶν, in veterum ſcriptis, item & φυλέτας. Et in omnibus eiuſmodi κοινωνίαις & ζυςήμασιν alii ſponte ſua toti collegio convivia exhibebant, oſtentandæ munificentiæ ſuæ, alii neceſſitate legis vel ſortis adducti tribules ſuos, vel populares, vel φράτερας convivio excipiebant. Athenæus lib. v. oſtendit omnium huiuſmodi συςημάτων, tã πολιτικῶν ſive νομικῶν, quã ἑταιρικῶν ſive προαιρετικῶν, ſollẽnia fuiſſe cõvivia quę ab eiuſdẽ cœtus viris agitarentur, vel uno præbente & cæteros corporatos paſcente, vel in commune ex ære ab omnibus collato. Τῶν δ᾽ νυῦ, inquit, δείπνων προνοοῦντες οἱ νομοθέται τά τε φυλετικὰ δεῖπνα, καὶ τὰ δημοτικὰ προσέταξαν, ἔτι δ᾽ τοὺς θιάσους, καὶ φρατερικὰ, καὶ πάλιν ὀργεωνικὰ λεγόμενα. Vides ex his, & ὀργεῶνας ἑταιρείαν conſtituiſſe, unde ὀργεωνικὰ δεῖπνα appellata quæ Orgeones congregati factitarent. In hac ipſa lege Solonis, & ὀργεώνων fit mentio ex noſtra emendatione, & δημοτῶν, &. θιασωτῶν, & φρατόρων. Cur non & φυλετῶν, cum non minus ab his φυλετικὰ δεῖπνα nominata ſint, quam à φράτορσιν φρατερικὰ, ἀπὸ τῶν δημοτῶν δημοτικὰ? Rationẽ iam ſupra reddidimus.

mus. Pars autem φυλῆς φρατρία, & quidem tertia. An ergo tres φρατρίαι in unaquaque φυλῇ? Nam φρατρίαν Grammatici τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς eſſe notant: Φρατρία ἐστὶ τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς. Sed Harpocration in voce τριττὺς, ſimiliter ſcribit, τριττὺν eſſe τὸ τρίτον μέρος τῆς φυλῆς. An igitur τριττὺς & φρατρία idem? Non videtur. Statim quippe ſubiicit, αὕτη γὰρ διήρηται εἰς τρία μέρη, τριττὺν, καὶ ἔθνη, καὶ φρατρίας, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ τῶν Ἀθηναίων πολιτείᾳ. Ex his liquet, & plures in unaquaque φυλῇ fuiſſe φρατρίας, & plura ἔθνη. Cum enim hæc nominibus diſtincta ſint, non videntur eadem eſſe. Quod tamen aliis placuit. Suidas: φασὶ δὲ, τὸ αὐτὸ ἔθνος εἶναι ἢ τριττὺν, ἤγουν φρατρίαν. Aliud ſignificant verba Ariſtotelis, quę innuunt in φυλῇ eſſe plures φρατρίας, & plura ἔθνη, plures etiam τριττύας. Idque etiam ex Polluce certo colligitur: qui olim τρία ἔθνη in ſingulis nempe φυλαῖς fuiſſe teſtatur, lib. VIII. cap. IX. τρία δὲ ἦν τὰ ἔθνη, εὐπατρίδαι, γεώμοροι, δημιουργοί. Similiter & tres τριττύες fuere, ut ex eodem probatur, capite eodem, τριττὺς δὲ ἑκάστης γένη τρία. Idem de φρατρίᾳ puto ſentiendum. Sic verum erit quod dixit Ariſtoteles in libro de πολι-

πολιτεία Athenienſium, φυλὴν, nempe εἰς τρία μέρη διῃρῆσθαι, εἰς τριττῦς, καὶ ἔθνη, ἢ φρατρίας. Certe conſtat antiqua illa diviſione φυλῆς, aliam fuiſſe τριττὺν, aliam φρατρίαν, aliud ἔθνος. Nam τριττύαρχοι dicebantur qui τριττύων erant præfecti, ut φρατρίαρχοι qui φρατριαῖς, & ἔθναρχοι qui ἔθνεσιν. Ipſe etiam Pollux loco quem citavimus, ſcribit, diviſionem illā φυλῆς in τριττὺν, ἔθνος & φρατρίαν, tum obtinuiſſe cum quattuor tantum φυλαὶ numerabantur, Ὅτε μὲν τοι τέσσαρες ἦσαν αἱ φυλαὶ, εἰς τρία μέρη ἑκάστη διῄρητο, καὶ τὰ μέρη ταῦτα ἐκαλεῖτο τριττῦς, ἢ φρατρίαι. Quæ non ſunt ita accipienda, ut ſingulas partes tribus his nominibus appellatas credamus, idemque fuerit ἔθνος, & τριττὺς, & φρατρία. Non enim res eadem tribus appellationibus in ea diviſione ſignabatur, ſed alia erat τριττὺς, alia φρατρία, aliud ἔθνος, cum tamen hæ tres φυλῆς partes eſſent, nominibus differentes, quia re dividebantur. Aliud quippe genus civium in τριττύι videtur cenſitum, aliud in ἔθνει, aliud in φρατρίᾳ. Quod facile colligo ex iis quæ notant Grammatici de ſignificatione ἔθνους. Nam Harpocration ſic de hac voce ſcribit, ἔθνος οὐ μόνον τὸ μέγα, ἢ πολυάνθρωπον γένος, ἀλλὰ καὶ ἰδίως

μέρος τι τὸ πονηρότατον νομίζεται τῶν ἐν τῇ πόλει. Et Suidas: ἔθνος τὸ πλῆθος, ἤγουν οἱ μοιχοὶ, πόρνοι, τοιχωρύχοι βαλαντιοτόμοι. Non puto tamen ἔθνος ex hoc ſolo improborum nomine conflatum fuiſſe, cum ſcribat Pollux tria ἔθνη fuiſſe: unum εὐπατριδῶν, alterum γεωμόρων ſive aratorum, tertium δημιουργῶν, opificum. Probabile certe eſt, viliorem populi partem, ut δημιουργοὺς, & omnem fæcem opificum, in claſſe τῶν ἐθνῶν cenſam eſſe. Φρατρίαν olim diverſam utique fuiſſe à cæteris duabus φυλῆς partibus, vel ex eo perſpicuum eſt, quod ex Philochoro refert Suidas, περὶ δὲ τῶν ὀργεώνων γέγραφε Φιλόχορος, τοὺς δὲ φράτορας ἐπάναγκες δέχεσθαι τοὺς ὀργεῶνας, καὶ τοὺς ὁμογάλακτας, οὓς γεννήτας καλοῦμεν. Si eo tempore tres partes φυλῆς dictæ eſſent φρατρίαι, cum in aliqua φρατρίᾳ utique numerari oportuerit ὀργεῶνας, & ὁμογάλακτας, non illud φράτορσιν neceſſario injunctum fuiſſet, ut in ſuum numerum & corpus hoc eſt, in φρατρίαν, reciperent ὀργεῶνας, & ὁμογαλάκτους. Nemo enim potuiſſet extra φρατρίαν eſſe, cum φυλὴ omnis divideretur in tres φρατρίας. Sic quia in φυλῇ tripertita aliud ἔθνος fuerit, alia φρατρία, alia τριττὺς, voluit lex τοὺς ὀργεῶνας & ὁμογάλακτας adſcribi φρά-

τορσι,

τορσι, & inter φράτορας locum habere, non inter ἔθνη vel inter τριττύας reponi. Ergo tunc φρατρία nobilior, & potior pars φυλῆς in qua cenſebantur εὐπατρίδαι. Quod autem dicit Philochorus de Collactaneis, οὓς γεννήτας καλοῦμεν, oſtendit γεννητῶν appellationem quæ ſua ætate frequentabatur, nõ fuiſſe antiquitus uſutatam apud Athenienſes. Ergo recentior illa fuit diviſio φυλῶν, quæ in tres φρατρίας diſtinguebatru, ut ſingulæ φρατρίαι in γένη triginta, quorum unumquodque genus triginta γεννήτας habuit. Antiquam igitur hanc φυλῶν diviſionẽ fuiſſe cõſtat qua quattuor erãt φυλαὶ, & unaquæq; φυλὴ in tres partes dividebatur, εἰς τριττὺν, ἔθνος ac φρατρίαν. Tres enim erant τριττύες, tria ἔθνη, & tres φρατρίαι. Tres fuiſſe τριττύας nomen ipsũ indicio eſt. Nã τρισσὸς vel τριττὸς, & inde τριττὺς, non tertius eſt, ſed ternus. Sic quod tres eſſent τριττύες, id eſt, τριασαὶ vel τριτταὶ, id nominis nactæ ſunt. Eam viguiſſe φυλῶν diviſionem cum quaternæ tantum forent, manifeſte tradit Pollux. Grammatici qui hæc tria confuderunt ad ætatẽ poſteriorem Athenarum reſpexiſſe videntur, quæ duodecim φυλὰς numerabat, in tres φρατρίας ſingulas diviſas, & unãquamq; φρα-

τρίαν εἰς τριάκοντα γένη. Quam γενῶν distri-
butionem & γεννητῶν appellationem non
novit antiqua Reſpublica Athenienſium,
ut Philochorus nos docet, verbis quæ
ſupra adduximus. Ὁμογάλακτας autem
proprium σύστημα conſtituiſſe & σύνοδον,
etiam Pollux notavit lib. VIII. cap. IX.
ἑκάστου δὲ ἔθνους (ἔθνος confundit cum φρα-
τρίᾳ ut cæteri) γένη τριάκοντα, ἐξ ἀνδρῶν το-
σούτων ἃ ἐκαλεῖτο τριακάδες, καὶ οἱ μετέχοντες
τοῦ γένους γεννῆται, καὶ ὁμογάλακτες, γένει μὲν οὐ
προσήκοντες, ἐκ δὲ τῆς συνόδου οὕτω προσαγο-
ρευόμενοι. Ubi σύνοδος eſt ἑταιρεία, vel
κοινωνία πολιτική, & συνοδική. Vetus auctor
apud Euſtathium de his γεννήταις, κοινω-
νίαν eos lege inter ſe habuiſſe ſcribit, ut
πολίτας, λοχίτας, φυλέτας, ἐθνίτας, δαιτα-
λεῖς, δημότας, & φράτορας. Hæc eius ver-
ba ſunt: ἤτοι τοῦ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους· καὶ ἦσαν οὗτοι
καθάπερ οἱ δημόται, καὶ οἱ φράτορες· ἤδη δὲ καὶ
οἱ πολῖται, καὶ οἱ θιασῶται, καὶ οἱ φυλέται, καὶ
οἱ λοχῖται, καὶ οἱ ἐθνῖται, καὶ οἱ δαιταλεῖς, νό-
μῳ τινὶ ἔχοντες κοινωνίαν. Solon in hac le-
ge de ἑταιρείαις vel συλλόγοις κοινωνικοῖς o-
miſit πολίτας, & φυλέτας, quia nimis ma-
gna & numeroſa eſſent corpora quã ut in
hãc appellationẽ collegiorũ cadere poſ-
ſent. Maximum πολιτικὸν σύστημα quod lege
ſua comprehenderit, fuere δημόται. Tres
gene-

generales fuere κοινωνίαι συγγενικαὶ, ut ex Dicæarcho obſervavit Stephanus, πάτρα, φρατρία, & φυλή. Quæ πάτρα dicitur, ea eſt patris cum natis, & natorum cum patre cõmunio, quã δευτέραν μετάβασιν vocabat Dicæarchus. ἐκλήθη δὲ πάτρα μὲν εἰς τὴν δευτέραν μετάβασιν ἐλθόντων, ἡ κατὰ μόνας ἑκάστῳ πρότερον οὖσα συγγένεια, ἀπὸ τοῦ πρεσβυτάτου τε καὶ μάλιστα ἰσχύσαντος ἐν τῷ γένει τὴν ἐπωνυμίαν ἔχουσα, ὃν ἂν τρόπον Αἰακίδας ἢ Πελοπίδας εἴποι τις ἄν. Hæc rectam lineam ſive σειρὰν conſtituit deſcendentium. Et paulo poſt intra patrem & liberos eam maxime includit. ὥστε πάτρα, inquit, ὅπερ εἴπομεν τὸ συγγενείας τρόπον ἐγένετο, μάλιστα τῶν γονέων σὺν τέκνοις, καὶ τέκνων σὺν γονεῦσιν. Lata tamen ſignificatione comprehendit omnes deſcendentes κατὰ βάθος, non κατὰ πλάτος, ex recta linea, non ex tranſverſa. Hæc enim dicebatur φρατρία, ab antiquo Græco φράτηρ, quod fratrem ſignificat. Idem Dicæarchus, φρατρία δὲ ἐκ τοῦ τῶν ἀδελφῶν. Hæc eſt σειρὰ κατὰ πλάτος, linea tranſverſa. Nam *linea*, ut etiam veteres Latini dixere, eſt σειρὰ γένους. Hanc φρατρίαν quidam ſcripſere φατριάν. Et Iones, qui non adſpirabãt, πατριὰν, ut ἀπικέσθαι dicebant pro ἀφικέσθαι, & ἀπηγέεσθαι pro ἀφηγεῖσθαι. Idem Dicæarchus: πατριὰν

πατριὰν ὃ συνέβη λέγεσθαι, καὶ φρατρίαν, ἐπειδὴ τινες εἰς ἑτέραν πάτραν ἐδίδοσαν θυγατέρας αὐτῶν. οὐ γὰρ ἔτι τῶν πατριωτικῶν ἱερῶν εἶχε κοινωνίαν ἡ δοθεῖσα, ἀλλὰ εἰς τὴν τοῦ λαβόντος αὐτὴν συνετέλει πάτραν, ὥστε πρότερον πόθῳ τῆς συνόδου γινομένης ἀδελφαῖς σὺν ἀδελφῷ, ἑτέρα τις ἱερῶν ἐτέθη κοινωνικὴ σύνοδος, ἣν δὴ πατριὰν ὠνόμαζον. Contigit autem, ut πατριὰ diceretur, & φρατρία quoniam quum quidam in aliam familiam ſiue πάτραν dediſſent filias ſuas, non amplius ſacrorum patriorum communitatem habebant in alienam familiam ſiue πάτραν datæ nuptum, ſed in eius πάτρᾳ cenſebantur cui nupſerant. Vnde cum deſiderio tenerentur eius communitatis quę ſororibus cum fratribus intercedit, alia coitio excogitata eſt, ſiue ſacrorum communis participatio, *quam πατριὰν nominarunt*, Id eſt, φατριὰν Ionice, pro φρατριὰν. Dixiſſe autem φατριὰν, pro πατριὰν, Stephanus oſtendit qui φατριὰν ita ſerie litterarum poſtulante appellat. Et diſputarunt olim quidam Grammaticorum, utrum φράτρη ex φατρίᾳ deductum eſſet inſerta littera canina, an vero φατρία pro φρατρία uſus admiſiſſet, ea abiecta. Vide Euſtathium in B. Iliados. Aelius Dionyſius in Lexico Rhetorico apud eumdem, φατριὰ ἣν Ἴω-

γῶνες πατριὰν, φράτορες οἱ τῆς αὐτῆς φατρίας. Heſychius quoque φατρίαν recenſet pro φρατρίαν in Lexico ſuo, φατρία, ςύνταγμα, σύςημα. Sine dubio id pro φρατρία, ab antiquo φράτηρ. Vnde & φράτορες dicti qui eiuſdem φρατρίας erant. Eadem & πατριὰ Ionice, quæ diverſa à πάτρα. A voce πατριὰ πατριώτης. Quod idem ſignificat ac πολίτης. Sed πατριώτης pro πολίτῃ Barbarorum fuit, ut notat Pollux lib. III. cap. IV. οἱ δὲ βάρβαροι ἀλλήλους πατριώτας, οὐ πολίτας, ἀλλὰ πατριώτας λέγοιεν. Platonem tamen in legibus πατριώτην de Græcis dixiſſe, & Archippum συμπατριώτην. Inde eſt quod Barbari, ut Arabes, per πατριὰς ſive φυλὰς habitabant. Unde φύλαρχοι Arabum, qui uni πατριᾷ ſive φυλῇ imperabant. Hinc πατριώτης, qui eſt eiuſdem πατριᾶς, quod reſpondet Græcorum πολίτῃ. Heſychius: Πατριώτης παρὰ Ἀθηναίοις ὁ βάρβαρος, καὶ οὐ πολίτης. Idem: πατριαὶ, φυλαί. Sed & πάτραν eodem modo interpretatur. Et ſane non video quomodo πατριὰ à πατὴρ ita dici non queat, ut φρατρία à φράτηρ. Ineptum quippe, eſt quod aiunt, Ionicum eſſe πατριὰν pro φρατρίαν. Magis videretur φατρίαν dici pro πατριὰν, niſi accentus diverſus oſtenderet originem eſſe

diverſam. Et ſane ita πατριὰ à πατὴρ derivatur accentu in ultima ſervato, ut φρατρία, à φράτηρ deſcendit cum eodem accentus in ſecunda quem habet in prima verbum primitivum. Interdum πατριὰ omne genus ab uno auctore qui primus pater fuit, & ſtirpem univerſam deſignat tam à latere quam recto limite deſcendentium. Latinis *gens* dicitur, & eſt eorum proprie qui eodem nomine appellantur, quæ ex multis familiis conficitur, ut apud Græcos *Pelopidæ*, & *Aeacidæ*, apud Latinos *Cornelii*, & *Iulii*, & *Aelii*. Interdum familiam ipſam ſignificat, *cuius dux & princeps generis vocabatur pater & paterfamilias*, ut eſt apud Feſtum in voce familia. Hoc ſenſu πάτρα Dicæarcho appellatur, quam dixit eſſe συγγένειαν γονέων σὺν τέκνοις, καὶ τέκνων σὺν γονεῦσιν. In Bibliis ſeptuaginta interpretes πατριὰς vocant huiuſmodi familias pro eo quod eſt in Hebræo, משפחה πατριά. Interpres Latinus vertit *familias*, Græci interpretes γένεσιν interdum reddunt, & γενεὰν, & συγγένειαν. Interdum & φυλήν. Sed φυλὴ aliud eſt. Hoc enim proprie eſt, quod שבט Hebræis vocatur. Duodecim fuere φυλαὶ Iſraëlis. Exempli gratia, Levis princeps fuit tribus ſuæ

ſuæ ſive שבט, id eſt Leviticæ. Ea multas familias ſive πατριὰς complexa eſt, totidem nempe quot filii Levi fuere. Nati natorum Levi ſuarum quoq; πατριῶν ſive familiarum principes fuere ac duces. Omnes hæ familiæ ſive πατριαὶ Leviticæ unum ſummũ primumq; auctorẽ habuerunt Levin, qui totius gentis ſive tribus auctor & pater fuit. Quam etiam liceat πατριὰν dixiſſe generali ſignificatione, quæ etiã φρατρία ſimul fuit, quatenus una ex familia exibant filiæ in alteram familiam nuptum datæ: non tamen à gente ipſa alienabantur, nec ex tribu exibãt, ſed ſemper alicui nubebant ex eadem gente ſive tribu, quamvis non ex eadem familia. Et ſic πατριὰν & φρατρίαν ſimul idem eſſe contigit, ut ſcribit Dicæarchus apud Stephanum. Πατριὰν δὲ συνέβη λέγεσθαι καὶ φρατρίαν. οὐ γὰρ ἔτι τῶν πατριωτικῶν ἱερῶν εἶχε κοινωνίαν ἡ δοθεῖσα, ἀλλ' εἰς τὴν τοῦ λαβόντος αὐτὴν συνετέλει πάτραν. Ubi cum πατριωτικὰ ἱερὰ appellat, non diſtinguit πατριὰν ἀπὸ τῆς πάτρας. Nam πατριωτικὰ ἱερὰ, ſunt familiæ ſacra ſive πάτρας, quæ filia data nuptum in alteram gentem communia non amplius habebat cũ fratribus & patre ſuo, ſed ut in eius familiam tranſibat cui nupſerat, ita & ſacrorum eius parti-

 ceps,

ceps & conſors fiebat. Πατριαὶ igitur in hac ſignificatione familiæ ſunt Latinorum, משפחה Hebræorum. Quas iidem ſeptuaginta γένη etiam appellant, ut in Geneſi cap. VIII. κατὰ γένος αὐτῶν ἐξήλθοσαν. Attici quoque γένη nuncuparunt. Unde & φρατρίαι in plura γένη dividebantur. Quæ φρατρίαι ſunt cognationes, eędemque cum πατριαῖς generaliori notione ſumptis, & φρατρίας etiam continentibus. Optimæ Gloſſæ, *familia*, γένος. Δήμους etiam reddiderunt iidem ſeptuaginta, quia plures δῆμοι apud Græcos in una φυλῇ. Græce vero ἔθνος idem quod Latinorum *gens*, quod plures nempe φρατρίας complectitur, ſive πατριὰς ſpecialiter acceptas. Vnaquæque φρατρία apud Græcos in tria ἔθνη dividebatur, & ſingula ἔθνη in plura γένη. Ergo ἔθνος gens eſt, γένος familia. Aeoles pro ἔθνος dicebant ἔννος, & cum Aeolico digaminate, Γέννος. Vnde *gentes* Romani gentilitales & cognationes appellant, quæ Græcis πατριαὶ & φρατρίαι generaliter ſumptæ. Varro lib. VII. de L. L. *Vt in hominibus quædam ſunt cognationes, & gentilitates, ſic etiam in verbis. Vt enim ab Aimylio homines orti Aemylii ac gentiles, ſic ab Aimylii nomine declinatæ voces in cognatione*

ne nominali. Ab eo enim quod eſt impoſitum recto caſu Aemylius, orta Aemylii Aemylium Aemylios Aemyliorum, & ſic reliqua eiuſdem quæ ſunt ſtirpis. Perperam docti viri emendarunt *agnationem*. Vitioſe etiam editur in verbis Varronis, *declinatæ voces in gentilitate nominali*. Pro *in cognatione nominali.* Dicit doctiſſimus Romanorum in verbis, ut in hominibus, eſſe gentilitates ac cognationes. Gentilitas πατριὰ eſt, quæ ex recta linea deſcendit à patre ad filios. Et hæc ſecunda eſt Dicæarchi μετάβασις. Cognatio vero eſt συγγένεια inter fratres & ſorores, quæ φρατρία dicitur. Illa κατὰ βάθος σειρὰ dicitur, hæc κατὰ πλάτος. Aemylii ab Aemylio per rectam lineam & κατὰ βάθος, ſunt gentiles. A recto caſu *Aemylius* declinatæ voces *Aemylii*, *Aemylios*, *Aemyliorum* cognationis inſtar habent è tranſverſo latere ductæ. Nam hi caſus πλάγιοι dicuntur, excepto nominativo, qui eſt rectus. *Cognatio* tamen Latinis generali ſignificatione uſurpatur tam de iis qui per virilis ſexus perſonas, quam qui per mulieres coniunguntur, de omnibus nimirum qui una & cōmuniter nati, id eſt, qui cōmune naſcendi initium habuerunt, ut Græcis φρατρία. Et ſic accipiendum eſt

quod

quod dixit Dicæarchus, πατριὰν ἣ συνέβη λέγεσθαι, καὶ φρατρίαν. Nimirum φρατρίαν quoq; dictam eſſe πατριὰν, cũ inſtituta eſt σύνοδος κοινωνικὴ ἱερῶν, quæ ſorores cũ fratribus quamvis in aliã familiã tranſlatas coniungeret. Omnes igitur agnati etiam cognati, ſed non omnes cognati etiam agnati. Omnes agnatos etiã φρατρία contingit, ſed πατριὰ ſolos agnatos reſpicit. Vnde πατριωτικὰ ἱερά. Inde eſt quod Grammatici notarunt, Ionibus dictam πατριὰν, quę communiter Gręcis φρατρία, quia nempe qui ex πατριᾶ erant, nempe agnati, uno eodemq; conſortio, & communitate tenerentur cum iis qui per fœminas coniuncti erant, quæ φρατρία proprie Græcis nuncupatur. Tanta autem eſt differentia inter *gentiles*, & *agnatos*, quanta eſt inter πατριὰν generaliter ſumptam, & πατριὰν ſtricta notione appellatam, quanta inter *gentem* apud Romanos, & *familiam*. Agnati qui ex eadem familia maſculi, *gentiles* qui ex eadem gente. Vnde in duodecim tabulis ſcriptum erat, *ſi paterfamilias inteſtato moritur, familiá pecuniaque eius agnatorum gentiliumque eſto*. Ubi *agnati* ſunt ex eadem *familia* mares, quibus deficientibus gentiles ſuccedebant ex eadem *gente*. Πατριὰ igi-

igitur proprie eſt agnatorum, φρατρία cognatorum. Agnatio πατριὰ eſt, cognatio φρατρία, illa patrum cum filiis, hæc ſororum cum fratribus. Hæ duæ ſunt τῶν τριῶν τῶν παρ' Ἕλλησι συγγενικῶν κοινωνίας εἰδῶν, ut dicit Dicæarchus apud Stephanum. Tertia eſt quæ φυλὴ vocabatur. Ita eam idem explicavit: φυλαὶ ἢ καὶ φυλέται πρότερον ὠνομάσθησαν ἐκ τῆς εἰς τὰς πόλεις καὶ τὰ καλούμενα ἔθνη συνόδου γινομένης. Ἕκαστον γὰρ τῶν συνελθόντων φῦλον ἐλέγετο εἶναι. Cum ex diverſis regionibus ad unam urbem condendam & incolendam confluerent & convenirent populi, unuſquiſque φύλου, & φυλῆς nomine deſignabatur. Omnes ſcilicet conterranei appellatione φύλου vel φυλῆς noſcitabantur. Exempli gratia: conveniant in unum Galli, Hiſpani, & Batavi, ſingulæ hæ nationes ſuum φῦλον vel ſuam φυλὴν conſtituent, & dicetur φῦλον Gallorum eo confluxiſſe, & φῦλον Batavorum, & φῦλον Hiſpanorum. Hac ſignificatione φῦλον, vel φυλὴ nullam habet συγγενείας vel συγγενικῆς κοινωνίας notionem. Olim ergo dicit hanc ſiſignificatione notam fuiſſe, φύλου, & φυλῆς appellationem, & φυλέτας vocatos eſſe populos ab eadem regione profectos, & conterraneos. Fruſtra autem diſpu-

diſputant Grammatici utrum φυλὴ à φῦλον deducta ſit, an contra φῦλον, inquiunt, τὸ ἔθνος, ἀπὸ τῆς φυλῆς δηλόνοτι, ἢ ἀφ' οὗ ἡ φυλή. Antiquium eſt φῦλον, quo & Homerus ſemper uſus eſt, etiam pro συγγενικῇ ſocietate, pro quo poſteriores enallage generis maluerunt dicere φυλήν. Sic ὦνος prius, pro quo poſterius ὠνὴ, & τῖμος olim, deinde τιμὴ, & ſimilia. Dionyſius φυλὰς poſuit pro gẽtibus, quæ cõmuniter dicta φῦλα lib. VI. Vt hæc antiquiſſima fuerit nominis φῦλον vel φυλὴ notio, quam tradit Dicæarchus, conſtat tamen, non alio ſignificatu φῦλον ab Homero poni, quam quo poſteriores Græci φυλὴν uſurparunt, nempe pro *συγγενικῇ κοινωνίᾳ*, quemadmodum ex his eius verbis liquet in Iliad. β.

> Κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον,
> Ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις.

Quis non videt, hic φρήτρας & φῦλα ita iungi, ut apud poſteriores Atticos φυλὰς, & φρατρίας? Nam φρήτρη, & φρατρία, eadem, ut φῦλον & φυλή. Dionyſius Halicarnaſſeus εἰς φυλὰς καὶ φράτρας vocat, diviſionem populi Romani à Romulo inſtitutam *in tribus & curias*. Nam *tribum* Græ-

Græce eſſe dicit φυλὴν, & τριττὺν, eamdem faciens τριττὺν, & φυλὴν cum apud Atticos τριττὺς ſit pars tertia *tribus*. Quod ad *tribus* vocē attinet conſtat factā eſſe ex Grȩca τριττὺς, pro quo Aeoles τριππὺς. Sic ex τυλθὸς πυπφὸς *pappus*. Apud Homerum φῦλον maior eſt multitudo κοινωνικὴ & συγγενικὴ quam φρήτρη. Videndum ergo quid ſit. Φῦλον alibi appellat totam ſtirpem quæ ab uno primo auctore omnes deſcendentes per rectam lineam complectitur, quam κατὰ βάθος σειρὰν vocant Græci. In Odyſſeæ Ξ proci inſidiantur vitæ Telemachi, ut totum genus perderent Acriſii, qui pater fuit Laërtæ, avus Ulyſſis, proavus Telemachi:

> οἴκαδ᾽ ἰόντα λοχῶσιν ὅπως ἀπὸ φῦλον ὄληται,
>
> Νώνυμον ἐξ Ἰθάκης Ἀρκεισίου ἀντιθέοιο.

Ubi Grammatici: τὸ φῦλον, τὴν σειρὰν καὶ κατὰ βάθος διαδοχὴν, οὐ τὴν κατὰ πλάτος συγγένειαν, καὶ φῦλον Ἀρκεισίου λέγει τὸν Λαέρτην, καὶ τὸν ἐξ αὐτοῦ Ὀδυσσέα, καὶ τὸν ἀπ᾽ αὐτοῦ Τηλέμαχον. Totam igitur gentilitatem per ὅλον φῦλον intelligi voluit Homerus. Eadem eſt ergo φυλὴ, ἀπὸ τοῦ φύειν. omnes ab uno progeniti, & in longiſſimam uſque ſeriem per rectam lineam deducti. Certe φυλὴ quæ Hebræis שבט, plures non ſolum

lum cognationes, ſed etiã gentilitates cõplectebatur. Ab uno quippe capite plures principes πατριῶν exeunt ſive patres familiarũ, quæ ab uno principio diviſæ in multas ſcinduntur, non ſolum familias, ſed etiam gentilitates. Vt illæ ipſæ duodecim tribus Iſraëliticæ, quæ totidem πατριάρχας, ſive πατριῶν ἄρχοντας habuerunt, ab uno ortæ ſunt Iſraële, qui omnium tribuum progenitor primus extitit. Φυλὰς Græci τὰ μέγιστα μέρη civitatis interpretantur. καὶ τὰ μὲν μέγιστα μέρη φυλαὶ ὠνόμαζοντο. In quattuor eiuſmodi φυλὰς ſub primis regibus à Cecrope uſque ad Alcmæonem totus Athenienſis populus diſtributus eſt. Non ſolum igitur plures familias ſingulæ φυλαὶ continebant, ſed etiam plures gentilitates, & cognationes, πατριὰς καὶ φρατρείας. Ab illis maximis partibus minores aliæ factæ, quæ φρατρίαι dicebantur. Quid illæ propriè? Dicæarchus dicit hoc nomine appellari κοινωνίαν, vel κοινωνικὴν σύνοδον fratrum & ſororum. ὥστε πρότερον πόθῳ τῆς συνόδου γινομένης ἀδελφαῖς σὺν ἀδελφοῖς ἑτέρας τις ἐτέθη κοινωνικὴ σύνοδος ἣν δὴ φατρίαν ὠνόμαζον. Certe cum Homerus φῦλον, quę φυλὴ eſt, appellet τὴν κατὰ γένος συγγένειαν, id eſt, gentilitatem: Φρήτρης nomine

co-

cognationem nuncupaſſe cenſendum, hoc eſt τὴν κατὰ πλάτος συγγένειαν. Nam Græcos diſponi vult κατὰ φῦλα, & κατὰ φρήτρας, id eſt, per gentilitates, & cognationes, ut φῦλα φύλοις opem ferant, id eſt, gentiles gentilibus, & φρήτραι φρήτραις, cognati cognatis. Sed non tam anguſte hæc vocabula ſumuntur in diviſione civium Athenienſium. Φυλὴν diximus plures gentilitates & cognationes complexam fuiſſe. Quod utique fuit neceſſe cum univerſi urbis cives in quattuor φυλὰς diſtributi eſſent. At ſingulæ φυλαὶ in tres φρατρίας rurſus diviſæ erant, hoc eſt, in tres gentilitates ſimul, & cognationes. Hoc ſenſu φρατρία eadem cum πατριᾷ, ut Dionyſius in Lexico ſcripſit, atque etiam Dicæarchus, πατριὰν συνέβη λέγεσθαι καὶ φρατρίαν. Idem πατριὰν ſive πάτραν de omnibus enuntiari ſcripſit qui eodem nomine cenſentur, ut Aeacidæ, Pelopidæ. Ergo & φρατρία gentilitatem ſimul cognationemque complectitur. Tres eiuſmodi φρατρίαι fuere in ſingulis φυλαῖς. Idem autem ἔθνος cum φρατρίᾳ, ut plerique veterum Grammatici eoram ſcripſere. Nam etſi de diverſo genere hominum uſurparetur ἔθνος & φρατρία, reſpondent tamen

men vox ἔθνος τῇ φρατρίᾳ, de hac gente quæ plures familias complectitur. Hinc Latinis *gens* quod Græcis ἔθνος, de ea συγγενικῇ κοινωνίᾳ quæ conficitur ex pluribus familiis. Singula vero ἔθνη ſive φρατρίαι plura γένη complectuntur, id eſt, familias. Nam γένος Græcis, ut ſupra diximus, idem quod *familia* Latine. Hinc φρατρία apud Atheneſes dividebatur in triginta γένη, id eſt in triginta familias, quas πατριὰς etiam Græci appellarunt ſtricta ſignificatione, quod unum patrem τοῦ γένους & auctorem haberent. Φατρίαν & πατριὰν eamdem eſſe ſcribit etiam Scholiaſtes Ariſtophanis in Equites, καὶ γὰρ τοὺς συγγενεῖς φρήτορας καλοῦσιν. εἰσὶ δὲ οἱ τῆς αὐτῆς φατρίας μετέχοντες, οἷον πατριᾶς τινος. Ὁ γοῦν Ὅμηρος αὐτὴν πάτραν λέγει. Ἣ μὴν ἀμφοτέροισιν ὁμὸν γένος, ἠδ' ἴα πάτρη, καὶ κατ' ἀναφορὰν πάτρη καλεῖται. μεταπέπτωκε δὲ τὰ στοιχεῖα καθάπερ ἐπὶ τοῦδε, ὁ φάτριος Ζεὺς, καὶ ὁ πάτριος. Sed miſere hallucinantur illi Grammatici. Nam vocis φατρία alia eſt origo, cum à φρήτηρ Græco antiquo deflexa ſit, πατριὰ autem à πατήρ. In Homero γένος & πάτρη ſynonym*ω*s ponuntur pro familia. Nam qui ὁμὸν γένος & μίαν πάτρην habet cum aliquo, eiuſdem cum illo eſt familiæ. Ad-

eo

eo porro verum eſt, γένος Græcis, & *familiam* Latinis idem ſignificare, ut γεννῆται, qui eiuſdem ſunt γένους, vel γέννης, etiam ὁμογάλακτοι dicti ſint, id eſt, in eadem domo educati; & ab eadem matre, quaſi collactanei. Pollux: καὶ οἱ μετέχοντες τοῦ γένους γεννῆται, καὶ ὁμογάλακτοι. Sed quod addit, γένει μὲν οὐ προσήκοντες, ἐκ δὲ τῆς συνόδου οὕτω προσαγορευόμενοι, per σύνοδον intelligit κοινωνίαν πολιτικὴν, ſive σύνοδον κοινωνικήν. Hæc igitur nomina φυλὴ, φρατρία, γένος, quæ τῆς συγγενείας olim fuere appellationes, ad civium particulares cõmunitates & collegia deſignanda traducta ſunt, quorum conſortes inter ſe nulla cognatione aut propinquitate iuncti tenebãtur. Vetus auctor apud Suidam, γεννῆται οὐχ οἱ ἐκ γένους, καὶ ἀφ᾽ αἵματος προσήκοντες, ἀλλ᾽ οἱ ἐκ τῶν γεννῶν τῶν συντεμημένων εἰς φρατρίας. Οὗτοι δέ εἰσι καθάπερ οἱ δημόται, καὶ φράτορες νόμῳ τινὶ ἔχοντες κοινωνίαν. *Γεννῆται non ſunt qui genere ac conſanguinitate proximi habentur, ſed ex corporibus ſunt ita appellati in quæ φρατρίαι diſtributæ ſunt. Ad inſtar autem* δημοτῶν *&* φρατόρων *lege inſtitutam inter ſe habent communitatem.* Ariſtoteles in Νικομαχείοις, diſcernit φυλέτας & συγγενεῖς, quos etiam appellat ὁμογενεῖς, quibus nimirum κοινὸν

τὸ γένος, vel ut ait Iuriſconſultus, qui ab eodẽ orti progenitive, & commune naſcendi initium habuerunt. Sic enim ſcribit lib. x. cap. 11. Καὶ συγγενέσι δὲ, καὶ φυλέταις, καὶ πολίταις, καὶ τοῖς λοιποῖς ἅπασιν ἀεὶ πειρατέον τὸ οἰκεῖον ἀπονέμειν. Ibidem tradit, ad nuptias invitari συγγενεῖς; ad funera vero non itẽ φυλέται ſolebant vocari, ſed ſoli cognati. Non φυλέται igitur inter συγγενεῖς. Idem in iiſdem Νικομαχείοις, lib. ix. cap. ix, ubi varia amicitiarum genera recenſet, συγγενικὴν, ἑταιρικὴν, πολιτικὴν, φυλετικὴν, & συμπλοϊκὴν, quas omnes in communitione verſari docet, ſed συγγενικὴν, atque ἑταιρικὴν, qua cognati ac ſodales inter ſe amici ſunt, ſeparat à πολιτικῇ, φυλετικῇ, & συμπλοϊκῇ, & ſimilibus, quas potius ad amicitias κοινωνικὰς pertinere ſcribit. Immo amicitiam omnem ibi vult in communitate quadam cenſeri, niſi cui placeat, ex eo numero amicitiarum, quæ in communitate cernuntur, συγγενικὴν, & ἑταιρικὴν, cognatorum vel conſanguineorum, & ſodalium amicitiam eximi. Iſtæ enim amicitiæ maiore vinculo conglutinantur, quam quæ ratione communitatis contrahuntur, quales ſunt πολιτική, qua cives inter ſe coniunguntur: φυλετική, qua tribules:

bules: & συμπλοϊκὴ, quæ una in navi vectos conſociat. Quæ omnes φιλίαι ſunt κοινωνικαὶ, & ἐν κοινωνίᾳ verſantur, à qua & initium atque originem duxerunt. Φράτορες quoque & γεννῆται, eodem loco ſunt quo φυλέται, & δημόται. Minores quidem ſunt partes civium, & minus numeroſæ quam φυλαὶ, & δῆμοι, nulla tamen inter ſe cognatione attinebantur iſta corpora civitatis, haud ſane magis quam φυλαὶ, aut δῆμοι. *Tribus* quidem, ſive φυλαὶ, continebant φρατρίας, φρατρίαι vero γένη. Vt maior numerus comprehendit minorem, & minor minimum. Nam inter minima corpora, ſive συστήματα πολιτικὰ, numerabantur γεννῆται, paulo maiora φράτορες, omnium maxima φυλέται, ſive tribules. Idẽ Ariſtoteles in Moralibus ad Eudemum lib. VII. cap. IX, ubi docet, iuſtum eſſe quippiam æquale, amicitiam autem in æqualitate conſiſtere, alioquin fruſtra diceretur vulgari proverbio, ἰσότης, φιλότης. Univerſas autẽ politias iuſti quaſdam ſpecies eſſe. Nam πολιτεία κοινωνία eſt. Inde κοινωνία paſſim, & κοινὸν, de ſingulis rebuſpublicis. Κοινωνία Κορινθίων, κοινὸν Γαλατῶν, κοινὸν Βυζαντίων. Omne autem quod commune eſt, ex iuſto conflari. Ab illa univerſali κοινωνίᾳ re-

νία rerumpublicarum tranſit ad particulares, quæ ſunt partes illius maximæ κοινωνίας, qua univerſa civitas cenſetur. Αἱ δ᾽ ἄλλαι κοινωνίαι εἰσὶν, ἢ μόριον τῆς τῆς πόλεως κοινωνιῶν, οἷον ἡ τῶν φρατόρων ἢ τῶν ὀργέων. *Aliæ vero communitates ſunt, aut particula communitatum civitatis, ut illa eſt,* φρατόρων, *vel Orgeonum.* Scribitur hodie apud Ariſtotelem φρατόρων, ἢ ὀργίων. Quod Latine reddunt doctiſſimi interpretes, *velut contribulium, & quæ vocatur Orgeonum.* Sed non viderunt mendum hærere in voce ὀργίων. Non enim ὄργια recte ponuntur cum φράτορσιν. Dixiſſet potuit, οἷον ἡ τῶν φρατόρων ἢ ὀργιαστῶν. Vel ἡ τῶν φρατριῶν ἢ τῶν ὀργίων. Sed ne ſic quidem ſimilitudo procederet. Nam φρατρίαι corpora ſunt, ὄργια non ſunt corpora. Vnica littera mutata ſcribendum, ἢ τῶν ὀργέων, id eſt, ὀργεώνων. Nam ὀργέως dixerunt pro ὀργέωνας, & ὀργέων pro ὀργεώνων. Quod Harpocration notavit uſurpaſſe Lyſiam in Oratione de Theopompi hæreditate. Ὀργέων, inquit, ἀντὶ τοῦ ὀργεώνων, Λυσίας τῷ περὶ Θεοπόμπου κλήρου. Quæ unice confirmant noſtram correctionem in hac lege Solonis, φράτορες, ἢ ὀργεῶνες. Vnde apud Athenæum lib. VI. coniunctim recenſentur, τὰ φρατερικὰ, καὶ ὀργεωνικὰ δεῖπνα. Ariſto-

riſtoteles capite ſequenti Eudemiorum, κοινωνικὴν amicitiam eamdem facit cum πολιτικῇ, qualis reperitur in omnibus κοινωνίαις ſive συστήμασι κοινωνικοῖς, quorũ maximum eſt ipſa πόλις, deinde partes civitatis, ſive particularia corpora, ut φυλαὶ, φρατρίαι, γένη, ἔθνη, λόχοι, ac ſimilia. Quæ corpora ſive collegia vetus auctor apud Euſtathium συστήματα κοινωνικὰ appellat, & lege inſtitutam κοινωνίαν habere ſcribit. ὅθεν καὶ ἦν τι σύστημα κοινωνικὸν, οἱ γεννῆται, ὅ ἐστιν ἡ ἐκ τῶν γεννῶν τῶν συντενεμημένων εἰς τὰς φρατρίας, ἤτοι τῶν ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους κοινωνία. Καὶ ἦσαν οὗτοι καθάπερ οἱ δημόται, καὶ οἱ φράτορες, ἤδη δὲ καὶ οἱ πολῖται, καὶ οἱ θιασῶται, καὶ οἱ φυλέται, καὶ οἱ λοχῖται, καὶ οἱ ἐθνῖται, καὶ οἱ δαιταλεῖς, νόμῳ τινὶ ἔχοντες κοινωνίαν. In his ἐθνῖται iidem ſunt cum φράτορσιν, quatenus ἔθνος idem cum φρατρίᾳ, ſed hominum, ut dixi, conditione ac genere differentium. Λοχῖται ſunt etiam civitatis corpora, ne quis ad militiam; & ταξιαρχικοὺς λόχους eos revocet. Nam Ariſtoteles in Politicis lib. V. cap. VIII. λόχους cum φρατρίαις & φυλαῖς recenſet inter corpora civitatis. καὶ ἀντίγραφα τῶν φρατριῶν, καὶ λόχους, καὶ φυλὰς τιθέασιν. Vt ex ordine quem ſequitur apparet, maiores fuerunt λόχοι phratriis, & minores φυλαῖς. Alibi in

iiſdem libris de Republica lib. IV. cap. XVI, pro λόχοις nominat δήμους. οἷον κατὰ φυλὰς, καὶ δήμους, καὶ φρατρίας. Ubi rurſus δήμους interiicit inter φυλὰς, & φρατρίας, tanquam minores φυλαῖς, & maiores φρατρίαις. Quod verum eſt. Ergo λόχοι Ariſtoteli iidem cum δήμοις. Dionyſius Halicarnaſſeue lib. II. Antiquitatum λόχον eumdem facit cum φρατρίᾳ, & λοχαγοὺς eoſdem eſſe dicit qui φρατριάρχοι dicebantur. Φράτρα δ᾽, inquit, καὶ λόχος, ἡ κουρία. Non tamen λόχοι iidem videntur cum δήμοις apud Ariſtotelem. Sed ut *decuriæ*, partes curiarum apud Tacitum, & Tertullianum, ita & λόχοι φρατριῶν, quia per λόχους diſponebantur, id eſt, decurias. Nam & φρατρίαν quoque *decuriam* interpretantur optimæ Gloſſæ, cum ſint tantum partes curiarum, ſive φρατριῶν. Vt plurimum λόχος decem erat hominum; quæ eſt decuria. Sed & λόχοι, in phalange aliquando fuerunt ſedecim militum, immo & triginta duorum, cum altiſſimi eius fuere ordines ex duplicatis λόχοις. Puto igitur, Ariſtoteli λόχους appellari quæ aliis γένη. Nam triginta hominum erant qui (γεννῆται) vocabantur. Et ſingulæ phratriæ in triginta eiuſmodi γένη, quos λόχους appellat

Ari-

Ariſtoteles, dividebantur. Hoc veriſſimum ſtatuo. Quod ad δαιδαλεῖς attinet, haud ſcio quare nominatim eos commemoret auctor ille inter corpora civitatis κοινωνικὰ, cum nomen δήμου fuerit ita vocati Athenis, ut diſcimus ex Galeno in præfatione Lenici Hippocratici. Non magis autem συγγενικὰ corpora Athenis fuere φρατρίαι, & φυλαὶ, quam Romæ *tribus*, & *Curiæ*; quæ reſpondent Græcis vocabulis φυλῶν, & φρατριῶν, ut res ipſa ac diviſio paria facit. Et Græci ſcriptores Romana illa nomina ſic ſolent reddere. Apud Athenienſes qui peregrinitatis accuſabantur, debebant probare ſuum proavum in aliqua φρατρίᾳ adſcriptum fuiſſe. Ariſtophanes in Avibus:

> Εἰ δ' δοῦλός ἐστι Κὰρ, ὥσπερ Ἐξηκεστίδας,
> Φυσάτω πάππους παρ' ἡμῖν, καὶ φανοῦνται
> φράτορες.

Ubi interpres, οἱ εὐθυνόμενοι ὡς ξένοι ὀφείλουσι τοὺς ἰδίους πάππους ἀποδεικνύναι, ἐκ τῆς φρατρίας ἄνωθεν ὄντας. Καλλίμαχος, οὐκ ἀναγράφω τὸν πάππον. Hoc eſt, ἐκ τριγονίας ſe civem fuiſſe oſtendere debuit. Κοινὸν γραμματεῖον vocabantur communes tabulæ quibus nomina inſcribebantur eorum quos inter φράτορας recipiebant, aut in-

ter γεννήτας. Ληξιαρχικὸν autem, cui ſolebant inſcribi in numerum δημοτῶν recipiendi. Vide Harpocrationem. In hæc tria autem γραμματεῖα referenda curabant nomina liberorum cives Athenienſes, ut apparet ex Oratione Iſæi de hæreditate. Idem Scholiaſtes vetus Ariſtophanis, cum φράτορας interpretatur συγγενεῖς, & Heſychius aliique Gloſſographi, qui φυλέτας etiam ſic exponunt, toto cœlo errant. Nec φυλὴ, nec φρατρία συγγενικὸν in civitate corpus fuit, ſed πολιτικὸν tantum & κοινωνικόν. Auctore quippe Ariſtotele φιλία κοινωνικὴ, eadem cum πολιτικῇ. Λέγονται δὲ φιλίαι, συγγενικὴ, ἑταιρικὴ, κοινωνικὴ ἡ λεγομένη πολιτική. Tales omnes hæ κοινωνίαι fuere, nempe πολιτικαὶ, quibus nomina ſunt indita συγγενικά. Iſtæ quidem à principio fuerunt συγγενικαὶ κοινωνίαι, & inde orta eſt hæc diviſio partium & ſocietatum civitatis, quæ procedente tempore, civium multitudine exuberante, cum initio fuiſſent συγγενικὰ corpora, omnem, ut in mare proiecta dulcis aquæ quantitas ſtatim diluitur, exuerunt cognationem. Hæ tres autem συγγενικαὶ κοινωνίαι, ut iam ante notavimus ex Dicæarcho, fuere, πάτρα, ſive πατριὰ, φράτρη ſive φρατρία, & φυ-

φυλή. A prima nomen datum fuit φρονήτεως. Nam γένος & πάτρη idem Latinis, nempe *familia*, cuius dux & princeps pater familias. Et inde πάτρη, nempe κοινωνία patris cum liberis, & liberorum cum patre. Φρατρία proprie eſt fratrum ſororumque κοινωνία. Φυλὴ utrumque comprehendit~. Sed in diſtributione partium civitatis in certa corpora diviſę, cum nomina primitus illæ ab his tribus συγγενικαῖς κοινωνίαις nactæ fuerint~, non tamen erant συγγενικὰ συστήματα, ſed πολιτικὰ, & κοινωνικά. Unde φρατρία, vel φατρία, pro quolibet cœtu & conventu, & φατριάζειν pro conventus agere vel conventicula. Auctor incertus apud Suidam: Ἀναστάσιος Σιλεντιάριος ὁ μετέπειτα βασιλεύσας, ἐπὶ Εὐφημίου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως, καθέδραν κατασκευάσας μετά τινων ἐφρατρίαζεν, id eſt, conventicula agebat~. Vnde & Grammatici φατρίαν, σύνταγμα, & σύστημα interpretantur. Nulla ergo συγγένεια ſive cognatio inter ſe fuit φυλετῶν invicem, neque φρατόρων, immo ne quidem γεννητῶν. Nam quamvis & hi συγγενεῖς appellentur, non intelligendum id eſt de naturali συγγενείᾳ, & ſanguinis propinquitate, ſed de κοινωνίᾳ illa civili, qua inter ſe coniungeban-

tur

tur qui eiuſdem corporis πολιτικῦ ſive collegii conſortes erant. Nam συγγενεῖς non ſolum οἱ τῦ αὐτῦ γένυς, quantum ad cognationem, μετέχοντες, ſed etiam οἱ τῦ αὐτῦ γένυς, id eſt, corporis ſive collegii, iure civili conſtituti, quod γένος appellabatur, participes ac ſocii. Iſæus in Oratione de Apollodori hæreditate γεννῆτας, ſive γεννήτας eoſdem ac συγγενεῖς appellat. Vt initio ſtatim, de eo qui adoptaverat ſororis filium, εἴτις αὐτὸς ζῶν καὶ εὖ φρονῶν ἐποίησατι. καὶ ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἀγαγὼν εἰς τοὺς συγγενεῖς ἀπέδειξε, καὶ εἰς τὰ κοινὰ γραμματεῖα ἐνέγραψε. Vbi συγγενεῖς ſunt non conſanguinitate propinqui, ſed γεννῆται, qui partem φρατρίας conſtituebant. Idem paulo poſt ita συγγενεῖς & φράτορας coniunxit, ut paulo ante γεννήτας, & φράτορας, his verbis, ὅτι πεποιημένος εἴη με ὑόν, καὶ ἐγγεγραφὼς εἰς τοὺς συγγενεῖς καὶ φράτορας, id eſt, εἰς τοὺς γεννῆτας, καὶ φράτορας, quemadmodum paulo ſuperius iunctim eos nominavit: οὕτω μὲν οὐχ οἱ γεννῆται μόνον καὶ φράτορες γεγόνασι μάρτυρες τῆς ἐμῆς ποιήσεως. Teſtes illi fuere eius adoptionis, cum in eorum γραμματεῖα, quæ κοινὰ vocabantur, referendum eius nomen curavit pater adoptivus. Atque ita recte Harpocration τοὺς συγγενεῖς apud Iſæum exdo-

expoſuit, non de conſanguineis, vel cognatis, ſed de his qui eiuſdẽ eſſent collegii civilis, & corporis, quod Athenis γένος appellabatur, quæ pars erat trigeſima φρατρίας. Ἰσαῖος, inquit, ἐν τῷ περὶ τοῦ Ἀπολλοδώρου κλήρῳ, τοὺς συγγενεῖς γεννήτας ὠνόμασεν. Οὐχ οἱ συγγενεῖς μέντοι ἁπλῶς, καὶ οἱ ἐξ αἵματος, γεννῆται ἦσαν καὶ οἱ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἐκαλοῦντο, ἀλλ' οἱ ἐξ ἀρχῆς εἰς τὰ καλούμενα γένη κατανεμηθέντες. Cum autem γένη vocarentur illa Reipublicæ Athenienſis corpora quæ partes conſtituebant φρατριῶν, non γενῖται tamen qui corporis eiuſdem erant quod γένος appellabatur, ſcribũtur apud auctores, ut ἐθνῖται, ſed γεννῆται. Nam ex ſerie litterarum ita eorum nomen ſcripſiſſe Heſychium apparet. Ab antiquo igitur γέννα & γέννη deductos liquet, quæ vox idem quod γένος ſignificat. Vnde γενναῖος, & γεννάδας, generoſus, ex familia ac genere nobili ortus. Unde & γεννάδας Heſychio non ſolum εὐγενὴς exponitur, ſed etiam συγγενὴς eiuſdem γέννης, & eiuſdem γένους. Et γενναῖον τὸ εὐγενὲς, καὶ τὸ τῆς γενέσεως ἀρχηγὸν, καὶ συγγενικόν. Ergo idem γέννη, & γένος. Unde γενάρχης pro patre qui dux eſt ac princeps familiæ ſive γένους. Idem Heſychius γεννήτας exponit τοῦ αὐτοῦ γένους μετέχοντας,

χοντας, corporis nempe politici, ἢ ἀπ' ἀρχῆς ἔχοντας κοινὰ ἱερά. Non inter ſe igitur συγγενεῖς, nec γένει προσήκοντες, qui συγγενεῖς & γεννῆται vocabantur in Republica Athenienſium, ſed corporati erant in partibus curiarum ſive φρατριῶν, quæ collegium ſive σύστημα πολιτικὸν faciebant, ut δημόται, & φυλέται. Sed clariſſime Mœris Atticiſta in Lexico negat, hos γεννήτας cõſanguitatis aut cognationis nomen aut ius habuiſſe Athenis, ſed πολιτικοῦ συστήματος fuiſſe appellationem. Sic enim ſcribit: Γεννῆται, καὶ τὸ πρᾶγμα καὶ τὸ ὄνομα. εἰσὶ δὲ γεννῆται τοιόνδε τι. ἡ πόλις ἡ τῶν Ἀθηνῶν τὸ παλαιὸν διεκόσμητο δίχα, εἰς πέτας γεωργοὺς, καὶ τοὺς δημιουργούς. οὗτοι πάλιν διῄρηντο εἰς φυλὰς τέσσαρας. αἱ δὲ φυλαὶ ἑκάστη εἰς τριττύας, εἰς δὲ ἑκάστην τριττὺν εἰσήχθη γένη τριάκοντα, οὐδὲν ἀφ' αἵματος ἀλλήλοις προσηκόντες, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ πολιτικοῦ συστήματος ὄντως ὠνομασμένοι. Nulla autẽ in lege Solonis quam prę manibus habemus mentio extat συστημάτων vel κοινωνιῶν συγγενικῶν. Sed aut ſunt πολιτικαὶ, ut φράτορες, δημόται: aut ἱερατικαὶ, ut ἱεροποιοὶ, & ὀργεῶνες: aut ἑταιρικαὶ, ut σύσσιτοι, & θιασῶται. De his Thiaſotis hic notat vir doctiſſimus, *vix differre ab iis quos dixit antea* ἱερῶν ὀργίων μύστας. Primum nulli in hac lege

lege ἱερῶν ὀργίων μύσται, niſi ex coniectura correctoris; quæ eſt falſiſſima. Deinde etiam ſi vera eſſet, multũ differunt Thiaſotæ à Myſtis, quantũ ſane diſtant Thiaſi à myſteriis. Sed adiicit ſtatim celebris Advocatus, qui hæc myſteria parum intelligere videtur, *ſed non omnes θιασῶται erant myſtæ, ſed myſtas imitabantur.* Cur magis quam Myſtę Thiaſotas? Hæc ridicula ſunt. Citatis ex Heſychio & Harpocratione locis, quibus variæ afferuntur θιάσου & θιασωτῶν expoſitiones, addit, *in his autem Thiaſis ſæpius crapula. Quare θίασον Heſychius εὐωχίαν interpretatur. Quare θίασοι & ἑταιρεῖαι eiuſmodi compotationibus & comeſſationibus peragebantur.* Et mirari ſe ait quorundam Chriſtianorum κακοζηλίαν, qui hanc dictionem ad religionis noſtræ ſacra tranſtulerunt, dum τοῦ χριστοῦ θιασώτας, & θιασώτας ἀληθείας appellat Theodoretus eos qui Chriſtianam pietatem profitentur. Si Thiaſotæ Myſtas imitabantur, ut dicit vir argutus, æque uſurpare iſtud vocabulum de noſtra religione potuerunt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores ac μυστήρια vocata ſunt ſanctiſſimæ profeſſionis ſacramenta. Quod θίασον Heſychius εὐωχίαν interpretatur, non ex eo ſequitur, crapulam in Thiaſis fuiſſe.

Nulla

Nulla unquam corpora, collegia, ſodalitia, ſive civilia ſive ſacra, extitere olim ſine δωχίαις & epulis. Omnia eiuſmodi συςήματα κοινωνικὰ, vel ἑταιρικὰ, duabus rebus præcipue conſtabant, in quibus magna pars κοινωνίας & ſocietatis conſiſtebat, θυσίᾳ & δείπνῳ, ſacrificio & epulo communi. Nunquam θυσία ſive ſacrificium fiebat quin epulum ſequeretur. Cum autem omnibus huiuſmodi κοινωνικοῖς cœtibus Deorum peculiarium cultus obſervaretur, quotieſcumque iis ſacra facerēt, ſacrificio epulum adiungebatur, vel communibus impenſis ſodaliũ, vel unius ſumptu ex collegiatis, qui ἑςιάτωρ erat. Tribus his κοινωνίαις συγγενικαῖς, à quibus denominatæ ſunt & ſocietates civiles præcipuorum corporum cuiuſque civitatis, ſua peculiaria fuere Numina. Πάτρη habuit θεὺς πατρώυς, quorum mentio apud auctores, & in antiquis inſcriptionibus. Φρήτρη, vel φράτρη, Deos φρητρίυς, phratriæ proprios, quorum meminit inſcriptio vetus, & Pollux, & alii. Φυλὴ quoque θεὺς φυλίυς. Pollux lib. III. cap. IV. καὶ θεοὶ φράτριοι, καὶ φύλιοι. Sic legendum, non ut vulgo eſt, φίλιοι. Singulæ quoque civitates, quæ maxima fuit πολιτικὴ κοινωνία, & omnes minores

nores comprehendens, ſuos habuit ac proprios Deos qui πολιοῦχοι dicti ſunt. Vt erant cuique corpori vel ſocietati ſui Dii, ita ἱερὰ, & θυσίαι, & δεῖπνα. Vnde & φυλετικὰ ἱερὰ, φρατρικὰ, & πατρωτικά. Itẽ φυλετικὰ δεῖπνα, φρατρικὰ, & δημοτικά. Certe nunquã ſacrificium ut dixi fiebat quin adiunctum haberet epulum quo accipiebantur omnes collegii vel corporis conſortes. In veteri Inſcriptione, μὴ ἐξουσίαν δὲ ἐχέτωσαν ὁ φρήτραρχος, ἢ οἱ χαλκολόγοι, ἢ ὁ φροντιστὴς, ἢ οἱ διοικηταὶ, ἢ ἄλλος τις τῆς φρήτρας τῆς Ἀριστιαίων, τὴν θυσίαν ἢ τὸ δεῖπνον ὑπερτίθεσθαι παρὰ τὰς τεταγμένας ἡμέρας. Ex quibus perſpicitur, omnia eiuſmodi collegia habuiſſe χαλκολόγους, qui æra colligerent à ſingulis, aut uſuras exigerent pecuniæ communis in fœnus datæ, ut ex eius reditu ſufficerent impenſis quas ſocietas in ſacrificiis faciendis & epulis ſuſtinebat. Non autem de ſuo ſupplebant iſti φατρίων χαλκόλογοι, ſi quid minus à ſodalibus corraſiſſent, aut ſi qui debitorũ ſocietatis ſolvendo non eſſent, ut hariolatus eſt coniector. Curiæ quoque Romanæ plebis quæ erant φρατρίαι Græcorum, ſacrificia quædã peculiaria Curiis faciebant, ac una omnes curiales, ideſt, φράτορες epulabantur

bantur. Domoſque ad eam rem communes τὰς φρατρίας habebant in quibus illæ epulæ factitabantur, quæ eodem nomine cũ ipſis φρατρίαις vocabantur, ideſt, *Curiæ*. Dionyſius ἑστιατόρια Græce reddit. In collegiis igitur ac corporibus cuiuſcunque generis, ac ad rem quamcunque conſociatis & collectis, nullum ſacrificium ſine epulo, ut nullum collegium ſine ſacris peculiaribus, aut deorum proprium cultu præcipuo. Nunc de θιασώταις in lege Solonis quærendum quinam illi fuerint, cum multa θίασος ſignificet. Nam & convivium ſollemne ſignificat, ut ἔρανος. Et Pollux in ſynonymis περὶ συμποσίου, θίασον recenſet, ἢ εἰλαπίνην, ἢ ἔρανον, ἢ ἑστίασιν. Inde Euſtathius θιασίτας ſive θιασώτας eoſdẽ cum ἐρανισταῖς ſtatuit, Quod tamen falſnm eſt. Sed ex auctoribus Atticis exquirenda vera θιασωτῶν Solonis interpretatio quam ſine dubio talem ſuppeditabunt qui λεξικὰ Rhetorum ediderunt, voceſque collegerunt Rhetoribus Athenienſium uſurpatas. Acquieſcendum igitur expoſitioni quam attulit Harpocration, θίασος ἐστί τι ἀθροιζόμενον πλῆθος ἐπὶ τελετῇ ἢ τιμῇ θεῶν. Collecta igitur multitudo, & in collegii vel ſocietatis corpus redacta

dacta ad honorem cuicunque Deo exhibendum & ſacra eius celebranda, *θίασος* vocabatur, & *θιασῶται* eius ſocietatis conſortes. Tales ſunt quas hodie vocamus *Confratrias*, in honorem alicuius Divi congregari ſolitas ex artificum vel opificum plebe, cum ſingula opificia Sanctũ ſuum, cui ſe conſecrarunt, & quẽ proprio cultu venerantur, habeant. Quæ confratriæ *θιάσοις* veterũ Græcorũ plane ſimiles deprehenduntur. Quẽadmodum enim Græci *θιάσους* Baccho, Herculi, Apollini inducebant, ita hodie confratriæ huic aut illi divo ex plebe Sanctorũ ſeſe addicunt, & natales eius celebrant feſtis, conviviis, choreis, & aliis eiuſmodi laſciviis, ab antiquorũ *θιάσων* ritu non abhorrentibus. Iſæus de Aſtyphili hæreditate, *εἰς τοίνυν τὰ ἱερὰ ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς τὸν Ἀςύφιλον παῖδα ἦγε μεθ' ἑαυτοῦ, ὥσπερ καὶ ἐμὲ πανταχῆ. καὶ εἰς τοὺς θιάσους τοῦ Ἡρακλέους ἐκεῖνον εἰσήγαγεν ἵνα μετέχοι τῆς κοινωνίας. αὐτοὶ ὑμῖν οἱ θιασῶται μαρτυρήσουσιν.* Vbi vides huiuſmodi *θιάσους*, nomine *κοινωνίας* inſignitos. Et ſane omne collegium ſive *ἑταιρεία, κοινωνία*. Differebant *θιασῶται* à *συσσίτοις*, quia *σύσσιτοι* ſemper una veſcebantur, *θιασῶται* certis tantum diebus cum ſacra facerent. *Συσσίτια* apud veteres fre-

quentia non ſolum Lacedęmone, & apud Cretenſes, ſed etiam apud Athenienſes, ut ex hac lege Solonis planum eſt. Horum ζυσσιτίων, non ſolum Spartanorum, & Creticorum, ſed aliorum etiam meminit multis locis Ariſtoteles in libris de Republica. Et quid aliud fuerunt primorum Chriſtianorum ἀγάπαι, quam ζυσσίτια? Iudæi ipſi in iis urbibus ubi pauci erant numero, ſæpe ζυσσίτια habebant, aut coibant ad epulas communes, ut conſtat ex Ioſepho, ubi ſcribit, cum Cæſar cætera collegia ſuſtuliſſet, id eſt, θιάσους, ſolis Iudæis permiſiſſe pecunias in communem arcam conferre, & convivia facere. Καὶ γὰρ Γάϊος Καῖσαρ κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὰ πόλιν, μόνους Ἰουδαίους οὐκ ἐκώλυσεν οὔτε χρήματα συνεισφέρειν οὔτε σύνδειπνα ποιεῖν. Vbi notandum eſt, θιάσους eum vocare, omnis generis collegia, quia nullum ferme fuit quin religionem pro fine haberet, & alicuius Deorum cultum quem ſibi proprium & peculiarem adſciſcebant. Inde ſacra, ſacrificia, convivia communia, & pecunia ad horum ſumptum in commune collata. Lex Solonis inter ζυσσίτους & θιασώτας collocat ὁμοτάφους, ut vulgo legitur. Sed iam docuimus, nullum hoc nomine & hac conditio-

ditione coiiſſe olim collegium, ut nulla inter collegiatos & corporatos eſſet *κοινωνία* niſi *ταφῆς*. In una *ἑταιρείᾳ* ſive *κοινωνίᾳ* viventibus ſæpe placuit etiam commune habere ſepulcrum, ſed ut vita diviſi in morte cõiungerentur non auditum eſt. Patroclus in ſomniis Achilli cuius *ἑταῖρος* fuerat, mortem ſuam ſignificat, & rogat ut oſſa ſua in eadem urna conderentur qua propria ipſius condi vellet.

> *Μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθήμεναι ὀστέ' Ἀχιλλεῦ,*
> *Ἀλλ' ἵνα περ σὲ καὶ αὐτὸν ὁμοίη γαῖα κεκεύθῃ,*
> *Χρυσέῳ ἐν ἀμφιφορεῖ, τόν τοι πόρε πότνια μήτηρ,*
> *Ὡς ὁμοῦ ἐτράφεμεν περ ἐν ὑμετέροισι δόμοισι.*

Non mirum qui ſimul in eadem domo educati fuerant, velle etiam *ὁμοτάφους* eſſe. Ita hoc ipſo nomine utitur Aeſchines contra Timarchum, de hac ipſa re loquens, *Ἀναγινώσκω δή*, inquit, *ἃ περὶ τοῦ ὁμοτάφους αὐτοὺς γίνεσθαι λέγει ἐν τῷ ὕπνῳ Πάτροκλος, καὶ περὶ τῶν διατριβῶν ἃς συνδιέτριβον ἀλλήλοις.* Nos igitur pro *ὁμότα φοι* legendũ ſupra putavimus *ὁμόγαλοι*, cum in litteris capitalibus Græcorum gamma

eodem ferme modo ſcribatur. Inde cum ſcriptum eſſet ΟΜΟΓΑΛΟΙ, imperiti librarii fecerunt ΟΜΟΤΑΦΟΙ. Quinam eſſent ὁμογάλακτες, apud Athenienſes explicavimus, iidem nimirum qui & γεννῆται, qui eiuſdā πάτρας erant & familiæ ſic proprie vocabantur. Sed in diſtributione κοινωνιῶν πολιτικῶν Athenis non ſic appellati ſunt qui genere ſe contingerēt, ſed qui κοινωνίᾳ hoc nomine appellata cōiungerentur. Ariſtoteles in Politicis ſic vocatos oſtendit qui eamdem κώμην incolerent, ubi docet κώμην, ἀποικίαν οἰκίας eſſe, *pagum, domus eſſe coloniam*. Virum autem doctum, qui ſcriptum fuiſſe exiſtimat ὁμοκάπνους pro ὁμοτάφους, prorſus hariolari iam diximus. Nam Epimenidæ Cretenſi ὁμόκαπνοι dicti ſunt Ariſtotele teſte omnes qui in eadem domo patrisfamilias viverent, liberi nempe ipſius cum uxore, & omni familia. Eoſdem Charondas ὁμοσιπύους appellaverat. Hos cum συσσίτους interpretatur vir ille doctiſſimus, etiam validius hariolatur. Nam σύσσιτοι dicebantur, qui ex diverſis familiis ac generibus hominum ξυσσίτιον unum ſive collegium ξυσσιτίας componebant, ut Cretenſium & Lacedæmoniorum fuere ξυσσίτια, atque etiam Athenienſium.

Vnde

Vnde *ſυσσίτιον* Platonis viginti & octo hominibus conſtat apud Athenæum. *Πρυτάνεις* quoq; Athenienſium fuere *σύσσιτοι*. nam quotidie una epulabantur. Idem Athenæus lib. v. *Συνεδείπνουν δ᾽ ὁσημέραι οἱ περὶ πρυτάνιν σώφρονα καὶ σωτήρια τῆς πόλεως σύνδειπνα.* An non *σύσσιτοι* fuere, qui quotidie una cibum ſumebant? Si in hac lege Solonis *ὁμοκάπνους* legeremus pro *ὁμοτάφους*, ſingulæ domus & familiæ, totidem compoſuiſſe collegia & *ἑταιρείας* viderentur Athenis quibus lege datum eſſet ratum eſſe quodcunque inter ſe de ſuis rebus ſtatuerent & ordinarent. Nam *ὁμόκαπνοι* voce Cretica Epimenides Cres appellavit omnes eiuſdem familiæ perſonas, hoc eſt, liberos cum patre, & matre, famuliſque, & libertis, ut ex Ariſtotele perſpicuum eſt, quem non videtur conſuluiſſe cum hæc legeret vir eruditiſſimus. Ibi *οἶκον* definit, id eſt, familiam, naturalem eſſe *κοινωνίαν*, contractam & congregatam *εἰς πᾶσαν ἡμέραν*. Hoc ad differentiam cæterarum *κοινωνιῶν* dixit, quæ non coibant omnibus diebus ſed ſingulis tantum menſibus ſemel ſtato die, vel ſæpius certis temporibus. Hanc familiæ unius ſive domus *κοινωνίαν φυσικὴν, ὁμοσιπύων* eſſe Charon-

das ſcripſerat, Epimendes Cretenſis *ὁμοκάπνων*. Ipſi ſic dicti quod eamdem *κάπνην* habitarent, hoc eſt, voce Cretica, eamdem domũ. *Κάπνη* quoque Atticis *τὸ καπνοδοχεῖον*, qua fumus exhalat ex foco apud Ariſtophanem in Veſpis. Inde & pro domo Cretibus uſurpatum. Sub imperatoribus Conſtantinopolitanis *καπνικὸν τέλος*, inſtitutum quod ſingulæ *κάπναι* ſive *καπνοδοχεῖα* præſtare cogebantur. At *ὁμοσίπνοι* appellati qui ex eadem *σιπύῃ* ederent. *Σιπύη* autem *σιτηρὸν ἀγγεῖον* exponitur in Lexicis Rhetoricis. Si ſingulæ domus ac familiæ totidẽ collegia ſunt, nõ veto *ὁμοκάπνους* emẽdari in lege Solonis pro *ὁμοταφοις*. Ex pluribus familiis coacta & compoſita *κοινωνία* prima, non quotidiani uſus gratia inſtituta, Ariſtoteli *κώμη*, id eſt, pagus. Unde & *καλοικία* appellata, id eſt, ex pluribus conſtans *οἰκίαις*. Tales erant *δῆμοι* Athenienſium. Nam *δῆμος*, *κώμη*. *Κώμην* igitur quaſi *ἀποικίαν οἰκίας* eſſe dicit Ariſtoteles, coloniam familiæ, *οὓς καλοῦσί τινες ὁμογάλακτας, παῖδάς τε, καὶ παίδων παῖδας*. Recte dicit à quibuſdam ſic appellari. Nam Athenis ipſi *γεννῆται* appellabantur *ὁμογάλακτες*, id eſt, eiuſdem familiæ contubernales. Nam *γένος*, familia

idem

idem quod *οἶκος*, vel *οἰκία*. Sed *ὁμογάλακτες* proprie fratres, & ſorores, quia eodem lacte educati, ut una matre geniti. Hi cum grandes exiſtunt, & ipſi etiam ſuæ quiſque familiæ duces ac principes eſſe incipiunt, uxoribus ductis, & editis liberis. Sic quæ una familia fuerat & *οἰκία* ſub uno patrefamilias, in plures propagatur, & *κώμην* componit, quæ eſt *ἀποικία οἰκίας*. Omnes autem patresfamilias, qui eam *κοινωνίαν κώμης* conflant, ſunt plane *ὁμογάλακτες* quia fratres. Si & ſorores cum ſuis maritis in eadem *κώμῃ* degunt, tum *φρατρία* fit. Si ab uno & principali totius generis auctore regitur, eadem quoque *πατριὰ* eſt. At *πάτρη*, & *πατριὰ* proprie de una *οἰκίᾳ*, cuius pater dux eſt ac princeps, ſolis imperans liberis, & uxori, totique familiæ. Ariſtoteles ibidem, *Πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου, ὥστε καὶ αἱ ἀποικίαι διὰ τὴν συγγένειαν*. Pater eſt qui regit *οἰκίαν*, quæ *πάτρη* eſt, vel *πατριὰ*, quia *πρεσβύτατος*. Si ſub ſe quoque habeat *παῖδας παίδων*, tum *πατριὰ* ſimul eſt, & *φρατρία*, ut dixit Dicæarchus. Si ex ſolis fratribus conſtat ἡ *ἀποικία*, ibi *πρεσβύτατος* fratrum imperat. Inde & *φυλὴ* originem ſumpſit, quæ *πατριὰς* plures

& φρατρίας comprehendit. Inde illa nomina partium civitatis, & κοινωνιῶν de quibus iam ſupra diximus. Alia etiam diviſio κοινωνιῶν hinc poteſt deduci, ut aliæ ſint φυσικαὶ, aliæ νομικαὶ, aliæ προαιρετικαί. Φυσικαὶ eædem cum συγγενικαῖς, quarũ prima οἰκία, ſive πάτρη, deinde κώμη ſive δῆμος, & olim φρατρία, atque etiam φυλή. Νομικαὶ eædem cum πολιτικαῖς, quia νόμῳ inſtitutæ quales ævo poſteriore συμμορίαι, φυλαὶ, φρατρίαι, δῆμοι, & cæteræ quæ νόμῳ conſtitutam habent κοινωνίαν. In quibus etiam ſunt ἱερατικαὶ, ut ἱεροποιῶν, & ὀργεώνων. Nam & eas lege inſtitutas liquet. Aliæ προαιρετικαὶ, quæ ex voluntate coënntium ſuſceptæ ſunt, ut omnes ἐπιμελικαὶ κοινωνίαι, & ſodalicia collegia, quæ non unius generis. Græci variis nominibus hæc ſolent indigetare. Κοινωνίαν vocant, & σύστημα κοινωνικὸν, item σύνοδον κοινωνικὴν, σύνταγμα, τάξιν, ut in veteri inſcriptione, τάξις τῶν Παιανιστῶν, σύλλογον, ἐπιμέλειαν, σύστημα ἐπιμελικὸν, & alia quæ non occurrunt. Cum igitur quæ præceſſerunt in lege Solonis, omnes ſint huiuſmodi κοινωνιῶν ſive κοινωνικῶν συστημάτων appellationes Athenis notæ, debent & quæ ſequuntur in fine eiuſdem generis eſſe, in his verbis quæ

Sal-

Salmaſio viſa ſunt non carere vitio in editionibus, ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι ἢ εἰς ἐμπορίαν. Si aliquod Athenis tunc fuit cognitum ullum collegium, vel lege, vel voluntate ad hoc inſtitutum, ut prædæ agendæ ex hoſtibus ſocietas contraheretur, permitto bonis ingeniis, quale eſt noſtri Advocati vulgatam lectionem tueri. Quæ & ipſa tamen nihil κοινωνικὸν inducit, ut neceſſe eſt, prout alia quæ præceſſerunt flagitant, utpote quibus aliqua κοινωνία, vel κοινωνικὸν corpus deſignatur. Recta igitur ac vera noſtra emendatio, ἢ καπηλειῶν κοινωνοί, ἢ ἐμπορειῶν. Niſi, quis malit κοινώμενοι, quod Atticũ eſt pro κοινωνοί. Vulgo Athenis vocabantur κοινωνικοὶ mercatores & negotiatores ἔμποροι & κάπηλοι, qui cõtraxerant ſocietatẽ omniũ bonorum ad mercaturam exercendam, vel cocionaturam quæ eſt καπηλεία. Ita Harpocration interpretatus eſt κοινωνικὸς in Oratione Demoſthenis, quæ eſt περὶ συμμοριῶν. τάχα δὲ, inquit, καὶ περὶ τῆς ἑκούσιον κοινωνίαν συνθεμένων ἐμπορίας ἤ τινος ἄλλης, ὧν ἕκαστος οὐκ εἶχε τὸ ὅλον τίμημα τῆς ὅλης οὐσίας. Recte igitur à nobis hic emendatũ, εἰς καπηλείας κοινώμενοι ἢ ἐμπορίας. Per me licet glandibus veſcantur qui fruges non recipiunt.

CAP. V.

Confirmata Salmaſii coniectura in leg. LXIX. *D. pro ſocio. Nundinas ibi eſſe quas Græci* ἐμπολὰς *appellant, id eſt,* φορτία, *ac merces. Mos Vlpiani obſcuriora Latina Græcis notioribus explicantis. Quot modis accipiatur vox nundinarum apud Romanos.* Ἀγορὰν *Græcis utrumque ſignificare, tam nundinas ipſas,& forum nundinarium, quam res quæ in eo venales proſtant.* Ἀγορὰ *commeatus.* Ἀγορὰν παρέχειν, *ſtapam facere. Stapa idem quod forum, &* Ἀγορὰ, *veteri voce Saxonica. Lex prædicta Vlpiani pluribus explicata. Quatriduarias epulas in ea locum non habere.*

COLLEGIA ſive corpora πολιτικὰ, de quibus ſuperiore capite egimus, & quorum mentio fit in lege Solonis, quam explicavimus & emendavimus, multũ diſtant ab illis ſocietatibus quæ tractatu habito contrahuntur inter plures de alicuius rei vel negotiationis communione ineunda ſic inſtitutæ, ut lucrum & damnum commune ſit inter ſocios. Hic contractus bonæ fidei eſt, & iungitur à Cicerone cum tutelæ & fiduciæ iudiciis, de quibus nos alibi. Κοινω-

νίαι

νίαι tamen *ἐμπορίας*, & *καπηλείας*, quarum ex noſtra correctione eadem lex Solonis meminit, non multũ ab eo genere ſocietatis quæ inter mercatores ad negotiationis communionem initur diverſæ videntur. Inde *κοινωνικοὶ* dicebantur Socii eiuſmodi qui omnia ſua bona inter ſe habebant communia. Non enim ſolum partis bonorum inſtitui poterat *κοινωνία*, ſed etiam omnium. Illi autem Attici *ἐμπορίας* & *καπηλείας κοινωνοὶ* pro indiviſo & in commune *τὴν ἀνέμητον οὐσίαν* habebant. Alia fuit Collegiorum, ſive *πολιτικῶν*, ſive *ἑταιρικῶν*, quæ etiam Societates dicebantur, *κοινωνία*. Non enim bonorũ communio fuit inter collegiatos, & quibus corpus habere licuit, ſed ſacrorum, & ſacrificiorum, etiam conviviorum ex pecunia communi & in commune à ſingulis collata inſtruendorum. Aliæ aliis conditionibus contractæ fuere ſocietates tam corporum quam certorum hominum, & ad rem certam, de quibus hic non agimus. Lex eſt LXIX. D. pro ſocio quæ ad hoc genus ſocietatum pertinet ex contractu initarum, quam liceat dicere ſcopulum hactenus fuiſſe omnium iuris interptetum & doctorum, qui in ea explicanda naufragium fece-

CAP. V.

Confirmata Salmaſii coniectura in leg. LXIX. *D. pro ſocio. Nundinas ibi eſſe quas Græci* ἐμπολὰς *appellant, id eſt,* φορτία, *ac merces. Mos Vlpiani obſcuriora Latina Græcis notioribus explicantis. Quot modis accipiatur vox nundinarum apud Romanos.* Ἀγορὰν *Græcis utrumque ſignificare, tam nundinas ipſas, & forum nundinarium, quam res quæ in eo venales proſtant.* Ἀγορὰ *commeatus.* Ἀγορὰν παρέχειν, *ſtapam facere. Stapa idem quod forum, &* Ἀγορὰ, *veteri voce Saxonica. Lex prædicta Vlpiani pluribus explicata. Quatriduarias epulas in ea locum non habere.*

COLLEGIA ſive corpora πολιτικὰ, de quibus ſuperiore capite egimus, & quorum mentio fit in lege Solonis, quam explicavimus & emendavimus, multũ diſtant ab illis ſocietatibus quæ tractatu habito contrahuntur inter plures de alicuius rei vel negotiationis communione ineunda ſic inſtitutæ, ut lucrum & damnum commune ſit inter ſocios. Hic contractus bonæ fidei eſt, & iungitur à Cicerone cum tutelæ & fiduciæ iudiciis, de quibus nos alibi. Κοινω-

νίας

νίαι tamen ἐμπορίας, & καπηλείας, quarum ex noſtra correctione eadem lex Solonis meminit, non multũ ab eo genere ſocietatis quæ inter mercatores ad negotiationis communionem initur diverſæ videntur. Inde κοινωνικοὶ dicebantur Socii eiuſmodi qui omnia ſua bona inter ſe habebant communia. Non enim ſolum partis bonorum inſtitui poterat κοινωνία, ſed etiam omnium. Illi autem Attici ἐμπορίας & καπηλείας κοινωνοὶ pro indiviſo & in commune τὴν ἀνέμητον ὀσίαν habebant. Alia fuit Collegiorum, ſive πολιτικῶν, ſive ἑταιρικῶν, quæ etiam Societates dicebantur, κοινωνία. Non enim bonorũ communio fuit inter collegiatos, & quibus corpus habere licuit, ſed ſacrorum, & ſacrificiorum, etiam conviviorum ex pecunia communi & in commune à ſingulis collata inſtruendorum. Aliæ aliis conditionibus contractæ fuere ſocietates tam corporum quam certorum hominum, & ad rem certam, de quibus hic non agimus. Lex eſt LXIX. D. pro ſocio quæ ad hoc genus ſocietatum pertinet ex contractu initarum, quam liceat dicere ſcopulum hactenus fuiſſe omnium iuris interptetum & doctorum, qui in ea explicanda naufragium fece-

fecerunt. Noviſſime ad hunc ſcopulum naufragatus eſt doctiſſimus auctor rerum iudicatarum, cap. 111. Obſervationum. Salmaſius olim ad Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores magnā facem tenebris huius legis adluxerat ex correctione certa, mutatione facillima, *empularum* pro *epularum*. Sed non tantus eſt iuridico viſus auctor philologus, ut eius emendationem recipere dignaretur. Verba legis ſunt, ex Vlpiano: *Cum ſocietas ad emendum coiret, & conveniret, ut unus reliquis nundinas, id eſt, epulas præſtaret, eoſque à negotio dimitteret, ſi eas eis non ſolvit, & pro ſocio, & ex vendito cum eo agendum eſt.* Non multum difficultatis in legis eruenda vera ſententia reſtare videretur, ſi conſtaret quo ſenſu ibi *nundinas* poſuerit Iuriſconſultus, & de quibus epulis intellexerit quibus vocem *nundinas* interpretari voluit. Cum videret Salmſius, *nundinas* ibi non eſſe, nec poſſe videri epulas, nec rationem ullam ſuadere, ut pro epulis non præſtitis actio danda fuerit pro ſocio, aut ex vendito; pro *epulas* repoſuit *empulas*, vel *empolas*, id eſt, ἐμπολάς. De ſignificatione ipſa conſtat, utriuſque vocabuli, Græci & Latini, eam optime quadrare. Nam ἐμπολᾷν idem eſt quod *nundinari*.
Ergo

Ergo nundinæ eædem cum ἐμπολαῖς. Hoc non placuit acutiſſimo viro, ſed ut in omnibus ſuis emendationibus non coniectorem ſimpliciter præſtitit, ſed hariolum, in hac quoq; non minus quam in cæteris ſibi hariolandum & vaticinandum eſſe duxit. Verba illa, *id eſt, epulas*, delendas cenſet. *Quod enim*, inquit, *in nundinis paulo hilarius agerent, tanquam feriatis diebus, ideo ſemidoctus aliquis nundinas interpretatus eſt epulas*. Sed quis ex turba ſemidoctorum tam indoctus fuit, ut potuerit in hac lege *nundinas* accipere pro feriatis diebus, ubi ſocietas ita contracta eſt, ut unus ex ſociis *nundinas præſtaret* reliquis? An *præſtare nundinas* idem eſt, quod præſtare ferias? Cui non dico ſemidocto, ſed ſenſus alicuius communis cōpoti, hoc in mentē venire potuit, ut has quæ præſtari debentur ex lege ſocietatis, nundinas interpretaretur epulas, quia in nundinis, id eſt, feriis nundinarum, hilarius ſe excipere ſoliti eſſent homines? Nunc videamus de Salmaſii coniectura, an non ſcopum melius aſſequuta ſit. Doctiſſimus Advocatus id negat, qui nullam eius carpendi vel tenuiſſimam occaſionem amittere voluit. *Nam quod vir doctiſſimus*, inquit, *& acutiſſi-*

cutiſſimus empulas pro epulis excogitavit, tam alienum puto quam quod alieniſſimum, niſi volumus gloſſam texta ipſo eſſe obſcuriorem, & ad quam interpretandam omnia Grammaticorum ſcrinia excutere oporteat, ut nullus tamen poſtea ſenſus idoneus inde elici queat. Ita pronuntiavit ille de re parum ſibi cognita, ac comperta. Sed nec vir bonus, & aliis occupatus, videtur ſatis otio abundaſſe, ad Grammaticorum ſcrinia excutienda, quibus tamen excuſſis non opus fuit. Vel mediocriter in Gręca litteratura verſatus potuit ſcire ἐμπολὰς, eaſdem eſſe Græcis quæ Latinis *nundinæ*, eamque habere ſignificationem, quæ adprime huic loco explicando conveniat. Primum hoc moris habet Ulpianus, ut Latina obſcuriora Græcis apertioribus exponat. Sic *ratiunculam* interpretatus eſt λογάριον, leg. III. π. VIII. D. de penu legata. *Sed & chartas ad ratiunculam vel ad logarium paratas contineri.* Græcum λογάριον, non aliter interpretari licet quam pro ratione quæ in computando ſubducitur, τὸ λογοθέσιον. At *ratiuncula* pro exigua ratione ſumi poſſet, ut *ſpecula* pro parva ſpe ponitur. Cum igitur Græcum apertum eſt & clarum, per vocem Græcam interpretatur ſemper Latinam. Sic cum Ratio tria ſignifi-

ſignificat, λόγον, ἀναλογίαν, & ψῆφον, & in totidem ſignificatis accipi poſſit diminutivum eius *ratiuncula*, ut certum eſſet de quo intelligendum ſit, ἐπεξηγητικῶς addit, *vel ad logarium*, quia λογάριον nunquam aliter Græcis ſumitur quam pro ψήφῳ, vel λογοθεσίῳ. Vnde liber vetus nondum editus, περὶ παλαιᾶς καὶ νέας λογαρικῆς. Optimæ Gloſſæ: λογάριον, *ratiuncula*. Hinc λογαριάζειν, ψηφίζειν. Et λογαριαστὴς, idem qui λογοθέτης, rationum præfectus. Ita etiam *reticulum* varia notione & non una accipi ſolet à Latinis. Nam & pro parvo reti ponitur, & *reticuli* pro cancellis è nervo factis quibus beſtiæ ab alicuius loci aditu prohibebantur. Aliud etiam ſignificat in lege. v, π. ult. D. de his qui deiecerunt, *ubi reticulo ſuſpenſæ amphoræ mentio ſit*. Accipitur etiam pro ornamento capitis muliebri. Ideo idem Ulpianus leg. XXV. π. X. D. de auro argento mundo legato, cum de reticulis muliebris mundi vellet intelligi, Græcam vocem appoſuit, *reticula crocuphantia*. Non enim, ut ea diſcerneret ſimul poſuit, ſed Græcum ἐξηγήσεως gratia adiunxit, ut oſtenderet de qualibus reticulis intelligeret, de his nempe quæ Græci κροκυφάντια appellant. Gloſſæ

veteres: *Reticulum*, γύργαθος, καὶ κροκύφαντος. Duæ notantur ſignificationes hic *reticuli* diverſæ, una qua γύργαθον, altera qua κροκύφαντον ſignificat. Γύργαθος eſt reticulum quo aliquid geritur, ut panes poma, alia. Grammatici interpretantur, σκεῦος πλεκτὸν ἐν ᾧ βάλλουσι τὸν ἄρτον οἱ ἀρτοκόποι. Ex alia materia nexile textilive fuit iſtud vaſis genus quam reticulum comarum muliebre, quod auratum erat, & ex ſerico textum.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Iam de *Nundinis* videamus, quas idem Iuriſconſultus ſimiliter Græca voce interpretari maluit, utrum vox Græca notior ſit in hoc ſignificatu quo ponere eam voluit, quam Latina. *Nundinæ* vox πολύσημος Latinis. Sunt feriæ, ſunt πανηγύρεις & mercatus: ipſa etiam fora hoc nomine vocantur, ut Græcis ἀγοραί. Gloſſæ optimæ: Ἀγοραὶ τῶν ὠνίων, *nundinæ*. Aliæ ἑορτὰς, & πανηγύρεις exponunt. *Nundinarum*, ἑορτῶν, πανηγύρεων. Item, *Nundinæ*, ἀγοραὶ, αἱ τέλειοι πανηγύρεις. Vocat τελείας πανηγύρεις ſollemnes mercatus qui in multis urbibus inſtituebantur. Vnde & πανηγύρεις, quæ cum ludis quinquennalibus aut triennalibus celebrari ſolebant.

Lati-

Latini auctores nuncuparunt *Mercatus*, ut Cicero & alii. Gloſſæ: *Mercatus*, αἱ τελείαι πανηγύρεις. Appellant τελείας πανηγύρεις, ad differentiam earum *nundinarum* quæ nono quoque die recurrebant apud Romanos, de quibus dubitatū eſt, utrum feriæ eſſent, an ſollemnes dies. De qua re videndus Macrobius: *Feriatum eum eſſe diem voluerunt antiqui*, inquit Feſtus, *ut ruſtici convenirent mercandi vendendique cauſa; eumque nefaſtum, ne ſi liceret cum populo agi interpellarentur nundinatores*. Dio in Claudio eas *Nundinas* Romæ agi ſolitas nono quoque die, interpretatur ἀγορὰν τὴν διὰ τῶν ἐννέα ἡμερῶν ἀγομένην. Et inde *nundinis* nomen à nono die. Virgilius in Moreto:

--- *noniſque diebus*

Venales olerum faſces portabat in urbem.

Inde & *Nundina* dea nomen nacta eſt, à nono die naſcentium nuncupata, qui *luſtricus dies* dicebatur. Quo die infantes luſtrabantur, & nomē accipiebant. Is maribus nonus, octavus erat fœminis. Ab his nundinis Romanis celebres in quibuſlibet urbibus mercatus, ſive annui eſſent, ſive maioris tēporis intervallo agerentur *nundinæ* vocabantur. De his titulus eſt in Pandectis. *Nundinas* etiam vocarunt pro nun-

 dina-

dinatione, vel nundinandi actu quæſtuve. Plinius lib. XXIX. cap. I. de medicis, qui vitas nundinantur ægrotantium: *Nec avaritiam arguam rapaceſque nundinas pendentibus fatis, dolorum indicaturam ac mortis arram.* Ubi *rapaces nundinas* pro rapacibus nundinationibus eum poſuiſſe, manifeſtum eſt. Nulla harum ſignificationum convenit legi cuius explicationem aggreſſi ſumus, in qua ſub ea conditione contracta eſt ſocietas, ut unus reliquis *nundinas* præſtaret. Ideo Vlpianus, ut explicaret quid *nundinarum* nomine ibi intelligi vellet, Græca voce id expoſuit, id eſt, ἐμπολάς. Quid ſunt ἐμπολαί? Merces ipſæ. Nihil notius hac notione à Græcis voci ἐμπολῇ attributa. Mœris Atticiſta in Lexico nondum edito quod ſervatur in Bibliotheca Regia, ſi quis velit conſulere: Ἐμπολὴ τὰ φορτία Ἀττικοί. ὡς Ἀριστοφάνης, τὴν ἐμπολὴν ὅπως μὴ φέρων κατάξει. Nemo neſcit Grece ſciens, φορτία eſſe merces. Heſychius: ἐμπολή, κέρδος. οἱ δὲ, τὰ φορτία. Suidas: ἐμπολή, φορτίον. Merx nimirum. Inde Αἰγυπτία ἐμπολὴ Euripidi, merces Aegyptiacæ. Heſychius: Αἰγυπτία ἐμπολή, ὁ ῥῶπος, καὶ τὰ ἐκεῖθεν φορτία, ὡς Εὐριπίδης. Norunt Græcæ linguæ periti, ῥῶπον eſſe minutas

minutas ac varias merces. Vnde ῥωποπῶλαι, qui eas venderent. Idem Heſychius: Ῥωποπώλης, ὁ ῥῶπον πωλῶν. ῥῶπον δὲ ἔλεγον τὸ λεπτὸν καὶ ποικίλον φόρτον. Et paulo poſt id explicat de coloribus, pigmentis, aromatibus, & aliis eiuſmodi rebus quæ à pictoribus, tinctoribus & unguentariis expetebantur. Tales erant merces quæ ab Aegypto in Græciam importabantur. Quas Euripides Αἰγυπτίας ἐμπολῆς nomine vocavit. Ergo ἐμπολὴ & ἐμβολὴ idem à verbo ἐμβάλλεσθαι, quo merces in navem imponi ſignificatur. Idem Heſychius, ἐμπολῶντο, ἐνεβάλλοντο. Et alibi ἐμβολὴν, ἐνθήκην interpretatur. Ἐνθήκη quoque merces ſunt, ab imponendo. Gloſſæ veteres, *Merces*, ἐνθήκη. Eamdem & ἀφορμὴν appellabant. Eæ merces erant quibus negotiabantur, & nundinabantur, hoc eſt, quæ occaſionem nundinandi præbebant. Vnde εἰς ἀφορμὴν πέμπειν apud Ariſtophanem ad negotiandum mittere, vel ad merces, ſive ad mercatum: Μέλλει δὲ πέμπειν αὐτοὺς εἰς ἀφορμήν. Quod Grammaticis exponitur, εἰς ἐνθήκην. Nam inquiunt, ἀφορμὴ, ἡ νυῦ ἐνθήκη. Anaſtaſius in vita Iohannis Eleemoſynarii, *Præcepitque nauclero acceperet quinque libras, cumque accepiſſet has, abiens emit En-*

thecam, & miſit in navim. *Nundinæ* igitur apud Vlpianum ſunt merces quibus nundinæ aguntur, & nundinatio exercetur, quæ Græcis ἐμπολαί. Hæc cum ita ſint, quis non miretur iniquitatē reprehenſoris cum malignitate pari iunctam, qui *nundinas*, in hac lege pro mercibus accipit, nec recipit tamen Salmaſii emendationem, & Vlpiani interpretationem, id eſt, ἐμπολάς ? Atqui quis Latinorum *nundinas* poſuit pro mercibus ? Nemo contra eſt Græcorum quin ἐμπολὴν pro mercibus ponat & exponat. Falſiſſimum eſt igitur quod attulit ad refutandam Salmaſianam coniecturam, quæ *empulas* pro *epulis* reponit, tanquam Gloſſa Vlpiani obſcurior eſſet textu. Immo textus obſcuriſſimus, Gloſſa vero clariſſima, ut ex his quæ diximus oſtenditur. Quæ omnia magnam partem iam Salmaſius docuerat. Sed quamvis Advocatus recte de mercibus accipiendas has Ulpiani *nundinas* probet, male tamen ſpeciem legis ponit quam hanc eſſe vult videri: *Convenerat*, inquit, *ut unus reliquis nundinas præſtaret, id eſt, merces de quibus comparandis convenerat, in nundinis emeret, ita ut ſocietati quæſitæ eſſent ſine aliorum opera.* Nunquam viſa eſt ſocietas quæ melioribus conditioni-

tionibus ab una parte, iniquioribus ab altera contracta ſit. Hinc totum, inde nihil. Hinc lucrum & compendium, inde damnum & diſpendium ſine communione. Vnus *nundinas* præſtat, id eſt, merces de quibus comparandis convenit. Eas præſtat reliquis, & quidem ſine eorum opera emendas. Ita nec operam ſuam reliqui nec pecuniam in ſocietatē conferunt, ſed unus hæc præſtat omnia. Vellem ſcire, an conſultus ab amico aliquo de ſocietate cōtrahenda, talē illi ſuaderet in qua ipſe omnia præſtaret, operā, laborem, pecuniam ad merces emendas, quorum ſocii omnium eſſent immunes, fucique aliena ad pabula ſederent, adlecti tantum in ſocietatem, ut certiſſimum lucrum facerent, nullum damnum paterentur? Sed quomodo hic ſocius qui omnia debet præſtare ſociis & merces, & operam ſuam qua comparabantur in nundinis, ex vendito & pro ſocio actionibus tenebitur? Pulcre ſane id explicat egregius Advocatus. *Qui hoc, inquit, in ſe recepit, nempe ut merces præſtet ſocietati, ſi non ſolvit, id eſt, ſi emptis mercibus venditori non numeravit pecuniam, aut aliter ſatisfecit, tunc duplex actio in eum dari poteſt; nempe ſociis pro ſocio, quia*

conventionem non implevit, & venditori etiam ex vendito ad ſolvendum mercium comparatarum pretium. Duplex actio hic datur adverſus ſocium qui non præſtitit ſociis ex conventione merces, non ſolis ſociis pro ſocio, ſed etiam venditori mercium ex vendito. Atqui ſententia legis poſtulat, ut iiſdem ſociis hæc duplex actio competat adverſus ſocium merces non ſolventem ex conventione. Quid enim clarius verbis his legis? Cum ſocietas ad emendum coiretur, & conveniret, ut unus reliquis *nundinas*, id eſt, *empulas* præſtaret, eoſque à negotio dimitteret, *ſi eas eis non ſolvit, & pro ſocio, & ex vendito cum eo agendum eſt.* Id eſt, ſi eas merces eis ſociis non ſolvit, vel non præſtitit, ſocii illi cum eo & pro ſocio & ex vento agere poſſunt. Nullum hic de venditore verbum. Nec id agitur, ut pretiũ ſit ſolvendum venditori, & niſi ſolvatur, actio eidem competat adverſus emptorem. Hæ ſollemnes ſunt hariolationes noſtri Advocati. Agitur de ſocietate ſic contracta inter plures, ut unus nundinas præſtare debeat. Quocumque modo iſtæ nundinæ intelligantur, ſenſus eſt legis, ut ſi eas ſociis ex conventione non præſtet, cum eo agendum ſit & ex vendito

dito & pro ſocio. Nihil intereſt ſociorum quomodo merces illas emat ſocius qui præſtare eas debet, & an earum nomine teneatur venditori ex vendito. Suũ tantum agunt negotiũm, & actionem habent adverſus ſociũ duplicem, ſi merces ex pacto eis non ſolverit, tam ex vendito quam pro ſocio. Hæc legis illius eſt ſententia: à qua tantum abeſt ſpecies ab Advocato poſita ὅσον οὐρανός ἐς' ἀπὸ γαίης. Certe illa nec cœlum nec terram tangit, ſed in medio νεφελοβατεῖ. Præterea nugatorium eſt, quod *nundinas præſtare* interpretatur, *merces in nundinis emere*. An ſi alibi quam in nundinis eas emiſſet, non ſatisfaceret conventioni qua nundinas, id eſt, merces præſtare tenetur? Nundinæ ſunt merces, non quæ in nundinis emptæ ſunt, ſed quibus nundinatio, id eſt, mercatura exercetur. Vnde *nundinatores* pro mercatoribus apud Feſtũ: *Nundinas feriatum eſſe diem voluerunt antiqui, ut ruſtici convenirent mercandi vendendique cauſa, cumque nefaſtum, ne ſi liceret cum populo agi interpellarentur nundinatores.* Sic ἐμπολαὶ Græcis ſunt merces, quibus ἐμπολῶσι mercatores, id eſt, negotiantur ac nundinantur. Sophocles:

Κερδαίνει, ἐμπολᾶται τὸν περὶ Σάρδεων Χρυσόν.

Heſychius, ἐμπολᾷ, περιέρχεται, πραγματεύεται, *negotiatur*, *nundinatur.* Nundinæ denique ſunt merces, ἀφορμὴ, ἐνθήκη, quibus nundinæ aguntur, id eſt, nundinatio. Sic enim *nundinas* Plinius uſurpavit pro nundinationibus, loco quem iam adduximus de medicis qui ægros habent in reditu & quæſtu, iiſque negotiantur, *rapaceſque nundinas.* Optatus Milevitanus lib. IV. adverſus Parmenianum, *Comparaſti merces, peregrinatus es, egiſti nundinas lucri cauſa, quod emeras vendidiſti.* Id eſt, egiſti nundinationes. At *nundinæ* apud Sidonium Apollinarem ſunt plane merces, eo ſenſu quo Vlpianus in hac lege eam vocem uſurpavit, Epiſt. VII. lib. V. *At ſunt plane qui invident tunicatis otia, ſtipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas, munuſcula legatis, portoria quadruplatoribus, ſalaria tabulariis, prætorianis ſportulas, vectigalia publicanis*, &c. In his verbis *nundinæ*, pro mercatibus non poſſunt intelligi. Ergo pro mercibus accipiendæ. Non enim alia ſignificatio eſt vocis *nundinarum* quæ huic loco conveniat. Et nulli ſunt mercatores ſine mercibus. Nulla enim

ſine

ſine iſtis mercatura aut negotiatio procedit, ſed nec ullæ nundinæ eſſent aut mercatus ſi merces nullæ eo portarentur. Ergo & mercatores ipſos & mercaturam, & mercatum, faciunt ipſæ merces. Sic nulli tabularii ſine ſalariis, nulli publicani ſine vectigalibus, nulli milites ſive paludati ſine ſtipendiis. Recte ergo voce Græca clariore Latinam obſcuriorem interpretatus eſt Ulpianus, *Vt unus præſtaret nundinas, id eſt,* ἐμπολάς. Videatur fortaſſe alicui, potuiſſe æque exponere, *id eſt,* ἀγοράς. Nam & ἀγοραὶ nundinæ ſunt. Et præterea etiam pro mercibus ipſis ſimiliter ſumitur hoc vocabulum. Vnde apud Ariſtotelem in Oeconomico lib. II. Ἡρακλεῶται οὐκ εὐπορούμενοι χρημάτων παρὰ τῶν ἐμπόρων συνηγόρασαν τόν τε σῖτον πάντα, καὶ τὸ ἔλαιον, καὶ τὸν οἶνον, καὶ τὴν ἄλλην ἀγοράν. Et paulo poſt, οὐ μισθὸν παρεῖχον, ἀλλὰ τὴν ἀγορὰν ἐν ὁλκάσι. Ergo ἀγορὰ tam nundinas ipſas, id eſt, locum vel diem in quo celebrantur quam ipſas merces deſignat. Sed multa alia præterea ſignificat, ut concionem, orationem, & alia, diffuſiorisque omnino eſt magiſque multiplicis notionis quam ἐμπολή, quæ Atticis nihil aliud denotat quam ipſas merces. Alii Græci pro quæ-

ſtu

ſtu qui ex mercibus capitur etiam frequentant. Deinde ἀγορὰ cum merces ſignificat, non omnigenas ea voce accipi certum eſt, ſed ſolas quæ ad victum neceſſariæ ſunt, ut diſerte ex verbis Ariſtotelis ſupra citatis liquet, συνηγόρασαν τόν τε σῖτον πάντα, καὶ τὸ ἔλαιον, καὶ τὸν οἶνον, καὶ τὴν ἄλλην ἀγοράν. Vnde & ἀγορὰν παρέχειν dicuntur qui omnia quorum vita indiget ad victum ſuppeditant. *Stapam* vulgo dicimus, ex antiquo Saxonico *Stapen.* Quod *forum* Latine expoſitum in vetuſtiſſimo Lexico Latino Saxonico, olim videre memini apud Marquardum Freherum Heidelbergæ. Inde *facere ſtapam* vulgo dicimus, quod Græcis erat, ἀγορὰν παρέχειν, Latine *commeatum præbere*. Hinc ἀγορᾶς δεόμενοι; qui commeatu indigent. Hæc igitur differentia inter ἀγορὰς & ἐμπολὰς, quod ἐμπολαὶ omne genus mercium deſignant, ἀγοραὶ eas tantū quæ ad victum pertinent. Inde ἀγοράζειν, ea emere quæ ad victum ſunt neceſſaria. Et ἀγοράσματα, τὰ ὤνια. Scribit Herodotus lib. II, apud Aegyptios fœminas omnia agere quæ virilis ſunt muneris, inter alia ἀγοράζειν, καὶ καπηλεύειν. Mela vertit, *forum & negotia fœminas curare.* Non plene expreſſit quod Græcus au-

ctor voluit. Ἀγοράζειν ad eos pertinet qui quæ ad victum ſunt neceſſaria è foro petunt, & coëmunt. Vt privati homines faciunt, qui ſibi procurant quorum indigent ad vivendum. At καπηλεύειν de his dicitur qui in eodem foro negotiantur, id eſt, empta prius lucri gratia vendunt. In foro igitur ἀγοράζουσι, qui non negotiantur, ſed emunt ea quibus opus habent; καπηλεύουσιν illi qui negotia curant, id eſt, negotiationi ſtudent, qui ἀγοραῖοι inde dicuntur. Hi ſunt proprie nundinatores, & *cocionatores*. Vt autem à voce ἀγορὰ verbum ἀγοράζειν eſt emere, ita à nundinis *nundinari* quoque pro emere Latini poſuerunt. Apud Ciceronem *nundinari nomen ſenatorium*, id eſt, emere, lib. II. in Verrem. Item *nundinari ab aliquo eius ad ſuam utilitatem*, lib. I. in eumdem Verrem. Apud alios auctores etiam pro vendere uſurpatur. Vt apud Apuleium, lib. X. Metamorphoſeon, iudices ſententias ſuas nundinari pretio dicuntur, id eſt, vendere: *Quid ergo miramini, ſi toti nunc iudices ſententias ſuas pretio nundinantur?* Vnde apud Firmicum, *mulier nundinati pudoris*, ἀπεμπολῶσα τὴν ὥραν τοῦ σώματος, ut loquitur Euagrius in Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. VII. cap. XXXIX.

Certe

Certe *nundinari* eſt καπηλεύειν, emere quæ vendas, vendere quæ emeris. Inde *nundinæ* pro mercibus, id eſt, ἐμπολαὶ, quæ emuntur & venduntur, & quibus nundinatio conſtat. Alia etiam emendatione indiget hæc lex in his verbis, *ut unus reliquis nundinas præſtaret, id eſt, empulas, eoſque à negotio dimitteret*. Mira hæc eſſet ſocietas quæ ad emendum coita dicitur, ut in ea contrahenda à negotio dimitterentur ſocii, qui nondum ad negotium ſocietatem iniverant. Sic prius diſſoluta quam contracta videretur negotiandi cauſa inſtituta κοινωνία. Quo magis miror virum doctiſſimũ ne mentionem quidẽ feciſſe correctionis Salmaſianæ, quæ tamen eſt indubitanter vera, *Vt unus reliquis nundinas, id eſt, ἐμπολὰς præſtaret, eoſque ad negotium dimitteret*. Id eſt, ad negotiandum. Scriptæ ſunt eo tempore Pandectæ quo lingua Latina iam in Italicam, quæ nunc in uſu eſt, deſciverat. Cuius rei fidem facere poteſt inſtrumentum ſecuritatis plenariæ conſcriptũ quintodecimo anno Iuſtinianei imperii Ravennæ, in quo pro recto caſu & quarto paſſim ſextum poſitum reperire eſt. In itinerario Antonini omnes urbium appellationes ſexto caſu enuntiatæ leguntur. Et ita quoque

in

in Hiſtoria Auguſta notavit Salmaſius, ſcriptum extare etiam in antiquiſſimis libris: *Copto & Ptolemaide urbes*. Ex Frontone etiam citant Grammatici veteres *Durocortoro Athenæ veſtræ*, in Epiſtola ad Adrianum. Ita leg. XXIX. D. pro Socio, *periculo ſubeat ſolus* ſcriptum eſt, pro *periculum ſubeat ſolus*. Ita apud Labeonem leg. penult. D. de iure dotium Pandectæ Florentinæ exaratum exhibent, *Si ſocer ſpecie futuræ dotis induxerit genero*. Nec opus reſcribere, ut emendavit auctor rerum iudicatarum, lib. II. cap. XXIV, *Inluſerit genero*, cum in promptu ſit ab auctore ſcriptum fuiſſe, *induxerit generum*. Pro quo imperiti librarii ex ſæculi ſui loquendi uſu fecerant, *Induxerit genero*. *Inducere generum ſpecie dotis*, eſt allicere, & illecebræ vice magnæ dotis ei ſpem facere. Tale illud apud Horatium: *emptorem inducit hiantem*. Tibullus:

Semper ut inducas, blandos offers mihi vultus,
Poſt tamen es miſero triſtis & aſper amor.

Gloſſæ: *inductus*, δελεασθείς, εἰσαχθείς. Feſtus: *Lacit, decipiendo inducit. Lax enim fraus eſt, Lacit in fraudem inducit. Inde eſt allicere, lactare, illectare.* Idem: *pellexit, in frau-*

fraudem induxit. Quod & *inducere* abſolute dicebatur pro pellicere & allicere. Species & ſpes dotis futuræ ſæpe inducit ac pellicit procos qui μεſάλον illud κάρυον, quo inducti ſunt, poſtea κενὸν eſſe deprehendunt. Nihil autē frequentius in Pandectis illa caſuū enallage, vitio & imperitia librariorum in morē tunc loquendi vulgatū & iam Italicum deflexa. Sed nec ullam pervulgatiorē corruptelam in manu exaratis libris occurrere, ſatis ſciunt qui eos aliquando verſarunt. Sic in Manilii verſu, de quo infra dicā, *non ullo curat digito* ſcribitur, pro *non ullū curat digitum*. Veriſſima ergo lectio apud Vlpianum hac lege, *eoſq; ad negotiū dimitteret*, εἰς πραγματείαν. Sic *negotia* Mela pro negotiationibus. Sic in leg. 1. D. de Exercitoria Actione, *qui inſtitorē tabernæ vel negotio præpoſuit*, id eſt, negotiationi. Nunc ponēda huius legis ſpecies: quæ nō alia eſt ab ea quā dicā. Coitur hæc ſocietas ad emendū ſcilicet, ea cōditione, ut unus nundinas, id eſt, ἐμπολὰς ſive merces præſtaret reliquis ſociis eoſq; ad negotium dimitteret in externas ſcilicet regiones mitteret ad illas merces vēdundas, & lucrū ex his faciendū, quod commune inter omnes foret. Vnus ergo merces ſubminiſtrare debuit reliquis, illi vero operā

ſuam

ſuam in negotiando præſtare, laborem in vendundis mercibus ſumere,& viarum periculo ſe obiectare. Ita poſſe coiri ſocietatem, nullum eſt dubium. Nam plerumq; unius opera ſolertis in vendendo, & in emendo ſagacis atq; exercitati plus prodeſt, & magis cõducit ſocietati ad negotiandum initæ, quam pecunia aliorum, vel mercimonia ea comparata. Quod & lex V. D. eodem diſerte teſtatur, his verbis: *Societas autem coiri poteſt, & valet etiam inter eos qui non ſunt æqualibus facultatibus, cum plerumque pauperioris opera ſuppleat quantum ei per comparationem patrimonii deeſt.* Quod in mercatura præcipue valet; ubi induſtria negotiantis in captanda lucri occaſione, & nundinis aucupandis, ut loquitur Ambroſius, aliaque arte inſtitoribus & cocionibus familiari exercendas immane quantũ plus polleat ad rem faciendam quam ab aliis collatio facta pecuniæ vel mercium. Inde etiam ita poſſe coiri ſocietatem, ſcribit idem Vlpianus leg. XXIX. D. eodem, *ut quis duas partes vel tres habeat, alius unam.* Et valet, inquit, ſocietas ſic contracta, *ſi modo aliquid plus contulit ſocietati, vel pecuniæ vel operæ.* Ergo opera hic etiam conſideranda: & qui eam maiorem quam ſocius

M contu-

contulerit, poteſt ex conventione ex quattuor partibus tres habere, alter unam qui minus operæ contulit. Quod ſi aliquis ſociorum navigabit, peregrinabitur, laborabit, periclitabitur, omnem denique ſolus operam navabit quę negotiationi eſt impendenda, dum alter domi deſidebit, ſecurus & tutus, nullam operam ſocietati præſtans, nonne talis conventio in contrahenda huiuſmodi ſocietate valebit, ut qui nihil acturus eſt, merces præſtet, alter qui ad negotium & ad mercatus longinquos eſt iturus, nihil aliud conferat niſi operam & induſtriam? Thema huius conventionis in hac lege habemus. Quid ſi ille qui merces ex pactione præſtare debuit, eas ſociis non ſolverit? *Agent cum eo*, inquit Vlpianus, *ex vendito & pro ſocio.* Nihil pote planius nec verius. Vbicunque aliquis merces non ſolvit quas præſtare ex conventione tenetur, actio eſt ex vendito. Socios hac actione utentes non repellet exceptione doli, quaſi pretio non ſoluto. Exceptionem eam elident replicatione iuſtiſſima. Socius quippe qui merces præſtare ſocio tenetur, venditoris loco eſt. Nec refert quod pretium ſolutum non ſit. Nam quacunque ratione venditori

de

de pretio ſatisfactum eſt, perinde eſt *ac ſi pretium ſolutum eſſet*, ut habetur in Leg. LIII. D. de contrahenda emptione. Conventione huic ſatisfactum eſt, ac lege quæ dicta eſt ſocietati contrahendæ. Opera quippe quam ex ſua parte ſocietati conferre tenentur in mercedibus illis exportandis & diſtrahendis, pretii loco eſt. Agent igitur ſocii cum illo & ex vendito & pro ſocio, ſi merces, id eſt, *nundinas*, eis non ſolverit ex pacto. Hęc difficillima lex quæ toties vexata tot viros doctiſſimos Iuriſque peritiſſimos vexavit, facillima facta eſt beneficio correctionis Salmaſianæ. Aliam excogitavit vir Magnus in ſparſione florum ad hunc titulum; quam Salmaſianæ præferendam eſſe nemo ſanus dixerit. Coniicit ſcriptum fuiſſe pro *nundinas, id eſt, epulas*; IIII *duanas epulas*, id eſt, quatriduanas epulas. Cui bono iſtæ per quatriduum continuatæ epulæ in ſocietate contrahenda ab uno reliquis præſtandæ? Ex conventione? Quis talis ſocietatis aut talis conventionis ad negotiandum factæ uſpiã meminit apud veteres, aut etiam hodie talem fieri vidit? Ne quadriduanas quidem epulas ſollẽnes eſſe apud Batavos, qui harum rerum valde liberi ſunt, audio. Triduanas

illi etiam nuptiis ſufficere putant. Et numero Bacchus, qui plurimis ibi eſt Deus, impare gaudet. Deinde quo iure dabitur actio ſociis ex vendito adverſus ſocium, propter quadriduanas illas epulas non ſolutas? An mirũ porro aut abſonũ videtur, *nundinas* Latine etiã merces appellari, cum Græce ἀγοραὶ vocentur tãipſę nundinæ, quã res vænales quæ in nundinis ruſticorum in foro civitatis proſtant ad victum neceſſariæ? Dionyſius Halicarnaſſeus Lib. VII. ἀγορὰς appellavit nundinas Romanas quæ nono quoque die recurrebant, αἱ δὲ ἀγοραὶ Ῥωμαίοις ἐγίνοντο, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, δι' ἡμέρας ἐννάτης. Græci quoque ἀγορὰς vocant omnia ὤνια quæ in illis ἀγοραῖς, ſive nundinis vænibant. Quaſlibet etiam merces *nundinarum* nomine appellatas quibus nundinatio exercebatur & nundinæ agebantur, nulla ratio prohibet. Quales Græcis ἐμπολὰς paſſim vocari, certum eſt. Nam Attici non aliter uſurpabant vocem ἐμπολὰς quam pro mercibus & φορτίοις. Ita *Nundinas* etiam Latinis vocatas, ex hac lege Vlpiani cõſtat, & ex loco Sidonii Apollinaris quem ſupra produximus. Quæ ἐμπολὴ dicitur pro mercibus, aliis ἐμπόλημα pro eodẽ uſurpatur, id eſt, mercimoniũ.

Proco-

Procopius in Ἀνεκδότοις, μόνος δὲ ἐς τόδε τοῦ χρόνου ἔμπορός τε ἀπαρακαλύπτως καὶ κάπηλος τοῦ ἐμπολήματος τοῦ δε καθίσταται. *Cum ſolus ad hoc uſque temporis non ſolum mercator ſed etiam cocionator huius mercimonii extiterit.* De Petro Barſyme ſermo eſt & holovera veſte.

CAP. VI.

Correctio Salmaſii in leg. 11. D. de rebus creditis firmatur. Quid ſit ſuffectio, quid functio. Fungi per ſe non ſignificare aliud pro alio ſolvere. In creditum ire etiam de vero mutuo dici. Quæcunque in formam crediti tranſeunt, id eſt, in quibus tantumdem redditur, eorum datione in creditum ire dicimur, & ipſa quoque in creditum ire. Credere, creditum ire, in creditum ire, creditum facere, & in creditum dare, eſſe ſynonyma.

ITa ingenium eſt Criticorum. Nihil amant niſi quod ipſi pepererunt. Nihil probant niſi quod repererunt ipſi. Si talis natio vixiſſet quo tempore fruges inventæ ſunt, glandes ſemper prætuliſſent frugibus à ſe non inventis. Non poteſt ulla verior nec inſignior emendatio dari quam illa eſt in Arati verſu à Salmaſio olim prodita,

Ἐννεακαιδεκάκυκλα φαεινῦ Ἠλείοιο.

Enneadecateris Metonis à Phaïno Elienſi reperta eſt, de quo Aratus intellexit. Vulgo legitur inſcite,

Ἐννεακαιδεκάκυκλα φαεινῦ ἠελίοιο.

Enneadecateris ſolis lucidi. Non fuit ad guſtum hæc correctio maleſani & impuri Cercoetii, quem vulgo *Petavium* nuncupant, & vulgarem lectionem tuetur. Talia omnia fere ſunt in Uranologio eius quæ in Salmaſio reprehendere conatus eſt cum pari virulentia & inſcitia, ut eſt omnium hominum qui hodie vivunt impudentiſſimus & imperitiſſimus, iudicii autem adeo nullius, ut puer magis ſapiat. Optima & certiſſima ea etiam fuit, meo quidem iudicio, Salmaſii emẽdatio & expoſitio, qua veſtes *boloveras* in Codice aſſeruit de eo genere veſtiũ dici quæ totæ eſſent *veri coloris*, id eſt, totæ purpureæ. Quem Græci colorem ἀληθινὸν καὶ ἐξοχὴν appellarunt, Latini *verum*. Vnde cõpoſita vox illo ſæcudo à baphiorum artificibus, ex Græca & Latina, ut multæ aliæ eo Latinitatis ævo, ut *pſeudofores*. & *pentiremis* apud Hirtium. Nuper exſtitit Italus, qui in libro de re veſtiaria probã eſſe negavit illã *boloverarum* veſtiũ notationẽ & expoſitionem, ſed puram vocem Græcam contendit,

dit, contractam mox & corruptam ex Græco ὁλοπόρφυρα. Idque ſe credere ait inductum auctoritate Iſidori Lib. XIX. cap. XXII. qui *holoporphyras* vocat *quæ tota ex purpura*. Quaſi *holoveræ* non poſſint eſſe quia *holoporphyras* Iſidorus nominavit! Quid ſi ea vox corrupta eſt in libris Iſidori ab illis iiſdē ſciolis qui *holoporphyra* noverant, *holovera* quid eſſent neſciebant? Certe vetuſtiſſima Iſidori exemplaria *Olofera* vocant pro *Oloveris*. Eſtque certiſſimum, ſic apud eum eſſe reponendum. Sexcentis in locis apud Anaſtaſium fit mentio *Oloverorum*, quæ non ſunt refingenda in *holoporphyra*. Procopius in Ἀνεκδότοις eam vocem plane confirmat & explicat, non ὁλοπόρφυρον nominans, ſed vocabulo quod in officinis& baphiis frequentabatur tunc temporis, ὁλόβηρον, id eſt, *boloverum*. Sic enim ſcribit, βαφῆς μὲν τῆς προσυχούσης τὴν οὐγκίαν ὑχῆσαν ἢ κατὰ ἐξ χρυσῶν, βάμματος δὲ τοῦ βασιλικοῦ ὅπερ καλεῖν ὁλόβηρον γενομίκασιν πλέον ἢ τεσσάρων καὶ εἴκοσι χρυσῶν. Vulgo vocatam illam tincturam in officinis *boloveram*, hæc eius verba adſtruunt. Talia multa habet Italus ille, quibus fidē facit καὶ δίκαια κἀδίκα, quæſitam à ſe occaſionē carpendi Salmaſii. Noſtro Advocato ſimile propoſi-

 tum

tum fuiſſe, libri eius Rerum Iudicatarum & Obſervationum paſſim indicant. Nec ab ingenio receſſit ſuo, & criticis omnibus ingenito, ut non audeant optimis correctionibus ſuffragari quas ipſi non commenti ſint. Non deterioris notæ mihi videtur ſupramemoratis illa correctio quam idem Salmaſius excogitavit in leg. 11. ✝. 1. D. de rebus creditis, ubi ſcribit Paulus, Mutui dationē conſiſtere in his rebus quæ pondere, numero, & menſura conſtant, *quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire, quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem.* Cum videret, hæc nullum poſſe rectum ſenſum efficere, quia *functio* non alia ſit quam ſolutio, cogitavit, legi debere ac corrigi, *quia in genere ſuffectionem recipiunt per ſolutionem.* Quam veriſſimam eſſe lectionis ſuffectionem pro vulgata, mihi perſuadeo. Ineptum quippe eſt quod ex ſcriptura edita elicitur, res in quibus mutuum conſiſtit, recipere ſolutionē in ſuo genere per ſolutionem. Quid enim functio niſi ſolutio? Quibus placet vulgatā defendere, eo colore id faciunt, quod functionis nomen *latius pateat quam ſolutionis, & ad omnia referatur quæ vice mutua tantundem præſtant, aut quorum alterum alterius vicem explet.* leg.

VI.

VI. D. de rebus creditis. Hæc doctiſſimus profeſſor Leydenſis Arnoldus Vinnius ita poſuit in commentario ad Inſtituta, cum cauſas allegaret cur minus probanda eſſet Salmaſiana illius legis correctio, *quæ in genere ſuffectionem recipiunt*, pro, *in genere ſuo functionem*. Eodem argumento uſus eſt libro Obſervationum & Emendationum Pariſienſis Advocatus, Cap. XV. ubi *functionem recipere* ſimiliter explicat *mutua vice fungi*, quomodo loquitur idem Paulus leg. VI. D. eodē. Sed multum refert, utrū verbū *fungi* per ſe hanc ſignificationem habeat, an cum illis adiunctis enuntietur quæ talem ei addant notionem. Oſtendant verbum *fungi* ſive nomen *functionis*, per ſe poſita, idem valere quod vice alterius fungi, tum recipiam pro vera legitimaque illam ſcripturam quæ in vulgatis codicibus habetur. In eadem lege ſcribit Paulus, *id certum eſſe, cuius ſpecies vel quantitas quæ in obligatione verſatur, aut nomine ſuo, aut ea demonſtratione quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque ſit, oſtenditur.* Deinde addit ex Pedio, *nihil referre, proprio nomine res appelletur, an digito oſtendatur, an vocabulis quibuſdam demonſtretur, quatenus mutua vice fungantur quæ tantundem præſtent.* Primum verbum

fungi ut in hac lege accipitur nihil habet in ſignificatu commune cum *functionis* notione ſicut ponitur in lege 11. D. eodem. Ibi *functionem* recipiunt res in quibus mutuum conſiſtit, dū per ſolutionem aliud pro alio in genere ſubſtituitur. At hic *demonſtratio fungitur vice nominis*, id eſt, vices nominis implet, nominis functione utitur, & officio. Et *mutua vice funguntur* quæ tantundem valent ac præſtant in exprimenda ſpecie vel quantitate de qua agitur, qualis & quanta ſit. Nam nominis proprii appellatio, & digito oſtenſio, & vocabulis quibuſdam demonſtratio, funguntur vice mutua, id eſt, altera alterius officium & vicem ſupplent. Præterea in his loquutionibus verbum *fungi* non per ſe nec abſolute ad eam ſignificationem exprimendam ponitur, ſed cum iis adiunctis quæ hanc ei notionem addunt, quam per ſepoſitum non habet. Sic dixero, *aliud pro alio ſolvi*, idem plane eſt ac ſi dicerem, *aliquam rem alterius vice fungi*. Solvere non eſt aliud pro alio dare, ita nec fungi. Sed cum res altera fungitur vice alterius, aut res alia ſolvitur pro alia, tunc ſubſtitutionis & ſubrogationis, ſive ſuffectionis ſignificationem illa verba oſtendunt, non vero

tum cũ ſola uſurpantur. Ita etiam nomen *functio* idẽ valet quod ſimpliciſſima ſolutio, nõ autẽ eſt alterius rei pro altera præſtatio. *Functionẽ* igitur recipere in prędicta lege II. nihil aliud ſignificat quam ſolutionẽ recipere. Sic enim *functio* pro præſtatione vel penſione tributi vel vectigalis vel cuiuſcumque rei quæ quacunque ex cauſa debetur. Gloſſæ veteres: *Functionum*, λειτουργιῶν, εἰσφορῶν. *Functio*, λειτουργία, τέλεσμα. Item, *fungi*, συντελεῖν. Quod eſt, conferre, contribuere, tributũ ſolvere, ac præſtare. *Publicæ functiones* in Codice ſunt publicæ præſtationes. Qui tales infert functiones, non aliud pro alio præſtat, ſed ſimpliciter id quod debet ſolvit, & munere ſibi impoſito fungitur. Vnde *muneris functio* pro penſione ac ſolutione muneris. Quodcunque aliquis dat quia id obligatus eſt dare, *fungi* dicitur. Etiam ubi nulla intervenit ſolutio, ei loquutioni locus eſt, ut cum *pignoribus fungitur* qui dat pignora. Ita leg. VII. D. de prætoris ſtipulationibus. Leges illæ quas citavit ad huncTitulum vir ſummus, ut defenderet vulgarẽ lectionem, nihil eorũ probant quę voluit. Non enim oſtendunt, functionem ſimpliciter ſumptam ſubrogationem eſſe ſpeciei pro ſpecie, in re

quæ

quæ mutuo data eſt,ſolvenda vel reddenda. Apud Ulpianum in Regulis, Tit. de dotibus: *Dos quæ ſemel functa eſt, fungi amplius non poteſt, niſi aliud ſit matrimonium.* Qui ſolutione fungitur, ſolvit: qui præſtatione, præſtat: qui penſione, pendit: qui collatione denique fungi dicitur, ut apud Ulpianum leg. 11. D. de collatione dotis, is confert. Inde & *fungi* pro ſolvere, præſtare pendere, conferre. Et *functio* pro collatione, penſione, ſolutione, præſtatione. Sed pro ſuffectione vel ſubrogatione nunquã eam vocem ſic nude poſitam leges. Qui dicit igitur, rem in quibus mutuum conſiſtit, *functionem recipere per ſolutionem*, non aliud dicit, quam *recipere ſolutionem per ſolutionem*. Quod an huic loco poſſit convenire, illum ipſum iudicem facio qui maxime damnavit Salmaſii emendationem. Iudicet idem etiam, an *in genere ſuo* Latinum ſit, pro *in genere eodem*. Redditur res mutuo data in genere eodem, non in *genere ſuo*. Id Salmaſius multis probavit, quem miror non auditũ, cum ſciam viſum ab his, qui tam abſurdam & falſam lectionem adeo pertinaciter tueri audent. *Cætera animalia*, inquit Plinius lib. VII, *in ſuo genere probe degunt. Cõgregari videmus, & ſtare contra diffi-*

diſſimiles. Leonum feritas inter ſe non dimicat. Non idem eſſet, ſi dixiſſet, *in eodem genere.* Idem genus & *ſuum genus*, τὸ αὐτὸ γένος & τὸ ἴδιον, differunt, ut *ſuus color* & *idem color.* An *ſuffectionem*, quod repoſuit Salmaſius, nimis recedere videtur à *ſuofunctionem?* An non putant cōvenire nomē *ſuffectionis* ſententiæ Iuriſconſulti? Nihil eſt, quod melius quadret. Sufficitur alia ſpecies in ſolutione mutui pro ea quæ data eſt. Ita ſuffectionē recipiunt res in quibus conſiſtit mutuum, per ſolutionem in eodem genere. Sufficitur alia ſpecies in eodem genere loco eius quæ data eſt. Virgilius:

Tuque aliam ex alia generando ſuffice prolem.

Aſinus magnus, qui ad equos paucis abhinc annis tranſcendit, quærebat ſibi oſtendi hoc nomen *ſuffectionis* in aliquo auctore. Nos illi dabimus, quod Salmaſio tunc forte non ſuccurrit. Arnobius lib. VII. *Nūquid forte Dii cæleſtes aluntur his ſacris, & ad eorum compaginem retinendam nonnullius opus eſt ſuffectione materiæ?* Aliquidne deeſt adſtruendæ illi correctioni? Non puto, niſi apud veritati contumaces. Eodem capite tractat Pariſienſis cauſidicus de differentiis vocum *credere*, & *creditum.* Et aliud eſſe dicit *credere*, aliud *in credi-*

creditum ire, aliud *creditum*, aliud quod *abiit in creditum*. Sed quæſiverim ab eo, an aliæ ſint *lacrimæ* cum ita ſimpliciter proferuntur, aliæ cum quis dicitur *ire in lacrimas*? An aliud ſit *ſenium*, ſic nude enuntiatum, aliud vero cum quem *ire in ſenium* dicimus? *Ire iterum in lacrimas, iterum tentare precando.* Suntne iſtæ lacrimæ in quas ire iterum Didoni placet, alterius generis quam cum ſimpliciter *lacrimas fundere* parat? Hæc ſane ridicula ſunt. *Verbum*, inquit, *credendi*, *ſæpe ad mutui cauſam reſtringitur, ac tunc propria ac peculiari ſignificatione credere dicimus. At in creditum iri tum dicimus, vel rem in creditum ire vel abire, quum id non eſt principaliter actum ut mutuum contraheretur, ſed ex alia cauſa, & quaſi per accidens, ideſt, pretii actum.* Ergo iuxta hanc notationem, qui in lacrimas ibit, non vere lacrimabit, ſed pæne. Nam lacrimæ in quas itur, non ſunt veræ lacrimæ. Perperam autem *in creditum iri* vel *rem in creditum ire* dixit, cum ipſe qui rem dat ea re in creditum ire potius dicatur. Sic enim Paulus loquitur Leg. 11. D. de rebus creditis. *Mutui datio*, inquit, *conſiſtit in his rebus, quæ pondere, numero, menſem conſiſtunt; quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire.* Ergo mutui datione etiam

etiam in creditum ire poſſumus, auctore Paulo, cum ſcribat, datione rerum in quibus mutuum & conſiſtit, poſſe nos in creditum ire. Quæcumque res igitur ſuffectionem recipiunt per ſolutionem in eodem genere, iis rebus poſſumus ire in creditũ: *cæteris rebus ideo in creditum ire non poſſumus*, addit Paulus, *quia aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt*. Ergo etiam mutui datione in creditum itur. Et merito ſane. Nam *creditum* etiam pro mutuo ſtricta & propria notione uſurpatur. Vnde & rei datione quæ mutua datur, itur in creditum, quia *creditum* idem cum mutuo. Sed *mutuum* nunquam aliter ſumitur. Ne *creditum* quidem, cum abſolute ponitur. Alias, quia *credendi* vocabulum generale eſt, & *creditum* relativum eſt ad *debitum*, quodcumque ex cauſa qualibet nobis debetur, id *creditum* etiam cenſetur. Non homo tantum qui mutuum dat, eius datione in creditum ire dicitur, ſed etiam res ipſa quæ datur. Mutua pecunia quæ etiam *credita* appellatur, quidni & *in creditum ire* poſſit dici, cum *creditum* ſtricte ſumptum idem ſit cũ mutuo? *In credito eſſe* quod nobis ex cauſa mutui debetur Iuriſconſulti dixere, ut leg. XXVII. D. de auro argento, ubi, *argento omni*

mni legato quod ſuum eſt, ſine dubio non deberi dicitur *quod eſt in credito.* Si quid debetur in mutui cauſa, *in credeto eſt,* quod quis dat mutuo, *in creditum* id *ire* dici poſſe, certum eſt. Nec is tantum qui dat mutuo, ea datione *in creditum ire* cenſetur, ſed etiam res ipſa quæ datur it atque abit in creditum, id eſt, in mutuum, quatenus *creditum* in hac loquutione idem eſt omnino quod mutuum. Et *credita pecunia* eadem cum mutua. *Ex crediti cauſa* apud Senecam, pro *ex mutui cauſa.* Quod ex pecuniæ creditæ cauſa alius diceret. Vnde *pecuniæ creditæ actio* in Leg. pēult. D. de Inſtitoria actione. Innumeris locis apud Senecam *creditum* pro mutuo ſumitur, & nunquam aliter hæc vox ponitur cum abſolute uſurpatur quam pro mutuo. Lib. VI. de beneficiis cap. VI. *Sic debitori ſuo creditor ſæpe damnatur, ubi plus ex alia cauſa abſtulit quam ex crediti poteſt.* Id eſt, *ex cauſa crediti.* Idem eodem capite & libro, paulo ſupra: *Tanquam pecuniam aliquis mihi credidit, ſed domum meam incendit, penſatum eſt creditum damno.* Et lib. IV. cap. XXXVIII. *Primum alia conditio eſt in credito, alia in beneficio,* id eſt, in mutuo. Aliis multis locis *creditum* ita ſumptum apud eum occurrit. Vt lib. I. cap. III. *Nemo beneficia*

ficia in Kalendario ſcribit, nec avarus exactor ad horam & diem appellat. Nunquam ille vir bonum cogitat, niſi admonitus à reddente. Alioquin in formam crediti tranſeunt. Quæcunque autem in formam crediti tranſeunt, & *in creditum ire* dicuntur, ac qui ea dat, eorum datione *ire in creditum*, vel quod idem prorſus eſt, *creditum ex iis facere.* Quintilianus in declamatione CCCLX. *Tu amiſſo viro dotem non petiſti, feciſti creditum ex dote.* Ita dos in crediti formam tranſit, in creditum abit: mulier dote it in creditum. Sic ex pretio creditum facit emptor vel pretio it in creditum, cum pretium rei venditæ emptori credit. Ita omnino, *credere*, *creditum ire*, vel *ire in creditum*, & *reditum facere*, & *in creditum dare*, idem omnino ſignificant, pro id dare quod ſis recepturus in alia ſpecie vel in eodem genere. Nec porro refert utrum id principaliter actũ ſit ut mutuum contrahatur, dum res data formam mutui induat & in creditum tranſeat, in quo ius eſt tantundem reddi, non idem. Tametſi autem generale ſit verbum *credendi*, & Prætor ſub eo titulo etiam de commodato & de pignore, aliiſque contractibus edixerit: in quibus fidem alienam ſequimur aliquid inde recepturi, nunquam

tamen verbum *credere* abſolute poſitum legitur, quin de *mutui datione* intelligatur. Non uſpiam *creditum* reperitur apud auctores claſſicos alio ſignificatu quam de pecunia mutuo data. Quod in ſuperioribus clare probavimus. *In creditum dari, in creditum accipi* dicuntur ſic data & accepta ut tantumdẽ reddatur. Falſa igitur obſervatio Advocati, notantis cap. XV. Emendationum, aliud eſſe *credere*, aliud *in creditum ire*, aliud *creditum*, aliud quod *abiit in creditum*. Nam ſi latiſſima ſignificatione accipiatur verbum *credendi*, ut ſumitur in Edicto Prætoris, *credere* & *creditum* idem eſt de re omni ex qualibet cauſa debita. Sin vero ſtrictiori notione ſumi placeat, ut fere ſemper apud auctores accipitur, cum abſolute poſitum reperitur, tum non differunt *credere* & *creditum facere* & *in creditum ire*. Vt enim *in lacrimas ire* dicitur qui lacrimat, ita & *in creditum ire* qui credit vel qui creditum facit. Nuſquam autem neque in Iure neque apud claſſicos auctores *credere* ſimpliciter poſitum invenitur pro deponere aut commodare, aut pignori dare, ſed ubique pro mutuum dare. Nec *creditæ pecuniæ* alibi uſpiam mentio occurrit, niſi pro mutuo data. Quodcunque

cunq; autē ſit quo in creditū itur, cū minime alienetur, nec ipſum mutuum quod eſt *creditum*, alienatio eſt. In creditum autem itur genere depoſiti, locati, commodati, pretio ex re vendita, dote, & aliis, quorum in diem ſolutio protelatur.

CAP. VII.

Salmaſii expoſitio Leg. 1. D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas defenſa. Duo codices, duo eſſe exemplaria. Quid ſit πρωτότυπον, quid ἰσότυπον & ἀντίγραφον, & quatenus differant. Dictio Periculum in loco Aemylii Probi ſtabilita & vindicata ab inſcitis correctionibus. Item in codice Theodoſiano & Iuſtinianeo & apud Cicerūem eadem vox aſſerta. Pariculum idem quod par, infimo ſæculo Latinitatis uſurpatum. Quid ſit à pari, vel à paribus ſcribere Epiſtolam. Emendatus *Gregorius primus. Paricula Epiſtolæ & conſtitutiones ἰσότυποι. Exemplaris & exempli differentia explicata.*

MUlta Salmaſius in libro de Modo Vſurarum notaverat de Exempli & exemplaris differentia, deq; teſtamentis pluribus eodem exemplo ſcriptis, aut *exemplarii cauſa*. Quæ Pariſienſis Advo-

catus egregius interpolata amplificavit nonnullis de ſuo additis, quæ partim falſa ſunt, partim aliena, partim etiam in reprehenſione Salmaſii, quod præcipue captavit, poſita. Si quid habet veri rectiq; id à Salmaſio hauſiſſe non poteſt negare. Sed primum videamus quæ cenſuræ ſuæ voluerit obnoxia videri. Nam eius rei gratia totum illud caput L. Obſervationum compoſitum fuiſſe videtur. Lex eſt Vlpiani 1. π. VI. D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, quæ ſic habet: *Sed etſi quis in duobus codicibus ſimul ſignatis alios atque alios hæredes ſcripſerit, & utrumque extet, quaſi ex uno competit bonorum poſſeſſio, quia pro unis tabulis utrumque habendum eſt, & ſupremũ utrunq; accipiemus.* Duos hic codices Salmaſius pro duobus exemplaribus interpretatus eſt, & *ſimul ſignatos* pro ſimul ligatis & obſignatis ſive coiunctis. Advocatus Pariſienſis hæc omnia reiicienda eſſe pronuntiat, & cavendum à tali expoſitione. Pro magiſtro loqui eum cenſeas, non pro advocato. Fatetur tamen protinus, quandoque tabulas pluribus codicibus ſcriptas, eſſe plura exemplaria, ut in Leg. 11. D. de Tabulis exhibendis, quæ habet Vlpianum auctorem: & apud Suetonium, teſtamen-
tum

tum ab Auguſto factum duobus codicibus, id eſt, duobus exemplaribus. Sed mitto Suetonium. Quæro quæ ratio ſit ut idem Vlpianus alio loco *duos codices* pro duobus exemplaribus poſuerit, alibi alio ſignificatu *duorum codicum* meminerit? Quem colorem adferet Advocatus huius diverſitatis? Audiamus ipſum. *Duo iſti codices*, inquit, *non erant duo exemplaria, ſed videbantur eſſe duo teſtamenta, quippe quibus alii atque alii hæredes ſcripti erant*. Si illi duo codices non erant duo exemplaria, quid igitur erant? An unum exemplar? An tria? An duo non ſunt duo? An codices non ſunt exemplaria? Quo ſenſu igitur hic accipiemus Codices? Quacunque notione accipientur, duo erunt. Si duo fuere teſtamenta, cur non & duo fuiſſe codices ſive duo exemplaria intelligemus? Singula teſtamenta in ſingulis codicibus ac proinde in ſingulis exemplaribus, ut veriſimile eſt, fuere ſcripta. Atqui non erant ſi videbantur tantum. Nec erant etiam duo codices, ſed eſſe videbantur. Qui hæc mihi explicabit, magnam à me gratiam iniverit. Duo mox tamen agnoſcit revera fuiſſe teſtamenta, cum addit, *ergo alterum videbatur non valere, cum nemo paganus duobus teſtamentis decedat,*

cedat. Si plures ſunt tabulæ teſtamenti diverſis exemplis, ſupremæ valent, cæteræ nullius ſunt momenti. Si alterum ex his duobus teſtamentis non valebat, ergo duo revera fuere teſtamenta, & proinde duo codices ſive duo exemplaria. Deinde addit idem Advocatus, *Atqui hi duo codices ſimul fuerant ſignati. Ergo neutrum erat prius, neutrum poſterius.* Ego vero dico, ergo vel fatente doctiſſimo viro duo fuere teſtamenta in duobus codicibus ſive duobus exemplaribus ſcripta. Quærit poſtremo, *Quid igitur heic fiet? An neutrum valebit, cum ſimul utrumq; ſignatū ſit? Immo utrumq; valebit. Ex utroque competet bonorum poſſeſſio, quaſi utrumque unum ſit teſtamentum, & utrumque ſupremum. Ergo omnes hæredes ſcripti petent bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas, nec alter alterum ſubmovebit.* Nihil omnino hic adfertur cur duo codices non ſint duo exemplaria. Non alia proponitur *duorum codicum* expoſitio præter illam quæ Salmaſio placuit de duobus exemplaribus. In principio quidem viſus eſt neſcio quid argutari, quod viderentur tantum eſſe duo teſtamenta, quorū alterum non valeret, cum duo codices non eſſent duo exemplaria. Quæ nullo modo conſtabant. Tandem eo delapſus eſt, ut ex

ut ex verbis Iuriſconſulti duo fateretur eſſe teſtamenta ac duo codices ſimul ſignatos. Poſtremo in ipſiſſimam Salmaſii ſententiam decidit, quia ſimul eſſent ſignati iſti duo codices duorum teſtamentum, ideo utrunque valiturum, & quaſi utrunque unum foret, ex eo petituros bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas in utroque teſtamento hæredes ſcriptos. Quid aliud voluit Salmaſius? Quid aliud ipſe Iuriſconſultus, cuius lex eſt? Quis denique aliter poſſit interpretari? Cur igitur ſubiicit ſtatim poſt illam expoſitionem quam à Salmaſio mutuatus eſt, *Cave igitur heic duos codices accipias pro duobus exemplaribus, cave etiam ſimul ſignatos accipias pro ſimul ligatos & obſignatos ſive iunctos, quod volunt doctiſſimi homines.* Salmaſium intelligit. Sed ſi duo codices ibi non poſſunt accipi pro duobus exemplaribus, ut ſenſit doctiſſimus Advocatus, quid igitur ſignificabunt? Cur hoc ſectetum interpretationis ſuæ non aperuit nobis? Si ſimul ſignatos concedit fuiſſe duos illos teſtamentorum duorum codices, qua ratione fieri potuit ut codices eſſent, & non eſſent exemplaria? Vt duo eſſent teſtamenta quæ non forent duobus exemplaribus ſcripta? Explicet denique nobis

alium modum quo illi duo codices ſimul fuerunt ſignati præter eum qui à Salmaſio expoſitus eſt? Non dicit Iuriſconſultus ſimul fuiſſe ſcripta illa duo teſtamenta, ſed tamen ſimul ſignata. Si unum prius ſignatum, deinde alterum fuiſſet, poſterius ſignatum prævaluiſſet, priore irrito. Noſtro autem more ſignandi non potuerunt ſimul ſignari, ab iiſdem præſertim teſtibus. Sed duo hic proponuntur teſtamenta in duobus codicibus, hoc eſt, in duobus exemplaribus exarata, quæ alios atque alios hæredes ſcriptos præferebant. Si, ut duo fuere diverſa teſtamenta cum diverſis hæredibus, ita etiam ſeparatim ſignata fuiſſent, an cuiquam dubium foret quin unum prius, alterum poſterius eſſet dicendum? Quo caſu ſane ſupremum valuiſſet, prius ſcriptum nullius momenti haberetur. Nunc duo teſtamenta diverſa diverſos hæredes ſcriptos oſtendentia, & in duobus diverſis exemplaribus conſcripta, pro unis tabulis haberi dixit Ulpianus, quia ſimul ſignata ſunt. Quomodo ſimul ſignata? Eo prorſus modo quem Salmaſius explicavit, nec enim alio potuit. Lino circumligati & ſimul comprehenſi duo codices utriuſque teſtamenti, impoſitis

& im-

& impreſſis ſuper linum teſtium ſignis. Hac re effectum eſt ut duo teſtamēta pro uno cenſerentur, duo codices ſive duo exemplaria pro uno. Vlpianus in illa leg. 1. D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas, duobus continentibus paragraphis duas ſpecies ſive duo themata multum diverſa propoſuit. Priore aliquis duobus exemplaribus, vel quod idem eſt duobus codicibus, unum facit teſtamentum, ſeparatis & ſeparatim ſignatis. *Si aliud*, inquit, *extat, aliud non extet, extare tabulæ videntur teſtamenti.* Sequenti paragrapho ex diverſo oppoſita & contraria teſtamenti ſcriptio ab eodem propoſita eſt. Non unum teſtamentum ibi traditur factum in duobus exemplaribus, ſed duo teſtamenta diverſa alios atque alios hæredes ſcriptos exhibentia, in duobus codicibus, id eſt, duobus exemplaribus ſimul ſignatis. Quæ pro uno teſtamento haberi ſcribit Vlpianus, & ex utroque quaſi ex uno poſſeſſionem à duorū teſtamentorum hæredibus peti, quia utrunque pro uno & pro ſupremo accipitur. Non eodem tempore ſignatos illos duos codices dixit Iuriſconſultus, ſed ſimul, id eſt, eodem lino comprehenſos & involutos, & obſignatos. Si doctiſſimus

Advocatus poterit nobis oſtendere, codicem teſtamenti aliud quid eſſe ab exemplari, tum illi conceſſero, duos codices non eſſe duo exemplaria. Si rurſus nos docere potis erit, duos codices ſeparatos & duo teſtamenta diverſa continentes, aliter ſimul ſignari poſſe quam quomodo accepit Salmaſius, tum etiam fatebor, multū in his eum literis videre in quibus plane cæcus eſt. Initio Obſervationis quæri ait quid appellet Proculus binas tabulas teſtamenti eodem tempore *exemplarii cauſa* ſcriptas, leg. XLVII. D. de Legatis II. *Et alii*, inquit, *volunt, exemplarium ſeu exemplar eſſe originalē ſeu primariam ſcripturam, alii id quod ex alio transſcriptum eſt.* Vtrunque ſane ea voce *exemplar* intelligi certum eſt. Auctoreſque fuere qui in utroque ſignificatu eam vocem leguntur uſurpaſſe, & pro authentico codice, & pro exemplo inde tranſcripto. Sed quomodo Advocatus ea verba cenſet accipienda? *Appellat*, inquit, *Proculus binas tabulas teſtamenti eodem tempore ſcriptas, binas tabulas teſtamenti authenticas, ſed quæ binæ ſcriptæ eſſent ut plures eſſent illius teſtamenti tabulæ authenticæ, plures tabulæ eodem exemplo.* Vt ſonat hæc Interpretatio, binas tabulas ſcriptas exemplarii cauſa

intelligi

intelligi par eſt, ut binæ eſſent tabulæ authenticæ eodem exemplo exaratæ. Cur igitur dicit binas ita eſſe ſcriptas ut plures eſſent authenticæ? An plures quam binæ? Ergo exempla ex his poſſe transſcribi intellexerit. Et ſic non omnes fuerint authenticæ iſtæ plures tabulæ, niſi plures intelligamus de binis exemplarii cauſa ſcriptis, id eſt, authenticis. Brevior itaque veriorque Salmaſii interpretatio quam iſte incruſtare pluribus verbis voluit, ut videretur aliud dicere. In leg. Proculi, *Exemplarii cauſa*, ait Salmaſius, *id eſt, ut loco eſſent exemplaris, & exempla inde transferri poſſent*. An potuit ſuccinctius & concinnius explicare binas illas tabulas teſtamenti *exemplari cauſa* ſcriptas, ut binæ pro authenticis haberentur, eademque eſſet auctoritas utrarunque tabularum ita ſcriptarum? Et notandum quod addit Proculus, *ut vulgo fieri ſolet*. Ergo eodem tempore binæ tabulæ teſtamenti confici ſolebant à teſtatoribus exemplarii cauſa, id eſt, ut pro duobus valerēt exemplaribus, ac unius par eſſet auctoritas & fides atque alterius. Plerunque, quamvis non eadem manu ſcriberētur, dummodo eodem exemplo ſcriptæ eſſent, utræque pro originalibus valebant & authenticis.

Vt

Vt in Tiberii teſtamento, quod duplex ab eo ſcriptũ fuiſſe tradit Suetonius. *Teſtamentum*, inquit, *duplex ante biennium fecerat, alterum ſua, alterum liberti manu, & eodẽ exemplo, obſignaverat q; etiam humillimorum ſignis.* Nihil in his difficultatis oſtenditur, ut mirer, occupato viro tantũ otii ſuperfuiſſe à rebus forenſibus, ut his latius & inflatius exponendis vellet immorari. Quis enim dubitat, cum plura exemplaria eiuſdẽ teſtamenti eodem tempore ſcribebantur & obſignabantur, omnia pro authenticis valuiſſe? Plura autẽ exemplaria eiuſdem teſtamenti fiebant, ut apud plures amicos deponerẽtur. Sed quæſtionis eſt, cum plures eiuſmodi teſtamẽti tabulę eodem tempore ſcriberentur *exemplarii cauſa*, id eſt, ut in totidem exemplaribus haberentur ſcriptæ, & omnes originales & authenticæ, utrum omnes ſimul uno dictãte à pluribus ſcribis exciperentur, an vero cum una ſcripta forent manu, ut puta, teſtatoris, eodem tempore alias inde exſcribendas curaret, quæ ab iiſdem teſtibus ſignarentur. Enimvero ita feciſſe Tiberius deprehenditur, cum duplex condidit teſtamentum, teſte Suetonio. Scripſit unũ ſua, alterum liberti manu. Prius enim videtur factum

quod

quod ſua ipſemet manu conſcripſit, deinde liberto ſuo tranſcribendum dedit alterum ex ſuo chirographo. Binæ ſic ſcriptæ eiuſdem teſtamenti tabulæ. Nam duplex teſtamentum dixiſſe Suetonius videtur pro binis eiuſdem teſtamenti tabulis, quia eodem exemplo ſcriptum ait, in duobus autem diverſis exemplaribus, & manu diverſa, alterum Tiberii, alterum liberti. Et hoc eſt plane quod tradit Proculus dicta leg. XLVII. D. de legatis II, vulgo à patribusfamilias teſtantibus binas ſolere fieri ac ſcribi eodem tempore teſtamenti tabulas, exemplarii cauſa. Aut igitur ipſe teſtator propria manu utraſque ſcribebat, ſed unam poſt alteram, non enim poterat ſimul ambas exarare, aut vero cum ipſe unas ſcripſiſſet manu ſua, alteras dabat liberto aut alii librario ſcribendas. Vtroque caſu unum fuit tanquam originale & prototypum exemplar, alterum ex priore formatum & tranſcriptum, ἰσότυπον & ἀντίγραφον. Non enim aliter licet ſtatuere. Quippe cum lectum mihi non ſit, in condendo teſtamento pluribus excipientibus & exſcribentibus ab uno fuiſſe illa dictata, ut moris fuit in conſcribendis librorum exemplaribus. Falſum igitur, quod notavit

tavit facundiſſimus Advocatus, ubi de teſtamento Theophraſti loquitur, exemplaria illa omnia quorum meminit Diogenes in eius vita, omnia fuiſſe originalia, & πρωτότυπα, inter ſe autem ἰσότυπα. Nec ea fuiſſe proprie exempla. Exempla enim proprie non eſſe ἰσότυπα, ſed ἀντίγραφα. Cur igitur Diogenes Laertius, cum mentionē facit plurium exemplarium teſtamēti Theophraſti, ἀντίγραφα ea appellavit? Sic enim ſcriptū reliquit totidem verbis: αἱ διαθῆκαι κεῖνται ἀντίγραφοι, τῷ Θεοφράστου δακτυλίῳ σεσημασμέναι, μία μὲν παρὰ Ἡγησίᾳ Ἱππάρχου, τὴν δ' ἑτέραν ἔχει Ὀλυμπιόδωρος, τὴν δ' ἑτέραν ἔλαβεν Ἀδείμαντος, ἀπήνεγκε δὲ Ἀνδροσθένης ὁ υἱός. Tria hæc fuere exemplaria Theophraſti teſtamenti, amicis ſervanda data, quæ ἀντίγραφα appellavit quaſi ex uno originali & πρωτοτύπῳ deſcripta. Sed quod hic legitur vox ἀντίγραφα in loco Laertii, non dubitat vir doctus eſſe è gloſſemate, atque ut claudus ad baculum, ad ſollemnes ſibi ariolationes confugit. *Quia dixerat*, inquit, *Theophraſtus, extare plura teſtamenta à ſe facta, exiſtimavit aliquis, unum eſſe teſtamentum, cætera exempla, quare addidit ad marginem* ἀντίγραφα. *ſed falſus eſt, ſiquidem addidit ea Theophraſtus eſſe ſigillo ſuo firmata, & omnia*

& omnia depoſita diverſis locis, præſentibus teſtibus. Sed ipſe potius falſus eſt ariolationis. Si quid mutandũ in verbis Diogenis, ſatis fuerit reſcribere αἱ διαθῆκαι κεῖνται ἀντίγραφοι τῷ Θεοφράστου δακτυλίῳ σεσημασμέναι. Vocavit ἀντιγράφους διαθήκας, teſtamenta ab uno originali exemplata & tranſcripta. Quæ ἀντίγραφα nihil etiam prohibet authentica fuiſſe, utpote ipſius teſtatoris annulo ſignata, qui ideo plura fieri exemplaria curavit ſive ἀντίγραφα, ut pluribus locis poſſent deponi apud varios amicos. Ἀντιγράφους διαθήκας dixit Laertius, ut εἰκόνας ἀντιγράφους ab uno prototypo expreſſas & ſimiles factas imagines. Poteſt tamen retineri vulgata lectio apud Diogenem, ut ἀντίγραφα per appoſitionem dixerit quomodo & loquutus eſt ipſe Laertius in eadem Theophraſti vita: Φέρεται δ' αὐτοῦ συγγράμματα, τόμοι δέκα, pro συγγραμμάτων τόμοι, vel συγγράμματα ἐν τόμοις δέκα. Ita hoc loco, αἱ διαθῆκαι κεῖνται ἀντίγραφα, pro, τῶν διαθηκῶν κεῖνται ἀντίγραφα, vel, καὶ διαθῆκαι ἐν ἀντιγράφοις. Sic plane Demoſthenes in altera contra Stephanũ διαθήκας ἀντίγραφα ποιεῖσθαι dixit, pro διαθηκῶν ἀντίγραφα, his verbis: ἄξιον τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, καὶ τόδε ἐνθυμηθῆναι, ὅτι διαθήκας οὐδεὶς πώποτε ἀντίγραφα ἐποιήσατο. Correctio eſt

imperi-

imperiorum, quod legitur, διαθηκῶν. Nam Atticiſmus eſt, διαθήκας ποιεῖϛ ἀντίγραφα, pro ἐκ διαθηκῶν ἀντίγραφα ποιεῖϛ. Ita ergo hoc loco in Teſtamento Theophraſti, αἱ διαθῆκαι ἀντίγραφα κεῖνται. Appellavit ſane διαθήκας, id eſt, teſtamenta, pro ipſis teſtamentorum exemplis. Ita Suetonius *duplex teſtamentum* à Tiberio factum dixit, cum unum eſſet teſtamentũ duobus codicibus ſcriptum. Valde autem hallucinatur doctiſſimus Advocatus, qui hæc verba putavit eſſe Theophraſti ex ipſius teſtamento. Non enim ut puto dixiſſet Theophraſtus, αἱ διαθῆκαι κεῖνται ἀντίγραφα τῷ Θεοφράστου δακτυλίῳ σεσημασμέναι, ſed τῷ ἐμῷ δακτυλίῳ, ut paſſim loquitur in toto teſtamento. Aliquis familiarium iſta collegerat, & commemorabat, apud quos amicorum Theophraſti teſtamenti eius ἀντίγραφα depoſita ſervarentur. Sic de Stratonis teſtamenti tabulis ſcribit idem Laertius, ab Ariſtone familiari eius collectas fuiſſe, ut cætera fortaſſean ad vitæ memoriam pertinentia, καὶ αἵδε μὲν εἰσιν αἱ φερόμεναι αὐτοῦ διαθῆκαι, καθὰ καὶ τοῦ συνήγαγεν καὶ Ἀρίστων ὁ οἰκεῖος. Cum igitur ἀντίγραφα teſtamenti Theophraſtei dicantur apud varios amicorum depoſita, quæ tria memorantur; hæc diverſa omnia fuiſſe

oportet

oportet ab ipſo originali. Nam ἀντίγραφον non poteſt idem eſſe cum πρωτοτύπῳ. Hoc enim nomen eſt τῶν πρός τι. Non eſt ἀντίγραφον, niſi cogitetur γραφὴ cuius ἀντίγραφον eſſe ponatur. Nullum eſt exemplum ſine exemplari ſuo. Ergo ἀντίγραφον ipſum & πρωτότυπον in loco publico repoſitum fuiſſe neceſſe eſt, aut certe in domo Theophraſti relictum quæ adiuncta horto fuerat cum fano & monumento. Quæ omnia familiaribus quibus in animo eſſet συσχολάζειν & συμφιλοσοφεῖν, in commune reliquit. In fano ipſo fortaſſean etiam cuſtodiendum poſitum eſt. Tametſi autem in altera contra Stephanum ſcripſerit Orator, non ſolere fieri ἀντίγραφα tabularum teſtamenti apud Atticos, alio tamen loco contrarium oſtendit, & producti in iudicium tabularum ἀντιγράφου meminit in ea pro Phormione, λάβε τῆς διαθήκης τὸ ἀντίγραφον. Vbi erat ipſa διαθήκη, cuius ἀντίγραφον in iure proferebatur? Pollux lib. VIII. cap. VI. διαθῆκαι, ἀντίγραφα κατασεσημασμένα. Errat etiam vir doctus, cum ἀντίγραφα ſic diſtinguit ab originalibus, quaſi hæc ſēper ἰδιόχειρα, vel αὐτόγραφα fuerint, ἀντίγραφα autē aliena manu ſcripta. *Sic inſtrumēta, inquit, alia erant ἰδιόχειρα, & αὐτόγραφα*

& veluti originalia, ut nos loquimur, alia imitamenta, & ἀντίγραφα. In teſtamentis ſæpe ἀντίγραφα, manu etiam ipſius teſtatoris ſcripta ferebantur. Sed ex duobus teſtamenti exemplaribus, quæ vulgo relinqui ſolita à patribusfamilias notat Proculus lege ſuperius allata, nihil vetabat utrumque eſſe ἰδιόχειρον, & chirographo teſtatoris ſcriptum, cum tamen unum ex his neceſſario eſſet πρωτότυπον, alterum ἀντίγραφον. Prius ſcriptum omnino erat πρωτότυπον, poſterius ἀντίγραφον, quamvis eadem manu teſtatoris utrumque foret ſcriptum. In pictura hoc idem uſu venit, ut ex duobus tabulis pictis altera ſit ἀρχέτυπος, altera ἀπόγραφος, *Originale* & *copiam* vulgo dicimus, tametſi eadem manu utraque ſit delineata. Fallitur etiam doctiſſimus Advocatus, cum ἰσότυπα confundit cum πρωτοτύποις, & negat exempla fuiſſe ἰσότυπα quæ erant ἀντίγραφα. Quæcumque ἰσότυπα nominantur in veterum ſcriptis, ſcias eſſe ἀντίγραφα, & exempla. Nam ἰσότυπον, idem quod ἀντίτυπον, vel ἀντίγραφον, omne nimirum inſtrumentum quod eodē exemplo ſcriptum eſt, quo πρωτότυπον. In Novellis Iuſtiniani Cōſtitutionibus paſſim ἰσότυπα conſtitutionum appellantur, ἀντίγραφα ca-

earumdem eodem exemplo ſcripta, & pluribus mittenda. Cum igitur ἰσότυπα mitterentur ad plures, unum omnino extitiſſe neceſſe eſt πρωτότυπον, principale & primitivum ſcriptum, ad cuius inſtar reliqua formata eſſent, & eodem tenore atque exemplo exarata. Nullum eſt ἴσον ſive ἰσότυπον, quin fingatur animo typus aliquis primitivus & principalis ad quē exactum ſit. Ἴσον eſt exemplum. Heſychius: ἐξόμπλον, ἴσον. Recentiores Græci ἐξόμπλον pro Latino *exemplum* dixere. Ergo ἰσότυπα ſunt eodem ἴσῳ ſive exemplo formata, & ſcripta. Sed eorū aliquod præceſſiſſe oportet ut πρωτότυπον, vel ἀρχέτυπον, ad cuius exemplar ſint expreſſa. Ergo ἀντίγραφα & ἰσότυπα eadem, & diverſa utique à πρωτοτύποις. *Eiuſmodi* ἀντίγραφα, inquit Pariſienſis Advocatus, *Latini paricula quandoque appellarunt*. Et addit, probari ſibi doctiſſimi Sirmondi coniecturam qui hanc dictionem Aemylio Probo reſtituit in Epaminonda, loco à multis obſervato, à paucis intellecto. Fruatur iudicio ſuo doctiſſimus vir, & probet quod volet, dum & nobis noſtrum relinquat liberū non probantibus quod eſt maxime à veritate ac ratione alienum. Nemo ſane minus intellexit lo-

cum illum Aemylii Probi quam qui *pariculum* in eo pro *periculo* reſtituerunt, aut qui ſic reſtitutum locum adprobarunt. Primum vox *pariculum* infimæ eſt Latinitatis, quod eſt diminutivum à primitivo *par*, & eiuſdem cum illo ſignificationis, omnibus antiquis auctoribus inauditum. Inde Galli ſuum fecerunt *pareil*, pro pari, ex *pariclo*, ut *vermeil* ex *vermiculo*, vel *vermiclo*, pro rubro vel coccino. Quod antiquioribus Græcis ἀντίγραφον dicebatur recentiores ἴσον dixerunt, & ἰσότυπον, id nimirum quod *exemplum* vocavit priſca & pura Latinitas. Ab eo Græco recentiore ἴσον, pro exemplo, Latini eiuſdem ævi, qui Græculos plurimum imitabantur, *par* reddiderunt, & *pariculum* eodem ſignificatu. Quæ priſci igitur dixiſſent litteras, conſtitutiones, inſtrumenta *eodem exemplo ſcripta*, iſti dixerunt *à pari*, vel *à paribus*, id eſt, ἀπὸ τοῦ ἴσου, vel ἀπὸ τῶν ἰσοτύπων. Sic enim ſcribendum apud Gregorium lib. VII. *Gregorius Adeodato, & Maurentio epiſcopis Africæ, à paribus*. Has litteras eodem exemplo ſcriptas apparet Adeodato & Maurentio, quod ille *à paribus* ſermone ſui ſæculi dixit, id eſt, ἀπὸ τῶν ἴσων. Vnam ex his tamen prius ſcriptam fuiſſe oportet, nempe eam quæ data eſt

Adeo-

Adeodato. Deinde altera ad Maurentium exarata, nulla mutatione niſi nominis eius cui inſcripta eſt. Itẽ eodẽ libro, *Gregorius Antonio Subdiacono, & Domitio Abbati, à paribus.* Significat, ἴσον vel ἰσότυπον ſcriptum hoc illis eſſe epiſtolium, vel ad verbum ἀπὸ τῶν ἴσων, *à paribus,* inquam, duabus vocibus non una, *apparibus.* Sic etiam corrigendum & in alia epiſtola eiuſdem libri quæ ita inſcripta eſt, *Romano defenſori, Fauſtino defenſori, Sabino ſubdiacono, Adriano notario, Eugenio notario, Felici ſubdiacono, Sergio defenſori, Bonifacio defenſori, à paribus.* Omnibus iſtis hæc epiſtola miſſa eſt ſeparatim, ſed *à paribus* ſcripta, id eſt, ἰσοτύπως. Item in eodem libro, *Gregorius Theoderico, & Theodiperto regibus Francorum, à paribus.* Multis aliis locis idem apud illum occurrit ubi ſic ſemper legendum eſt, non ut vulgo habetur, *apparibus.* Pro eodem etiam dixerunt *à pari,* ἀπὸ τοῦ ἴσου, vel ἰσοτύπου, ut apud Hincmarum. Pares iſtæ epiſtolæ, litteræ, vel chartæ, vel à paribus ſcriptæ, etiam dictæ *pariculæ,* id eſt, ἰσότυποι, vel ἴσοι. Vnde & *paricula epiſtolæ,* & *paricula chartæ* apud Marculfum, eodem exemplo ſcriptæ, vel pares, id eſt, ἰσότυποι. Nunc videndum an iſta *paricula,* quæ ἀντίγραφα ſunt ac

ἰσότυπα, conveniant loco Aemylii Probi ubi Epaminondas, ut invidiam faceret criminatoribus ſuis, itemque iudicibus ſi ſe condemnaviſſent ob illud crimen cuius accuſabatur ab adverſariis, ita hæc verba habentur: *At ille in iudicium venit, nihil eorum negavit quæ adverſarii crimini dabant: omnia, quæ dixerant, confeſſus eſt, neque recuſavit quo minus legis pœnam ſubiret: ſed unum ab his petivit, ut in periculo ſuo conſcriberent, Epaminondas à Thebanis morte multatus eſt, quod eos coëgit apud Leuctra ſuperare Lacedæmonios.* Age corrigamus, ut voluit profeſſor quondam Claromontani collegii cum ſuo plauſore Advocato, *ſed ab his petivit, ut in pariculo ſuo conſcriberent;* quid hic ſignificabit, *in pariculo ſuo?* Eſto, *pariculum* ſit, ἀντίγραφον, ut revera eſt. Quid ſi ſcriberetur Græce pro illis Latinis ita ad verbũ ex Latino expreſſis, ἐν τῷ ἀντιγράφῳ αὐτοῦ an nõ idẽ omnino ſenſus eſſet qui verbis Aemylii Probi exprimitur? Sed quid illa ſibi vellent, in exemplo ſuo, vel in exemplari ſuo, vel in ἀντιγράφῳ ſuo? An ἀντίγραφον condemnationis ſuæ intelligeretur? Hoc vero non eſt ἀντίγραφον ſuum, vel *pariculum ſuum.* Idem omnino ſignificat infimæ Latinitatis ſcriptoribus *pariculum* quod *par.* Vnde

de *paricula charta* ſunt pares, id eſt, pari tenore ſcriptæ. Ergo ſcribi etiam poſſet in loco Aemylii Probi, *in pari ſuo*. Sed *pariculum* non dicitur abſolute, ſed *pariculum inſtrumentum*, eodem exemplo ſcriptum, ut *paricula charta*, *paricula epiſtolæ*. Quale igitur illud erit *pariculum* quod ſuum vocat Epaminondas, in quo conſcribi petit elogium condemnationis ſuæ? Pro eo dixit Græce Plutarchus in vita Epaminondæ, ἐπιγράψαι τῇ στήλῃ. An στήλη eſt *pariculum*? Quæ mortuis elogia conſcribebantur in titulo ſepulcri, vel monumenti, quæ στήλη Græcis vocabatur, an *pariculorum* nomine veniebāt, id eſt, ἀντιγράφων? Cuius illæ ſcripturæ fuere ἀντίγραφα? Nonne ea ipſamet extitiſſe αὐτόγραφα cenſendum eſt? Ridiculum eſt, quod hic ait Advocatus, petiiſſe Epaminondam à iudicibus, ut condemnationis ſuæ pariculum ſive ἀντίγραφον columnæ ſepulcri ſui inſcriberent. Si hoc petiiſſet non dixiſſet velle ſe condemnationis ſuæ elogium in pariculo ſuo conſcribi, ſed condemnationis ſuæ pariculum in ſepulcro ſuo, vel titulo ſepulcri quæ columna erat, inſcribi. Aliud eſt, *pariculum condemnationis* conſcribi, aliud *in pariculo* conſcribi. Paricula

non dicuntur chartæ, vel pugillares, vel membranæ, vel cippus ſepulcri, priuſquam parem ſive pariculam originali ſcripturam vel inſcriptionem acceperit. Tunc *particula, charta eſt*, cum à paribus conſcripta eſt. Tunc etiam *pariculus* cippus vel titulus ſepulcri, ubi inſcriptionem acceperit ſententiæ condemnationis parem. Petiit ergo, ſi coniecturæ clariſſimorum virorum locus eſt, petiit, inquam Epaminondas, pariculum condemnationis ſuæ in pariculo ſuo ſcribi. Quod quid ſit vellẽ aliquãdo, ubi maioris erunt olii, mihi explicaſſent. Non petiit Epaminondas, ut conſcriberent Thebani elogium ſuæ condemnationis in pariculo ſuo, id eſt, in ἀντιγράφῳ, ſed ut in ſcriptionis vicem, vel tituli, in ſepulcri ſui columna ſive in cippo ſuo conſcriberent ſententiam qua erant eum condemnaturi. Hoc nunquam fiebat, ut condemnationis elogium pro titulo ſepulcri poneretur, ſed ut in invidiam eos vocaret, Agite, inquiebat, condemnate me, confitentem habetis reum, dum hoc ipſum in periculo meo, hoc eſt, in cippo, in columnia monumenti mei, in titulo meo, conſcribatis, *Epaminondam morte à Thebanis multatum eſſe, quod eos coëgerit apud*

Leuctra

Leuctra ſuperare Lacedæmonios. Si στήλη eſt pariculum vel ἀντίγραφον, accedam hanc vocem in Aemylio reponentibus. Inſcriptiones & elogia, vel tituli, quibus memoriæ defunctorum ornabantur, non erant alicuius ſcripturæ paricula, vel ἀντίγραφα, ſed ipſiſſima αὐτόγραφα. Extremæ igitur inſcitiæ eſt, *pariculum* pro *periculo* reſcribere in illis Aemylii Probi verbis, cum *periculum* idem ſit, quod στήλη, titulus, cippus, & ἐπιγραφή monumenti. Ἔλεγχος Græcis eſt *periculum.* Vnde ἔλεγχον ποιεῖσθαι, *periculum facere.* Ponitur etiam ἔλεγχος pro titulo, vel indice, quo res aliqua probatur ac demonſtratur. Eiuſdem ſignificationis & *periculum* eſt apud Latinos, ab antiquo verbo *perior*, cuius compoſita *experior* & *comperior* proprietates ſimplicis exoleti oſtendunt. Et cum *tituli* nomine appellatum ſit genus inaurium ſimile titulis ſive cippis vel columellis ſepulcrorum, *Elenchum* eumdem etiam appellarunt. Vnde apud Iuvenalem:

Auribus extentis grandes commiſit elenchos.

Quos interpretatur *titulos* vetus ſcholiaſtes. Atqui ἔλεγχος etiam periculum eſt, idemque titulus. Hinc, ut dixi, *periculum*

culum Probo, quæ στήλη eſt Plutarcho, quem *titulum ſepulcri* vocarunt veteres Romani. Si *pariculi* dictio, & notio, ſententiæ Aemylii Probi prorſus repugnat, non minus à titulo Codicis aliena eſt, *de ſententiis ex periculo recitandis*. Quale enim quæſo illud pariculum fuiſſe oportet ex quo iudices ſententiam, quam pronuntiaturi erant, debebant recitare? An earum ſententiarum πρωτότυπα & ἀντίτυπα pariter vel ἰσότυπα, αὐτόγραφα vel ἰδιόχειρα, & ſimul etiam ἀντίγραφα, neceſſe fuit confici ut in teſtamentorum tabulis, & aliis publicis inſtrumentis? Quis huius moris meminit, aut quæ eius ratio, ut duplices tabellæ debuerint fieri iudiciariæ, una authentica & originalis, altera paricula? Nam hoc vocabulum ut dixi, eſt τῶ πρός τι. Non eſt pariculum aliquod inſtrumentum, niſi detur cui fuerit pariculum. Pericula iſta iudicum, ex quibus ſententiam pronuntiabant, tabellas fuiſſe conſtat, quas ipſi conſcribebant. Duum fuere generum, aliæ quæ in ciſtam coniiciebantur ſicut erant ſcriptę, ex quibus nihil iudex pronuntiabat. Harum uſus fuit in divinationibus, & aliis maioribus cauſis. *In divinationibus*, inquit Aſconius Pædianus, *& aliis cauſis maioribus*

bus iudices in ciſtam tabulas ſimul coniiciebant ſuas eaſque inſculptas litteras habentes, A. abſolutionis : C. Condemnationis : cum de alicuius capite agebatur, N L. His enim litteris ſignificabant non liquere. Hæ tabellæ iudiciariæ, quibus utebantur in maioribus & capitalibus cauſis, ceratæ erant ſive cera inductæ, quæ ſingulis tantum litteris, vel ad ſummũ binis, inſculptæ habebantur. Notis nempe ſive prioribus litteris verborum abſolvendi & condemnandi, vel duarum vocum notis ſingularibus, quibus ſignificabant ampliandum eſſe, quia ſibi non liqueret. An iſtarum tabellarum paricula vel antigrapha fiebant? Cui bono, aut quam ad rem? Aliæ fuerunt tabellæ de quibus iudices pronuntiabant in levioribus cauſis. *Singuli autem,* inquit idem Aſconius, *ſententiam de tabula pronuntiabant in levioribus cauſis.* An in iſtis tabellis iudiciariis de quibus ſententiam pronuntiare ſolebant iudices, mos fuit *αὐτόγραφα*, & *ἀντίγραφα* confici? Exemplaria nimirum harum, & exempla, ſimul exarabantur? Hæc paricula, illa vero authentica, & originalia? An poſſunt dicere utrũ ex his an ex illis ſententiam iudices pronuntiarint? Sed aliter paullo interpretatur hanc vocem acu-

tus Advocatus. Plura fuiſſe vult ſententiarum exemplaria, & ἰσότυπα. *Atque ea dicebantur,* inquit, *paricula. Neque erant ἀντίγραφα, ſed πρωνότυπα, & inter ſe ἰσότυπα, unde pericula dicta.* Ne vivā ſi ſcio quid velit, cum ratio ipſi non conſtet, & pugnantia ſcribat. Paulo ante ſcripſit quæ Græcis ἀντίγραφα, ea Latinis dici *paricula*, cum de *pariculo* Epimanondæ agebatur. Nunc ubi quæſtio eſt de ſententiis iudicum ex pariculo recitandis, negat paricula eſſe ἀντίγραφα, ſed vult eſſe πρωτότυπα, & inter ſe ἰσότυπα, id eſt, paricula. Vir bonus plane delirabat cum hæc ſcriberet. *Iubebant*, inquit, *imperatores ultimas definitiones ſive ſententias ſcriptis comprehendi, & ex ſcripto & libello coram partibus litigantibus pronuntiari.* Hæc ſane verba ſunt leg. 11. Cod. Theod. de *ſententiis ex periculo recitandis: in omnibus negotiis ex periculo promi deliberationis plenam ſententiam.* Quid igitur inde conſequi vult? *Pariculum non eſſe exemplum, nec ἀντίγραφον, ſed ἰσότυπον, & exemplar.* Si πρωτότυπον eſt & exemplar, cur dicetur pariculum? Aut cuius ſcripturæ pariculum erit? Plura ſubnectit fuiſſe ſententiarū exemplaria, & ἰσότυπα. An ſinguli ergo iudices plures habuere tabellas ex quibus ſenten-

tiæ pronuntiarentur ? Si diverſæ fuere iudicum ſententiæ, unuſquiſque tamen iudex non plures ſententias dixit, ſed unam & ſuam. Ergo & unam habuerunt tabellam, unumque periculum de quo eam pronuntiarent. Si *pariculum* iſtud fuit, indicent nobis & explicent, cuius *αὐτογράφου* vel *πρωτοτύπου* fuerit pariculum. *Sententiarum exemplaria fuere*, inquit, *inter ſe ἰσότυπα.* Quid hoc ſit, dignetur nobis interpretari. Magnam ei gratiam habebimus. Nollem porro, virum Magnum in ſparſione florum ad ius Iuſtinianeum tam facile conceſſiſſe in ſententiam Sirmondi, *periculum* tot locis apud auctores reformantis in *pariculum*, quæ abſurdiſſima eſt, ac falſiſſima. Si libri veteres in Codice Theodoſiano aliquo *ex pariculo* præferunt pro *ex periculo*, non eſt mirum. Eo tēpore librariis imperitis notiora fuere *paricula*, quam *pericula* illo ſenſu. Quod autem breves admodum fuere ſententiæ iudicum quæ in tabellis ſcribebantur, ideo nomine *periculi*, quaſi tituli aut indicis, ipſæ tabellæ dictæ ſunt, quæ plerumque vel ſingulas litteras, ut ſupra ex Aſconio vidimus, vel paucula aliquot verba compelectebantur, ut illa fuit in Cyprianum lata capitis ſententia ex tabella

ſive ex periculo recitata, *Thaſium Cyprianum gladio animadverti placet*. Acta enim vetuſtiſſima, & eo ipſo tempore ſcripta, *hoc decretum ex tabella recitatum*, diſerte aſſerunt. Quæ tabella eſt iudiciaria, ut Aſconius vocat, ſive *periculum*. Quod ad differentiam attinet Latinarum vocum *exemplum*, & *exemplar* auctores idonei adfirmant, invicē ea ſignificatione variare, & permutari inter ſe. Si ipſam nominum proprietatem attendamus, *exemplar* illud videtur dictū, ex quo plura exempla poſſunt propagari, & quod quaſi plura exempla in ſe continet. Sic *extar* olla eſt, quæ *exta* coquenda plura capit. Gloſſæ: *Extar, olla ubi exta coquebătur*. Sic tabella ſimplex, qualis fuit illa ex qua iudices ſententiā pronuntiabāt, *pugillus* dicebatur quia manu tenebatur. Gloſſæ: *pugillum:* δράξ χειρός. Inde *pugillar*, ἡ πινακὶς, quæ multos *pugillos*, id eſt, multas tabellas huiuſmodi in ſeriē ſitas continebat, qualia erant δίπτυχα, τρίπτυχα, & πολύπτυχα, duorum aut trium aut plurium pugillorum pugillaria. Rurſus *exemplum* idem quod τύπος Græce. Eſt primitivum quidam τύπος, à quo cætera dimanant. Hinc πρωτότυπον, quaſi πρῶτος τύπος, & ἀρχέτυπον. Hoc proprie exemplar, ſed & ex-

emplum.

emplum. Eſt & δεύτερος τύπος, ut ἀπόγραφος, qui ex primo deſumptus eſt, & expreſſus. *Exemplum* multi hoc ipſum nuncuparunt. Inde utriuſque vocabuli promiſcuus uſus & communis notio, qua multi exemplũ cum exemplari confuderunt. Hoc eſt quod notavit doctiſſimus Grammaticus Caper de verbis dubiis. *Exemplar,* inquit, *quod transfertur; exemplum quod non transfertur. quamquam alii contra.* Dicit exemplar eſſe quod transfertur, ex quo nempe exempla transferuntur. Nam ab exemplo nihil transfertur, cum ipſum ſit quod tranſlatum eſt. Quamquam alii contra, qui nimirum exemplum pro exemplari uſurparunt, & exemplar pro exemplo.

C A P.

CAP. VII.

Recte videri emendatum Pauli locum à Salmaſio in collatione Moſaicarum legum cum Romanis, & peſſimam in eodem reſtituendo coniecturā eſſe Advocati Pariſienſis. αἰκίαν *differre ab ea iniuria quæ* ὕβρις *Græce dicitur. Ita invicē hæc nomina diſtare, ut genus diſtat à ſpecie. Contumeliam proprie eſſe iniuriam quæ fit verbis,* αἰκίαν *quæ verberibus. Alia eiuſdem loci correctio tentata.* αἰκίαν *fuiſſe privatam actionem,* ὕβριν *publicam. Non poſſe conciliari Harpocrationem cum Plutarcho, cum de diverſis agant criminibus & actionibus* αἰκίας *&* ὕβρεως.

NULLAM ſibi oblatam carpendi Salmaſii occaſionem omittere voluit Advocatus Pariſienſis. Si quæ non ſeſe offerrent, eas etiam arceſſitas longe quæſivit. Sic natus illi eſt Obſervationum & Emendationum liber, ubique mendoſiſſimarum. Verba Pauli apud auctorem collationis legum Moſaicarum emendare conatus eſt ille quem dico Salmaſius Tit. 11. qui eſt, de Atroci iniuria. Non probavit Advocatus, *αἰκίας* nomen pro *ἀδικίας* in his verbis Pauli reponi, *Specialiter alia eſt contumelia quam Græci* AIKIAN

KIAN *vocant.* Pro quo vulgo eſt , *quam Græci* ΑΔΙΚΙΑΝ *vocant.* Non potuit negare vocem Ἀδικίαν ibi mendoſam eſſe. Sed ne cogeretur Salmaſianæ correctioni adſtipulari, aliter ea verba diſpoſuit, & totum locum ſit tranſpoſuit : *Generaliter dicitur iniuria omne quod non iure fit , quam Græci* Ἀδικίαν *vocant. Specialiter alia eſt cõtumelia.* Hoc plane Ἀλεξανδρῶδες, vel magiſtrale potius, omnia invertere pro ſuo libitu contra librorũ auctoritatẽ ac rei ipſius veritatem. In Salmaſii emendatione unius tantum litterulæ differentia eſt. Et præterea de ea iniuria quæ Græce dicitur αἰκία hic intellexiſſe Paulũ, verba eius quæ paulo poſt ſequuntur clare indicant. *Hoc edictum,* inquit, *ad eam iniuriam pertinet quæ contumeliæ cauſa fit. Fit autem iniuria, vel in corpore, dũ cædimur: vel verbis cũ convitium patimur: vel cum dignitas læditur, ut cum matronæ vel prætextato comites abducuntur.* Ergo iniuria fit per contumeliam dum in corpore cædimur. Ideo dixit, *ſpecialiter* aliam eſſe *contumeliam quam Græci* Αἰκίαν *vocant.* Eam autem eſſe cum quis pulſatur, & corpore cæditur, id eſt, verberatur, Græce ſcientibus notum eſt, & iam id pluribus oſtendit Salmaſius. Heſychius : Αἰκία, πληγὴ, ὕβρις, βάσανος, μάστιξ.

σιξ. Αἰκίζεται, ὑβρίζεται, μαστίζεται. Αἰκίσμασι πληγαῖς, μάστιξι. Αἰκισμῶν, μαστίγων, πληγῶν. Αἰκιῶν, βασάνων, πληγῶν. Gloſſæ veteres: *Αἰκίζω σε, verbero, adfligo te, mulco te.* Item: *Αἰκίζομαι ὑπό σου, affligor à te, mulcor à te.* Optimæ aliæ Gloſſæ Philoxeni, *mulcavit, αἰκίσατο.* Terentius *iniuriam* hanc vocavit quæ Græce eſt *αἰκία*. Nam Leno apud eum in Adelphis, male mulcatus ab adoleſcente Aeſchine, ſemetipſum conſolans, & adhortans ad tolerantiam, dicit,

Accipienda & muſſitanda adoleſcentum iniuria eſt.

At Paulus *generaliter iniuriam dici* ait, *omne quod non iure fit*, nec nomen Græcum huic generali iniuriæ notioni adpoſuit, quia non reperit quod congrueret Latinæ appellationi. Vnde & paulo poſt ibidem reprehendit Labeonẽ, qui putabat, apud Prætorem iniuriam ὕβριν duntaxat ſignificare, & adiicit, *Commune enim nomen eſſe iniuriæ, omni, quodcunque adverſus bonos mores fit, idque non fieri alicuius intereſt.* Eadem eſt finitio quam ſupra adduxit, *generaliter dici iniuriam omne quod non iure fit.* Cui Grçcum ἀδικία aptari non poteſt. Nam ad alia pertinet, & ad πλεονεξίαν etiam extenditur. Et videndum hac de re, quot

quot modis ſumatur ἀδικίας nomen, quæ nihil facit ad Edictum prætoris de iniuriis, vel iniuriarum actione. Ea ὕβρις eſt potius, & παρανομία, ut recte expoſuit optimus Gloſſarum veterum collector. *iniuria*, ὕβρις καὶ παρανομία. Iudex dicitur etiam iniuriam facere cum iniquam ſententiam pronuntiat, ſed ea iniuria non eſt ὕβρις, nec contumeliæ cauſa fit, ſed iniuſtitiæ, quæ nihil ad Edictum prætoris pertinet de iniuriis. Paulus hoc loco: *Nam cum prætor adverſum nos pronuntiavit, iniuriam nos accepiſſe dicimur*, ea iniuria ἀδικία eſt. Recte etiam Salmaſius emendavit, *Specialiter alias eſt contumelia, quam Græci αἰκίαν vocant.* Nec audiẽdus eſt Advocatus, qui *contumeliam* latius multo patere contendit quã αἰκίαν. Nam αἰκία iniuria eſt cum contumelia coniuncta, & quæ contumeliæ cauſa fit verberatio. Græci eam definiunt, ὕβριν ἐμπληγον, id eſt, contumeliam cum verberibus. Nullum genus iniuriæ ſive contumeliæ frequentius eſt, quam qua in corpore quis cæditur. Idem Paulus in legum Moſaicarum Collatione eodem libro ſingulari quem de iniuriis ediderat, ſub titulo quemadmodum iniuriarum agatur; *Qui iniuriarum aget, certum debere dicere*

P 2 *quod*

quod iniuriæ factum ſit. *Certum autem*, inquit, *an incertum dicat cognitio ipſius prætoris eſt*. *Demonſtrat autem hoc loco prætor non modum agendi , ſed qualem formulam edat. Certum non dicit qui dicit ſe pulſatum, ſi ſit verberatus, ſed & partem corporis demonſtret, & quem in modum, pugno puta , an fuſte, an lapide , ſicut formula poſita eſt, Quod Auli Agerii pugno mala percuſſa ſit*. Hæc formula actionis, & quidquid hic dicitur à Paulo, ad eam iniuriã ſive contumeliã pertinet, quæ Græcis proprie *αἰκία* vocatur, & *contumelia* Latine etiam appellari poteſt quia nunquam ſine contumelia fit , & cauſam habet in faciente contumeliam. Vnde & ὕβρις etiam à Græcis exponitur, & *αἰκίζειν*, *καθυβρίζειν*. *Contumelia* etiam eſt ὕβρις, ut Græce interpretatur veteris Gloſſarii auctor. Non latius patet *contumelia* Latinorum quam *αἰκία* Græcorum, ſed in alio genere verſatur. Nam proprie verbis fit. Maledictorum eſt contumelia, *αἰκία* verberum. Poſſet igitur commode legi in verbis Pauli: *Specialiter alias eſt & contumelia, & quam Græci αἰκίαν vocant*. Specialiter nomen iniuriæ accipi dicit de ea iniuria quam Latini *contumeliam* vocant, quæ in maledictis, convitiis , & carminibus libelliſque fumoſis poſi-

poſita eſt. Item de iniuriæ ſpecie quam Græci *αἰκίαν* nominant quæ in verberibus potius quam in verbis cernitur. De utraque ſpeciatim in eodem libro de iniuriis formulas prætoris poſuerat, quæ & habentur in ſequentibus. Ad *αἰκίαν* ſpectat illa quæ ſic concepta eſt: QUOD AULI AGERII MALA PUGNO PERCUSSA SIT. *Ad contumeliam*, quæ ſubiecta eſt: *Ita ſi dicat infamatum ſe eſſe, debet dicere quemadmodum infamatus ſit. Sic enim & formula concepta eſt*: QUOD NUMERIUS NIGIDIUS CARMEN EMISIT AULI AGERII INFAMANDI CAUSA. Ita hæc legenda. Harum duarum formularum altera, ut dixi, proprie pertinet ad *αἰκίαν*, altera ad contumeliã. Iniuriæ igitur appellatio in Edicto prætoris, has duas iniuriarum ſpecies comprehendebat, *αἰκίαν & contumeliam*. Non habent Latini nomen quo exprimant Græcorum *αἰκίαν*. Quod autem doctus Advocatus ſcribit in hac obſervatione, nullam fuiſſe differentiam apud Græcos inter *ὕβριν* & *αἰκίαν* niſi agendi ratione, non potuit magis errare quam errat. Nec ei patrocinatur cæterorum patrono, quod Græci Grammatici paſſim *αἰκίαν* etiam *ὕβριν* interpretantur. *Αἰκία* non fit ſine *ὕβρει*, ſed ea non eſt *ὕβρις*,

 cuius

cuius iudicium fuit publicum, cum *αἰκίας* eſſet privatum. Homo etiam animal dicitur, ſed illud animal non eſt quod caret ratione. *Αἰκία* etiam *ὕβρις* eſt, ſed non ea *ὕβρις*, propter quam actio datur publica. Ita inter ſe differunt *ὕβρις*, & *αἰκία*, ut genus & ſpecies. Et cum *ὕβρις* generis nomen ſit, etiam certę ſpeciei dabatur, cuius perſecutio publico iudicio erat. Falſum igitur, hæc duo iniuriarum genera ac nomina non aliam habuiſſe differentiam quam in agendi modo poſitam. Immo quia hæc crimina toto genere differebant, idcirco & diverſæ actiones inſtitutæ ſunt ad ea perſequenda. Privati altera iudicii fuit, altera publici. Magnopere etiam fallitur, cũ putat, Plutarcho & Harpocrationi optime convenire: quorum alter tradit, *αἰκίας δίκην ἰδιωτικὴν* eſſe: alter ſcripſit, lege Solonis cuilibet licuiſſe qui vellet, eum qui alteri iniuriam fecerit accuſare, ac reum peragere. Non video, quomodo inter hos duos auctores concordiã poſſit quis conciliare niſi quis velit eadem opera iudicium privatum cum publico confundere. Hæc quippe nota eſt publici iudicii, cum volenti cuilibet liçet reum facere illum à quo non læſus eſt,

eſt, ſi alterum quempiam læſerit. At in privatis iudiciis non competit accuſatio, niſi illi cuius intereſt, & qui ſe violatum aut infamatum queritur. Pollux lib. VIII. cap. VI. inter crimina publica, & quæ publico iudicio vindicabantur, recenſet, γραφὴν ὕβρεως, cum ſacrilegio, incendio, adulterio, & veneficio, & cæde, aliiſque eiuſmodi. Γραφαὶ δὲ, inquit, φόνου καὶ τραύματος ἐκ προνοίας, καὶ πυρκαϊᾶς, καὶ φαρμάκων, καὶ μοιχείας, ὕβρεως, ἱεροσυλίας. Subiicit poſt alia enumerata eiuſdem a-bollæ crimina: πάντας τὰς δίκας, καὶ ὅσαι τοιαῦται, (ἐκαλοῦντο δὲ γραφαὶ, καὶ δίκαι οὐ μέντοι καὶ αἱ δίκαι γραφαί) ἐξῆν τῷ βουλομένῳ γράψασθαι. Quod argumentum eſt unicum iudicii publici. Nam in privatis nemini licuit alteri reum quempiam arceſſere, & in ius vocare, eique actionem intentare, niſi cui intereſſet. Cum igitur dixit Plutarchus ea lege Solonis, πληγέντος ἑτέρου τῷ βουλομένῳ ἐξεῖναι γράψασθαι τὸν ἀδικοῦντα, καὶ διώκειν, non de iniuria αἰκίας quæ privata actione vindicabatur, id intellexit. Præterea verbum γράφεσθαι, & γραφαὶ de ſolis publicis iudiciis uſurpabatur, ut δίκη de privatis. Quæ vocabantur γραφαὶ, etiam δίκαι dicebantur, non è converſo. In iniuria αἰκίας quæ ἰ-

 διω-

ἰδιωτικὴ fuit, vel ἰδία δίκη non δημοσία, locum non habet verbum γράφεσθαι, neque γραφή. Poſtremo πληγῶσαι apud Plutarchū non de verberatione, ſed de vulnerararatione accipi debet. Quod enim Advocatus autumat, non id eſſe neceſſario vulnerari, ſed etiā pulſari ſimpliciter, & verberari, debuit exemplū eiuſmodi ſignificationis in verbo πληγῶσαι proferre ex aliquo idoneo auctore. Tametſi autem πληγῆναι etiam de ſola verberatione ſine vulnere diceretur, quod vix conceſſerim, hic tamē de vulneratione eſſet accipiendum, cum publicum de eo iudicium fuiſſe Plutarchus oſtēdat, qui verbo γράφεσθαι uſus eſt, quod non niſi de publicis criminibus ac δημοσίαις γραφαῖς apud Græcos uſurpatur. In Oratione Lyſiæ περὶ τραύματος ἐκ προνοίας, verbum πληγῆναι accipi pro vulnerari, hic locus oſtendit: ἀλλ᾽ ὀστράκῳ φησὶ πληγῶσαι. καίτοι φανερὸν ἤδη ἐξ ὧν εἴρηκεν, ὅτι οὐ προνοίᾳ γεγένηται. οὐ γὰρ οὕτως ἤλθομεν, ἀδήλου ὄντος, εἰ παρὰ τούτῳ εὑρήσομεν ὄστρακον, ἢ οὕτως αὐτὸν ἀποκτενοῦμεν. Etiam πληγὴ in numero ſingularitatis pro vulnere tantum accipitur, non pro pulſatione aut verberatione. In numero multitudinis πληγαὶ ſunt verbera, non vulnera. Verba denique Plutarchi

tarchi non ad ὕβρεως δίκην referenda ſunt, ſed ad eiuſmodi γραφὰς, ſive iudicia publica, quæ φόνου ac τραύματος ἐκ προνοίας dicebantur. De quibus Pollux loco iam ſupra citato, γραφαὶ ἡ φόνου, καὶ τραύματος ἐκ προνοίας. Nam πληγὴ eſt τραῦμα, & πληγῆναι τρωθῆναι, vulnerari. Optimæ Gloſſæ: πληγὴ ἀπὸ σιδήρου, *ictus, vulnus*. Ita libri. At πληγαὶ, apud eumdem verbera ſunt, & apud Demoſthenem contra Cononem, & apud Harpocrationem. Plutarchus de Solone, παντὶ λαβεῖν, inquit, δίκην ὑπὲρ τοῦ κακῶς πεπονθότος ἔδωκε. Quibus in verbis auctoris Græci præſtantiſſimi non animadverterunt vitium doctiſſimi viri, qui ſæpius ea citarunt. Nam λαβεῖν δίκην eſt, ſupplicium ſumere. Quod hic non convenit, cum de accuſatione inſtituenda in criminibus publicis agatur. Scribendum igitur, una littera mutata, παντὶ λαχεῖν δίκην ὑπὲρ τοῦ κακῶς πεπονθότος ἔδωκε. Quid ſit λαχεῖν δίκην, & λῆξις δίκης in foro Attico, norunt Græce periti. Quod omnino de publicis criminibus intelligi oportet, in quibus ἐξῆν τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι τὸν ἀδικοῦντα. Ulpianus in Midiana: εἰ γὰρ πᾶσιν ἔξεστι κατηγορεῖν τοῦ ἀδικοῦντος, πρόδηλον ὅτι κοινὸν ἁπάντων ἔγκλημα, καὶ δη-

μόσιον ἀδίκημα. Quorum criminum publica fuit accuſatio IureRomano, licebat τῷ βελομένῳ reum facere publico iudicio, niſi ſi quos lex non admitteret ad accuſandum. Non eſt igitur dubium, quin intellexerit Plutarchus eo loco de vulneris accuſatione quæ publica fuit, & τραύματος ἐκ προνοίας δίκη vocabatur. Quod clare teſtatur Demoſthenes in ea cõtra Cononem. Primo dicit, conſtitutas eſſe dicas Athenis τῆς κακηγορίας, ne quis quempiam convitio laceſſeret, ne à convitiis & à verbis ad verbera deveniretur. Deinde & αἰκίας quoque δίκας fuiſſe lege conſtitutas, ne quis alium pulſaret aut verberaret ac ne à verberibus ad vulnera ac cædes prorũperetur. Poſtremo, inquit, τραύματός εἰσι δίκαι, propter vulnera inſtituta iudicia, ne à vulneratis cædes fierent. In prioribus duobus criminibuſq; privatorum fuere iudiciorum, δίκας nominavit. Κατηγορία *contumeliæ* Latinorum reſpondet, αἰκία vero *iniuriæ*. At τραύματος γραφὰς nominavit, quia ob vulnera intentatæ accuſationes publicorum erant iudiciorum. Αἰκίας vero iudicium, & accuſatio privata, cum hac etiam differentia, ut liceret accuſatori, qui ſe pulſatum arguebat, quanti ſua intereſſe diceret, mul-

multam æſtimare, ut ſcribit Harpocration. At in iudicio ὕβρεως, quod dependiſſet is qui multæ nomine condemnatus erat, in publicū id redigebatur. Pollux: καὶ τῆς μὲν ὕβρεως τὸ τίμημα οὐκ ἦν τοῦ παθόντος, ἀλλὰ δημόσιον. Ulpianus in Midiana diſtinguere videtur, ut ſi ille cuius intereſſet, & qui læſus eſſet, accuſaret, multa quæ irrogabatur condemnato, ipſius compendio cederet: ſin alius accuſationē ſuſcepiſſet, publici. Ῥητέον οὖν ὅτι, εἰ μὲν αὐτὸς ὁ παθὼν κατηγόρει, αὐτὸς ἐλάμβανε τὸ τίμημα τὸ ἐκ τῶν νόμων· εἰ δὲ ἕτερος ἦν ὁ κατηγορήσας, δημοσίου ἐγίγνετο ἡ καταδίκη. Ubi etiam hoc animadvertendum in actione ὕβρεως, & reliquis publicorum iudiciorum criminibus, τὸ τίμημα ſive pœnam à lege ipſa fuiſſe taxatam. In actione αἰκίας, ipſe accuſator cuius intererat, & qui læſus fuerat, multam taxabat. Inter privata iudicia primo loco recenſet τῆς αἰκίας δίκην. Idem Pollux eodem capite, καὶ ἰδιωτικῶν μὲν δικῶν ὀνόματα αἰκίας, κακηγορίας, βλάβης, παρακαταθήκης, ἀποπομπῆς, κλοπῆς, χρέους, συμβολαίου, συνθηκῶν παραβάσεως, & ſimilia. Falſiſſima igitur ſententia quæ ſtatuit, inter δίκην αἰκίας, & δίκην ὕβρεως, non aliud diſcrimen interceſſiſſe niſi agendi modum. Si ſic omnia

dant

dant in Iure Attico quod nobis promittunt, haud magnum fecerit operæ pretium, & expectatio de eo ſcripto noſtra prorſum eludetur, quæ pro theſauro ἄνθρακας recipiet.

CAP. VIII.

Locum Pauli apud auctorem Collationis legum Moſaicarum recte à Salmaſio emendatum, peſſime ab Advocato Pariſienſi acceptum. Reum tam de actore quam de defenſore dictum etiam in criminalibus. Τίμημα *locum habuiſſe in privatis æque iudiciis atque in publicis apud Athenienſes. Iudicium* αἰκίας *differre à iudicio* ὕβρεως, *non ſola agendi ratione, ſed ipſo genere iniuriæ. Quid ſit* προστιμᾶν, ἀντιτιμᾶν. *& alia ad ius Atticum pertinentia explicata.*

NON oblitus amorum perſequitur Advocatus Pariſiens quod ſibi in deliciis eſſe oſtendit, ut omni occaſione Salmaſianas exagitet obſervationes, & emendationes. Non ſuccenſerem ſi recte aut bono iure id faceret. Cum ubique maximam in iis culpandis iniquitatem & malignitatem profiteatur, non potui id ferre, præſertim in eo qui cum Salmaſio amicitiam coluiſſe dicatur.

Nam

Nam amicus ſi reprehendat, ipſa vi veritatis cogente ad id deſcendiſſe creditur. Si adverſarius quod ſcripſeris damnet, hoc ipſo id refutatur quod eſt adverſarius. Statim initio cap. XLVII. producitur Vlpiani locus ex Collatione legum Moſaicarum, ſub titulo II. de atroci iniuria, quem arguitur Salmaſius peſſime cum emendaſſe tum explicaſſe. Sic ergo legitur in editione Pithœi : *Iniuria ſiquidem atrox, id eſt, gravis, rerum, non ſine iudicis arbitrio æſtimatur. Atrocem autem ſolere æſtimare Prætorem: idque colligi ex facto, utputa ſi verberatus aut vulneratus fuerit*. Ait his verbis allatis doctiſſimus fori Advocatus dictionem illam *ſiquidem* oſtendere, verba iſta Vlpiani ab aliis pendere, nec perfectam eſſe orationem. Ego vero falli puto celeberrimum patronum. Iniuria alia eſt atrox, ſive gravis, ut exponit Vlpianus, alia non atrox ſed ſimplex vel levis. Dicere ergo voluit Vlpianus, iniuriam, ſi quidem atrox ſit & gravis, non ſine iudicis arbitrio æſtimari. Aliud erat nimirum, ſi non eſſet atrox iniuria. Sola dictio *rerum* in verbis Vlpiani turbat ſententiam, & ſenſui loci officit. Quare pro *rerum* corrector non tam bonus quam Advocatus, ſcriptum fuiſſe exiſtimat,

inin-

iniuria ſiquidem atrox, id eſt, gravis, verum non ſine iudicis arbitrio æſtimatur. Quæ mera eſt ſtribligo, & balbuties, non Latina oratio. Nihil enim cohæret. Quid enim iſta ſibi volunt? *Iniuria ſiquidem atrox, ſed non ſine arbitrio iudicis æſtimatur.* Qui ſenſus horum verborum? Quæ ratio? Nam primo abſurdum eſt, quod putat Advocatus, non perfectam eſſe orationem, ſed ab aliis pendere. Cum diſtinctione quæ adhibenda eſt, plane integram eſſe conſtat, hoc modo: *Iniuria, ſiquidem atrox, id eſt, gravis, non ſine iudicis arbitrio æſtimatur.* Quod ſi recipiatur emendatio critici, quem ſenſum iſta efficient? *Iniuria, ſiquidem atrox, & gravis, verum non ſive iudicis arbitrio, æſtimatur.* Deinde qualis iſta loquutio, *non ſine iudicis arbitrio æſtimatur?* Nam debuit rotunde dicere, *Iniuria, ſiquidem atrox, id eſt, gravis, arbitrio iudicis æſtimatur.* Iam videamus quo modo hæc ſe habere queant, cum emendatione Salmaſii ac diſtinctione: *Iniuria, ſiquidem atrox, id eſt, gravis, per reum non ſine iudicis arbitrio æſtimatur.* Hanc lectionem ferri nullo modo poſſe pronuntiat Advocatus. Si rationem quæras dicet, *non agi de æſtimatione litis, ſed de ea, qua iudex ex circumſtantiis iudicat an iniuria ſit atrox nec ne.* Immo cer-

certiſſimũ eſt, verbis iſtis, *non ſine iudicis arbitrio æſtimatur*, intelligi debere æſtimationem multæ ſive pœnæ , arbitrio iudicis faciendam. Nam Vlpianus de ea iniuria loqui ſe teſtatur quam conſtiterit eſſe atrocem. Iniuria, ſiquidem atrox, id eſt, gravis. Deinde ubi ſubiecit, *arbitrio iudicis eam æſtimari*, quod de æſtimatione pœnæ atrocis iniuriæ intelligendum eſt, ſtatim addit de alia æſtimatione qua prætor ſolet iudicare an atrox ſit iniuria, idque colligi ait ex facto, utputa ſi verberatus aliquis aut vulneratus fuerit. Duplicis igitur æſtimationis in atrocis iniuriæ actione mentio fit ab Vlpiano, niſi velimus bis eamdem rem eũ expreſſiſſe, *arbitrio iudicis æſtimari atrocẽ iniuriam, atrocem autem æſtimare ſolere Prætorem, & ex facto id colligere.* Non mihi certe fit veriſimile, δὶς ταὐτὸν dixiſſe Iuriſconſultum. Nam iudex & prætor idem eſt. Aeſtimare & æſtimare quoque idem. Priore igitur loco de æſtimatione pœnæ quæ fit arbitrio iudicis intelligenda ſunt Vlpiani verba, ſiquidem atrox ſit iniuria, id eſt, ſiquidem conſtet eſſe atrocem. Aeſtimare igitur iniuriam, non eſt, litem æſtimare, ut hic cenſet Advocatus Pariſienſis, qui ea notavit de verbis τιμᾶσθαι,

ἀνλ-

ἀντιτιμᾶσθαι, & ὑποτιμᾶσθαι, quæ non intellexit, ſed pœnam iniuriæ taxare. Sic apud Agellium lib. xx. cap. 1. poſtquam receſſum eſt à pœna iniuriarum legitima, quam Duodecim Tabulæ viginti & quinque aſſibus æſtimaverant, prætores ea abolita, *iniuriis æſtimandis recuperatores ſe daturos edixerunt.* Hoc ſenſu apud Vlpianum accipi debet, *iniuriam, ſi quidem atrox ſit, non niſi arbitrio iudicis æſtimari.* Deinde ſubiungit quomodo æſtimare poſſit prætor an iniuria ſit atrox. Id ex facto colligi dicit, ſi verberatus aliquis, vel vulneratus fuerit. Hæc optime itaq; cum illa diſtinctione & emendatione conſtat Vlpiani ſententia. Sed aliam adfert rationem Advocatus cur non poſſit recta videri. *Nam certum eſt,* inquit, *litem nunquam à reo æſtimatam, ſed ab accuſatore. Accuſator litem æſtimabat*, ἐτιμᾶτο. Reus ἀντετιμᾶτο, ſive ὑπετιμᾶτο. Non hic quæſtio eſt de litis æſtimatione, ſed de multæ traxatione ob iniuriam acceptam. Idem paulo poſt iterum inculcat, *Cave igitur, ne eo loco, per reum, legas, neve litis æſtimationẽ à reo factam exiſtimes. Nam & locus ipſe Harpocrationis quem adfert vir doctiſſimus,* (Salmaſius) *opinionem illam veteri iuri prorſus contrariam omnino deſtruit.* Valde igitur fa-

fatuus & hebes ille fuerit Salmaſius, qui cum probare intenderet litis æſtimationẽ à reo fieri ſolitam, produxerit ex Harpocratione teſtimonium quo plane contrarium evincitur, nempe æſtimationem multæ ab accuſatore fuiſſe taxatam, ἀλλ' ὁ μὲν κατήγορος τίμημα ἐπιγράφεται, ὁπόσου δοκεῖ ἄξιον εἶναι τὸ τίμημα. Nec cõtentus Advocatus bis contra Salmaſium hoc telum intorſiſſe, etiam tertio repetitum iaculatur: *Lis igitur æſtimatur non à reo, ſed ab actore ſive accuſatore.* Cur tot verba perdere libuit patrono cauſarum quibus malignitatem ſuam oſtenderet? Ab ingenio & more Advocatorum recedere ſic noluit, qui nihil penſi habent falſa multa allegare dũ in odium adducant adverſarium, & cauſam cui non favent deſtruant. Sed quæſo dicat bona fide optimus Advocatus, an uſpiam Salmaſius ſcripſerit litem à reo ſive defenſore æſtimatam & non ab accuſatore? Cum *per reum* repoſuit in illo Ulpiani loco, ſtatim ſubdidit, *reum apud Ulpianum eſſe* κατήγορον, *actorem veteris Iuris notione qua reus non ſolum is cum quo agitur, ſed & qui agit appellatur.* Paulo ante locũ Pauli attulerat ex eodẽ titulo Collationis legum Moſaicarũ, quo conſtaret, eum qui iniuriarum agit, *certum debere dicere quid in-*

iuriæ ſibi factum ſit, & taxationem ponere non minorem quam quanti vadimonium fuerit. Hæc eadẽ Vlpiani ſententia eſt ſub eodem Titulo à collatore legũ illarum producta, qui iniuriam dixit, *ſi quidem ſit atrox, per reum æſtimari, non ſine iudicis arbitrio.* Id eſt, per actorem ſive per eum cuius intereſt, & qui iniuriam paſſus eſt. Quem ſenſum plane expreſſit & Harpocration in actione αἰκίας, quæ atrox eſt iniuria qua quis verberatur. ἀλλ' ὁ μὲν κατήγορος, inquit, τίμημα ἐπιγράφεται ὁπόσου δοκεῖ ἄξιον εἶναι, οἱ δὲ δικασταὶ ἐπικρίνουσι. Quæ ſi latine eſſent reddenda, non aliter ad verbum deberent verti quam hoc modo, *Sed accuſator æſtimationem pœnæ taxat quanti ſua intereſſe putat, non ſine arbitrio iudicis.* Nam arbitrium iudicis poſt taxationem ab actore factam intervenit, qui ἐπικρίνει & iudicat an recte ab actore æſtimata ſit pœna iniuriarum quas paſſus eſt. Certum eſt autem, prætorem, ubi placuit aboleſcere & relinqui pœnam iniuriis ſtatutam à duodecim Tabulis, non ſolum recuperatores dediſſe ei æſtimandæ, ſed etiam permiſiſſe iis qui iniuriã paſſi eſſent eam ęſtimare, ut iudex quem dediſſet tanti reum condemnaret quanti iniuriam paſſus æſtimaverat, vel minoris, prout ei viſum fuiſſet, ut diſerte

ſcriptum

ſcriptum eſt in Inſtitutis lib. IV. Tit. de iniuriis ϖ. VII. Et hoc plane eſt quod hic dixit Vlpianus, Iniuriam, ſi atrox ſit, *per reum, id eſt, per actorem, æſtimari, non ſine arbitrio iudicis.* Sed negat cauſarum Advocatus, *reum* ibi ſumi poſſe pro actore. Hanc enim *rei* ſignificationem dudum exoleviſſe ævo Vlpiani, & in cauſis tantum civilibus id fuiſſe receptum, ut *reus* nimirum tam actorem quam defenſorem deſignaret. Vnde vero hæc hauſit, Vlpiani ævo eam notionem pridem ab uſu receſſiſſe, nec obtinuiſſe unquam niſi in cauſis civilibus? Quid rationis porro eſt ut in civilibus tantum ea ſignificatio *Rei* pro actore vigeret? Ipſe Aelius Gallus qui non adeo antiquus, apud Feſtum de omni actore id interpretatur. *Reus eſt*, inquit, *qui cum altero litem conteſtatam habet, ſive is egit ſive cum eo actū eſt.* Niſi putet Advocatus, litis conteſtationem in ſolis civilibus celebratam. Feſtus: *Conteſtari eſt cum uterque reus dicit, Teſtes eſtote. Conteſtari litem dicuntur duo aut plures adverſarii, quod ordinato iudicio utraque pars dicere ſolet, teſtes eſtote.* Vide *utrumque reum* dici tam de actore quam de defenſore. Item, *Vtrumque reum* & *utramque partem* pro eodem poni. *Vterque reus*, ὁ φεύγων καὶ ὁ διώκων.

At hic apud Vlpianũ per *reum* qui ęſtimat iniuriam ſibi factam non alius poteſt accipi niſi actor. In civilibus quoque eadem obtinuit ſignificationis in hac voce communio. Nam tam reus ſtipulandi quam promittendi dicebatur. In Iure Iuſtinianeo hodie non reperitur eo ſenſu. Sane nec *fiducia* pro hypotheca, quam vocem non ſolum veteres Iuriſconſulti in eo ſignificatu paſſim uſurparunt, & Trebatii, aliique, ſed etiam Papiniani, Pauli & Vlpiani. Addit Advocatus, *quod ait Harpocration in* αἰκίας *iudicio* τὸ τίμημα ἐπιγράφεσθαι, id *ſingulare* eſſe. *nam* τὸ τίμημα *fuiſſe publicorum iudiciorum tantum.* An hic eſt qui ſingulis paginis tam ambitioſe nobis promittit iuris Attici cum Romano collationẽ? Si non plus in Romano ſaperet, non adeo bene rem expediret ἐν τοῖς ἀλφίτοις quam nunc facit. Vt τίμημα non dicatur privatorum iudiciorum ſed publicornm tantum, hoccine eſt ſcire ius Atticum? In omnibus iudiciis privatis quorum delictorum pœna fuit pecunia, ea non ſolum πρόστιμον dicebatur, ſed etiam τίμημα, quod Grammatici exponunt ζημίαν, id eſt, multam. Ariſtophanes in Pluto:

> Τί δῆτά σοι τίμημ' ἐπιγράψω τῇ δίκῃ
> Ἐὰν ἁλῷς.

Reſpon-

Reſpondet alter, ὅτι σοι δοκεῖ. Ex quibus colligas, non ſolũ in αἰκίας δίκῃ actorem æſtimaſſe iniuriam ſive pœnam taxaſſe ſive multã, ſed in aliis etiam pecuniariis iudiciis id factum, & privatis cauſis. Scholiaſtes ad eum locũ, ἔθος ἦν πάλαι τοῖς δικαζομένοις γράφειν περὶ τῆς κρίσεως, ἣν τιμωρίαν ἡ ἀληθεῖς δοῖν. Sed in publicis τίμημα pro pœna vel ſupplicio capitis etiam accipiebatur. Vt, τίμημα, θάνατος. In aliis multa eſt ſive pecuniaria pœna; τίμημα, τάλαντον, ut in falſi teſtimonii dictione. Suidas: τίμημα, ζημία καὶ καταδίκη. Ergo æque in privatis ac publicis iudiciis τίμημα locum habuit, ſed in illis pro multa, in iſtis pro ſupplicio. Vnde & θανάτου τιμήσασθαι, *morte punire*, mortis pœnam imponere. Et χρημάτων τιμῆσαι, *pecunia multare*, pecuniæ pœnam ponere. E diverſo vox ζημίας, quæ multam ut plurimum ſignificat, ad ſupplicium capitis deſignandum plerunque uſurpatur, ut apud Lyſiam, καίτοι τίς οὐκ οἶδεν ὑμῶν ὅτι τὴν μὲν αἰκίαν χρημάτων δεῖ μόνον τιμῆσαι, τοὺς δ' ὑβρίζειν δόξαντας, ἔξεστιν ὑμῖν θανάτῳ ζημιοῦν, *morte multare*. Vlpianus ad Midianam ſcribit, ἐπὶ τοῖς ἰδιωτικοῖς ἐκ τῶν νόμων ὥριστο τὸ τίμημα, ἐπὶ δὲ τοῖς δημοσίοις ὁ κατήγορος ἐτιμᾶτο. Vides, τίμημα in privatis æque cauſis atq; in publicis crimini-

minibus uſurpatum. Sed in privatis leges τίμημα ſtatuebant, in publicis, inquit, ipſe accuſator æſtimabat. Quod & Suidas his verbis teſtatur : Δίκη, ἡ ὑπὲρ ἰδιωτικῶν ἀδικημάτων συνισταμένη κατηγορία, καὶ ἧς τὸ τίμημα ὥρισται τοῖς νόμοις. Ergo τίμημα etiam privatorũ iudicorum. Sed hoc uon fuit perpetuum, nec ſollemne in omnibus privatis actionibus, ut æſtimatio pœnæ legibus definiretur. In iudicio αἰκίας diſerte tradit Harpocration, eius τίμημα non fuiſſe legibus conſtitutum. Αἰκία, εἶδός ἐστι δίκης ἰδιωτικῆς ἧς τὸ τίμημα ἐν τοῖς νόμοις οὐκ ἔστι ὡρισμένον. De pluribus aliis actionibus cauſarum privatarum haud ſecus fuit, in quibus accuſatori licuit ἐπιγράφειν τὸ τίμημα, ut eſt apud Ariſtophanem & eundem Harpocrationem in iudicio τῆς αἰκίας. Sed nec omni ex parte verum quod notavit Vlpianus, in publicis iudiciis accuſatorem τιμᾶσθαι ſolitum, id eſt, τίμημα γραφῆς, æſtimationem pœnæ edidiſſe. In pleriſque publicæ accuſationis criminibus pœnam, id eſt, τὸ τίμημα, legibus ſtatutam fuiſſe, certum eſt. Si quibus non eſſet definita, iudices ipſi ſtatuebant. Quod προστιμᾶν dicebatur. Harpocration, Προστιμήματα, ἐπὶ μέν τινων ἐν τοῖς νόμοις ὡρισμένα κατὰ τῶν ἀδικούντων· ἐπὶ δὲ καὶ

ἄλλα

ἀλλὰ ἃ προσιμᾶται τὸ δικαστήριον. Quod male προτιμᾶν ſcribitur in commentario legum Atticarum, *τοὺς δικαστὰς προτιμᾶν τὴν τιμωρίαν, τὸν φεύγοντα ἀντιτιμῆσαι αὐτῷ, ὅτι τοῦδέ εἰμι ἄξιος*. Nec melius Latine redditur, *iudicem vero pœnas proponunto*. Immo debuit, *Iudices vero pœnam æſtimanto*. Ita recte apud Vlpianũ in Demoſthenea contra Timocratem, προστίμα ὁ δικαστὴς, εἶτα ἐξῆν τῷ φεύγοντι ἀντιτιμῆσαι αὐτῷ, ὅτι τοῦ δὲ εἰμι ἄξιος. Pœnæ æſtimationem ex ſententia legibus datam fuiſſe Iudicibus Athenis ubi fraus capitalis non eſſet, ſcribit Cicero lib. 1. de Oratore, ubi de Socratę agit. Vbi æſtimationẽ pœnæ iudices fecerant, & modum multę taxaverant, quod προστιμᾶν dicebatur, tum interrogabant reum, quam quaſi æſtimationẽ, id eſt, τίμημα, ſive pœnã ſive multã ſe commeruiſſe confeſſione propria exiſtimaret. Ille vero fatebatur ſe hoc vel hoc eſſe promeritum. Quod erat ἀντιτιμᾶσθαι τοῖς δικασταῖς. Poſtremo Iudices hac ęſtimatione eius audita ſtatuebãt quali æſtimationi eſſet ſibi ſtãdũ, propriæ προσιμήσει, an rei ἀντιτιμήσει, vel alteri novæ æſtimationi. Hoc ἐπικρίνειν vocavit Harpocration in iudicio αἰκίας, ubi actor ęſtimationẽ pœnæ inſcribebat. Vbi autem ipſe reus contra æſtimabat, eadem ἐπίκρι-

σις Iudicum locum habebat. Vlpianus de hac eadem re, λοιπὸν παρὰ τῷ δικαστῇ ἦν ἡ κρίσις τοῦ ἀναχέσθαι ἢ οὔ. Poſt iudicis nimirum προστίμησιν & rei ἀντιτίμησιν. De cætero in arbitrio iudicum erat ſtatuere, utrū ab æſtimatione à ſe facta recederēt, an æſtimationi à reo contra factæ adhærerēt, id eſt, utrum ſententiam mutarent an non. Nam ſcribendum, ἦν ἡ κρίσις τοῦ ἀναθέσθαι ἢ οὔ. Sed & ipſe iudex cum dicebatur προστιμᾷν, id omnino referendũ eſſe intelligitur ad priorem τίμησιν quæ fiebat ab actore. Si enim non præceſſiſſet illa actoris τιμήσις, non dicta eſſet προστιμήσις quam faciebant iudices. Προστιμᾷν igitur intelliguntur. cum ſecundum æſtimationem ab actore iam factam, ipſi pœnam iniuriæ æſtimabant, vel litem de qua agebatur. Vt προσκινεῖσθαι ſignificat ſecundum motum ab alio prius factum moveri:

Κακῶς παρέξω κοὐχὶ προσκινήσομαι.

Ita προστιμᾷν vel προστιμᾶσθαι reſpectu alterius τιμήματος quod præceſſit, dicitur. Actoris igitur fuit τιμᾷν, id eſt, litē æſtimare, vel iniuriam taxare ſibi factam, Iudicis deinde προστιμᾷν, poſtea rei ἀντιτιμᾷν. Poſtremo iudicis ἐπικρίνειν, & iudicare quænam ex omnibus æſtimatio tenere

nere

nere deberet. Sēper autē actor τίμημα ſuum proponebat, in edendo actionis libello, ſive legibus definitum eſſet, ſive non eſſet. Fuere & quædam cauſæ in quibus æſtimationē cōdemnationis non ius eſſet aliam fieri præter eam quam feciſſet actor. Ea ἀνατίμητος δίκη dicebatur, teſte Polluce lib. VIII. cap. VI. ἀνατίμητος δίκη ἣν οὐκ ἔστιν ἀποτιμήσασθαι, ἀλλὰ τοσούτου ἐπιτετίμηται ὅσον ἐπιγέγραπται. In iſtis litibus nec iudici licuit nec reo aliā æſtimationē facere, ſed tanti æſtimabatur multa quanti eam in libello cauſæ propoſito taxaſſet Actor. Ὑποτιμᾶσθαι eſt ſecundo loco æſtimare, quod facere ſolebat Iudex poſt æſtimationem actoris: aut minoris æſtimare, quod omnino ſemper faciebat reus cū ei deferebatur à Iudice æſtimandi facultas. Ὑποτιμᾶσθαι ita accipitur in Oeconomico Ariſtotelis. Quod autem ait Pollux, ἀλλὰ τοσούτου ἐπιτετίμηται, ὅσου ἐπιγέγραπται, de æſtimatione id intelligendum ab actore fieri ſolita; qui, ut dixi, in libello ſive γραμματείῳ cauſæ inſcribebat crimen & condemnationis pœnam, quanti ipſe eam æſtimaret, hoc modo, Ψευδῆ μου καταμαρτύρησε Στέφανος, τίμημα τάλαντον. Non ſolū igitur criminales cauſæ ſed etiā civiles & pecuniariæ ſuū habuere τίμημα,

quod ab actore primo loco proponebatur. Aliud ipſi iudices faciebant, deinde & reus. Sed quædam erant δίκαι ἀνατίμητοι, quas non licebat æſtimari præter æſtimationem ab actore factam? Non dicit Pollux quales illa fuerint δίκαι in quibus id obſervaretur. Sed melius fortaſſe vulgata lectio in eo retineretur, quæ habet ἀτίμητοι. Sic vocarunt cauſas quæ ſtatutũ legibus haberent τίμημα, quia in his neque iudici æſtimare eas proprio arbitrio liceret, neque deferre æſtimandas reo, ſed æſtimationem ſequi debebat quam in libello ſuo actor vel accuſator edidiſſet, qui nec ipſe ſuo eã arbitratn proponebat, ſed ex lege ſumptam. Contra τιμητὸς δίκη dicebatur cui pœna pecuniaria lege conſtituta non fuit. In his obtinuere & quæ ſupra diximus de actore æſtimante, Iudice item pariter æſtimationem deferente, ac reo, qua pœna ſe æſtimaret dignum, dicere permittente. Vide Harpocrationem in voce Ἀτίμητος ἀγών, qui idem cum ἀτιμήτῳ δίκῃ. Hoc ita ergo ſemper obtinebat in iis iudiciis quæ erant pecuniaria & privata. Si lege τίμημα eſſet conſtitutum, ex lege æſtimationẽ actor proponebat, ſin minus, arbitratu ſuo. Multa autẽ etiam privata iudi-

cia lege definitam æſtimationem, τὸ τίμημα, habebant, ut in actione βλάβης, ſi quis damnum dediſſet imprudens, dupli pœna erat: ſi imprudens, ſimpli. In actione quoque furti, quæ ἰδιωτικὴ fuit, pœna legibus erat definita. In iudicio contumeliæ ſive κακηγορίας, & contra λέγοντάς τι τῶν ἀπορρήτων, id eſt, qui maledicta lege prohibita alicui ingeſſiſſent, ſi non probaſſent, pœna quingentarum drachmarum multabantur. Ita enim legendum quod vulgo apud Iſocratem ſcribitur, τοὺς λέγοντάς τι τῶν ἀπορρήτων, nihilque mutandum. Eremodicii pœna ſive τίμημα mille drachmarum fuit. At de iudiciorum publicorum criminibus falſum eſt quod notavit Ulpianus, τὸ τίμημα ab actore fuiſſe æſtimatum. Solebat quidem in iis accuſator, cum ſubſcriptionem criminis à ſe intentati contra reum in iudicio ederet, inſcribere pœnam ipſam quæ à lege determinata fuerat. Non enim delicti ipſius nomen tantum edito libello, quem iudicibus dabant, inſcribebant, ſed etiam ipſius pœnæ, ſi quæ legibus conſtituta fuerat certa ei crimini, cuius ſubſcriptionem edebant. Si vero nulla foret legibus conſtituta, ipſi propria æſtimatione eam ponebant. Quod

Ari-

ἐπιγράφειν τίμημα dicebatur. Ad pecuniarias cauſas id etiam tranſtulerunt, ut Harpocration, in quibus actor taxabat multam ſive pœnam. Quod non ſolum in iudicio *αἰκίας* licuit, ſed in aliis multis ſimiliter privatis, ut in iudiciis contractuum, & aliis, in quibus pariter actor litem æſtimare ſolebat, & ἐπιγράφειν τὸ τίμημα dicebatur. Lyſias: *τιμησάμην οὖν ἐμαυτῷ τὸ τρίτον μέρος τῆς ἐκείνων οὐσίας, οὐ τὴν ἀκρίβειαν ἐπισκεψάμενος, ἀλλὰ πολλῷ πλέον ἢ τὰ δύο μέρη τῷ δημοσίῳ ὑπολιπών.* Hæc non erant huius loci, nec pluribus ea perſequemur. Notanda tantum obiter fuere, ut conſtaret, quantum ratio fugerit doctiſſimum Advocatũ, qui voluit, *τὸ τίμημα* fuiſſe iudiciorum publicorum proprium, non privatorum. Nec minus hallucinatur, cum iſta ſubiungit, *αἰκίας iudicium natura ſua publicum eſſe debuiſſe, ſiquidem ὕβρεως δίκη publica erat, αἰκίαν enim nihil aliud revera fuiſſe quam ὕβριν.* Hæc ſunt ineptiſſima & inſulſiſſima, atque etiam addiderim, falſiſſima. Poteſt ne dicere rationem cur *αἰκίας* iudicium apud Atticos debuerit eſſe publicum? Aliter placuit legiſlatori Athenienſi, qui voluit eſſe *ἰδιωτικόν*. An natura *αἰκίας* poſtulabat, ut eſſet publicum? Debuit igitur nobis declarare

rare naturam τῆς *αἰκίας*, ut nobis ex ea probaret, inter iudicia publica potius referri oportuiſſe quam inter privata. Quid de legibus Romanis dicet, quæ crimen quoque iniuriarum non publicum eſſe ſanxerunt, ſed privatum? Nec illi quidem, ut apparet, naturam iniuriarum ſatis cognitam habuerunt, alioquin publica accuſatione earum perſequutionem fieri conſtituiſſent. At quod *iniuriarum* nomine comprehenderunt Romani, longe atrocius fuit crimen quam id quod *αἰκίας* adpellatione definierunt Græci. Potius dicere debuit Advocatus, *ὕβρεως* iudicium apud Athenienſes natura ſua privatis adnumerari debuiſſe, quandoquidem & *αἰκία* privata eſſet, quæ nihil aliud revera fuit quam *ὕβρις*. Falſiſſimum porro quod hic repetiit, iam ſupra temere & falſo pronuntiatum, *αἰκίαν* non differre ab *ὕβρει* niſi agendi ratione. Longe quippe atrocius crimen *ὕβρεως* fuit quam *αἰκίας*. Huic pœna fuit addita pecuniaria, ac proinde privata tantum actione eius vindicandæ ius fuit. At *ὕβρει* pœna capitalis impoſita. Lyſias apud Suidam in oratione περὶ *αἰκίας* contra Iſocratem: *καίτοι τίς οὐκ οἶδεν ὑμῶν, ὅτι τῆς μὲν αἰκίας χρημάτων δεῖ μόνον τιμῆσαι, τοὺς δ' ὑβρίζειν δόξαντας*

ξαντας ἔξεστιν ὑμῖν θανάτῳ ζημιοῦν; Et quis non veſtrum novit, quod αἰκίας pœnam pecunia tantum licet æſtimare, qui vero ὕβριν feciſſe arguuntur, eos licere vobis morte multare?
In ſequenti, quid ſit ὕβρις, & quatenus ἀπὸ τῆς αἰκίας differat, exponemus.

CAP. IX.

Nunquam à quoquam fuiſſe dubitatum in Iure Romano, an iniuriarum actio eſſet privata. Apud Græcos ut alia fuit αἰκίας δίκη & ὕβρεως γραφὴ, ita αἰκίαν & ὕβριν re ipſa fuiſſe diverſas. Cur ὕβρεως γραφὴ publica fuerit apud Atticos, non rectam allatam eſſe rationem ab Advocato Pariſienſi. Variæ iniuriarũ ſpecies apud Græcos explicatæ & cum Romanis generibus collatæ. Κακηγορία, maledictio vel convitium. Αἰκία, pulſatio. Ὕβρις, iniuria contra bonos mores. Eadem & προπηλακισμοῦ nomine appellata. Quid ſit ἐπήρεια & ἐπηρεάζειν apud Græcos veteres & poſteriores. Alia multa.

DIcitur in cap. XLVIII. Obſervationum à Pariſienſi Advocato, dubitatum eſſe olim, an crimen iniuriarum eſſet publicum. Quis ea de re dubitaverit, aut quando dubitatum ſit, ego quæro. Leges quas adduxit non ſignificant, de eo dubitatum

tatum fuiſſe, ſed ſimpliciter teſtantur, *iniuriarum cauſam nno publici iudicii, ſed privati continere querelam*. Itẽ, *iniuriarum actionem inter privata delicta veteres iuris auctores connumeraſſe*. Vel hæc verba Zenonis ex leg. ult. Cod. de iniuriis ſatis clare oſtendunt, nullam hac de re unquam inter iuris peritos extitiſſe controverſiam. Quis enim ſuper eo litem movere potuiſſet in actione adeo frequenti ut eſt iniuriarũ, & quæ quotidie in iudicium veniebat? Ne novicii quidem pragmatici tum ambigere potuerunt utrum iniuriarum crimen ad privata iudicia pertineret an ad publica. *At iure Attico*, inquit Advocatus, *actio ὕβρεως publica erat lege Solonis, nempe quia democratiæ leges is dabat, in qua, cum homini libero vis fit, aut iniuria, libertas publica, quæ eſt democratiæ γνώρισμα, lædi creditur, & ideo actio iniuriarum cuilibet dabatur, veluti imminutæ libertatis*. Hæc optima dictu ſunt, ſed loci quos allegat nõ de illa actione ὕβρεως intelligi debent quæ cuilibet è populo adverſus ὑβριστὴν dabatur, ſed de αἰκίας δίκῃ, quæ ſolis competebat qui paſſi erant iniuriam ſive αἰκίαν. Hæc enim non publicæ ſed privatæ accuſationis cauſa fuit. Quid illi qui exclamãt apud Lucianum in Timone, ὦ δημοκρατία

καὶ

καὶ νόμοι, παιόμεθα ὑπὸ τοῦ καταράτου ἐν ἐλευθέρᾳ τῇ πόλει; Pulſatos ſe tantum & verberatos quiritantur iſti de quibus ſermo eſt, quod αἰκίαν ſpectat, non ὕβριν. In eodē dialogo, τί τοῦτο; τυραννίδι, Τίμων, ἐπιχειρεῖς, τύπτεις τοὺς ἐλευθέρους, οὐ καθαρῶς ἐλεύθερος, οὐκ ἀστὸς ὤν. Vides, ſimplicē pulſationē ſive αἰκίαν, cuius actio erat privata, non publica, ad libertatis etiam imminitionē facere. Verba ex Comico in Palliata eodē referenda ſunt. Non enim de ὕβρει quæ ſic proprie dicta eſt, ſed de αἰκίᾳ accipienda eſſe cōſtat. In his enim quiritatio fit ab homine verberato tantū.

Quid hoc rei eſt? Regnumq;, Aeſchine, hic tu poſſides?

Eadem omnia ſunt quæ illi apud Lucianum vociferantur, τί τοῦτο; ἐπιχειρεῖς τῇ τυραννίδι. Non igitur ideo ὕβρεως accuſatio facta eſt publica à legiſlatore, quod democratia ea lædi crederetur, cum ſimplex αἰκία cuius perſecutio fuit privata, eidem libertati & æqualitati civium videretur obſtare. Non ſane hanc rationem attulit Demoſthenes in Oratione contra Cononem, cur leges variis iniuriarum generibus pœnas poſuerint. Sed primo, inquit, vetuerunt quemquam ab altero convitiis laceſſi, ne à verbis ad pugnos & verbera ex ea occaſione procedere-

cederetur. Rurſum voluerunt eſſe *αἰκίας* iudicium, ne quis pulſatus ab alio, cum ſe inferiorem viribus in hac concertatione videret, ad lapides & telorum aliud genus decurreret quibus ſe vindicaret. Iiſdem legibus conſtitutum eſt iudicium publicum de vulneribus à ſciente ac prudente inflictis, ne à vulnere ad cædem hominis ex ea cauſa veniretur. Ne ex minimis igitur iniuriarũ cauſis, ut ex conviciis, & maledictis, ad homicidium cuiuſvis per gradus quaſi via muniretur, vel leviſſimis offenſis & iniuriis occurri, vimq; ac violentiã iuris ac iudiciorũ facultate reprimi, leges ſanxerunt. Hęc verba ſunt ſummi oratoris, quibus id ornate & rotunde explicavit: *Οἱ μὲν γὰρ νόμοι πολὺ τἀναντία καὶ τὰς ἀναγκαίας προφάσεις, ὅπως μὴ μείζους γίνωνται, προείδοντο. Οἷον, ἀνάγκη γάρ μοι καὶ ζητεῖν ταῦτα, καὶ πυνθάνεσθαι, δι᾽ ἃ τοῦτο γέγονεν. Εἰσὶ κακηγορίας δίκαι. Φασὶ τοίνυν, ταῦτα διὰ τοῦτο γίγνεσθαι, ἵνα μὴ λοιδορούμενοι τύπτειν ἀλλήλους προάγωνται. Πάλιν αἰκίας εἰσί, καὶ ταύτας ἀκούω διὰ τοῦτο εἶναι τὰς δίκας, ἵνα μηδείς, ὅταν ἥττων ᾖ, λίθῳ ἢ τῶν τοιούτων ἀμύνηται μηδενί, ἀλλὰ τὴν ἐκ τοῦ νόμου δίκην ἀναμένῃ. τραύματος πάλιν εἰσὶ γραφαί, τοῦ μὴ τιτρωσκομένων τινῶν φόνον γίγνεσθαι, τὸ φαυλότατον, οἶμαι, τὸ τῆς λοιδορίας πρὸ τοῦ τε-*

λοιδορίου, καὶ δεινοτάτου πρoεωρᾶται, τοῦ μὴ φόνον γίγνεσθαι, μηδὲ κατὰ μικρὸν ὑπάγεσθαι ἐκ τοῦ λοιδορίας εἰς πληγάς, ἐκ δὲ πληγῶν εἰς τραύματα, ἐκ δὲ τραυμάτων εἰς θάνατον. Hoc igitur leges illæ tantum ſpectarunt, ne à minimis ad maxima gradus ſterneretur, & à maledictis ad homicidia. Civium numerum diminui noluerunt inteſtinis cædibus, & ſic vires civitatis debilitari. In regno bene conſtituto eaſdem leges eſſe neceſſarias puto cuivis patere manifeſtum haud minus quam in democratia. Quod verberati quiritantur, & legum auxilium ipſamque δημοκρατίαν implorant, & tyrannidis incuſant verberatores ſuos, hoc non facit, ut irrideantur eiuſmodi leges, propter δημοκρατίαν & libertatem inſtitutæ. In tyrannide, vel regno hæc eadem omnia ab illis qui contra leges ac ius læderentur aut violarentur, dici poſſent ac inclamari, τί τοῦτο; τυραννίδι ἐπιχειρεῖς; πειθόμεθα Καίσαρος βασιλεύοντος. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. *Quid hoc? Regnũne hic poſſides? Nemo rex nobis ſit præter Cæſarem.* Notandum eſt autem in illis tribus cauſis iniuriarum, quæ à Demoſthene memorantur, ut vocem *iniuriæ* Latinis accipi ſolere certum eſt, nullam eſſe quæ proprie pertineat ad illam ὕβρεως δίκην ſive

ve γραφὴν, quam publicis iudiciis fuiſſe accenſitam conſtat apud Athenienſes, & quam Advocatus Pariſienſis lege Solonis publicam factam autumat, ad conſervandam ſingulorum in ſtatu democratico libertatem. Explicarum nunc igitur videtur qualis hæc ὕβρις, quæ ſic proprie dicta eſt, fuerit, & in qua ſpecie iniuriæ conſtiterit. Magnopere quippe errat vir doctiſſimus, qui αἰκίαν cuius actio erat privata putat eandem fuiſſe cum ὕβρει cuius quæſtio fuit publica. Generalis & ſpecialis fuit apud Græcos ὕβρεως appellatio. Quæ generalis eſt, quattuor ſpecies iniuriarum complectebatur, quarum ſingularum ſeparatæ actiones introductæ fuere apud Athenienſes, & diverſa iudicia conſtituta, partim privata, partim publica. Κακηγορία, hoc eſt *convitium*, ὕβρις eſt, & ὑβρίζειν dicitur, vel iniuriam facere, qui alteri convitiatur. Hæc δίκη privata. Αἰκία quoque ὕβρις cenſetur, & iniuria eſt. Nam qui aliquem verberat, iniuria verberatum afficit. Hæc etiam privatæ querimoniæ eſt. Τραῦμα ſive vulnus, vel vulneratio, etiam inter genera ὕβρεως reponitur, & qui vulneratur, iniuriam patitur. Hæc iniuriarum actio publicorum iudiciorũ numerũ auxit. Quarta

ſpecies ὕβρεως extitit, cui nomen generis ſpeciatim ac proprie datum eſt. Ad quod genus iniuriarum, quæ Latinis notæ hoc nomine fuerunt referenda ſit, paulo poſt dixero. Prius docendum eſt, has quattuor iniuriarũ ſpecies à Romano prętore una iniuriarum actione fuiſſe cõprehenſas, & omnes nõ publicę quęſtionis fuiſſe ſed privatã querelam continuiſſe. Apud Græcos ex illis quattuor generibus ſupra commemoratis duo inter privata delicta numerarunt, τὴν κακηγορίαν, & τὴν αἰκίαν: duo inter publica, τὴν τραύματος ἐκ προνοίας γραφὴν, & τὴν ὕβρεως. Singula genera ſingillatim exponamus, & Attica nomina criminaque cum Romanis componamus. Κακηγορία *maledicentia* eſt, ſive *maledictum* potius, vel *maledictio*, quæ & λοιδορία, teſte Demoſthene in Oratione contra Cononem. Gloſſæ: Κακήγορος, *maledicus, vituperator, maleloquus*. Κακηγορία, *vituperatio*. Eædem Gloſſæ: λοίδορος, *maledicus*. Λοιδορία, *maledictio*. Hinc licet intelligere, λοιδορίαν & κακηγορίαν eamdem eſſe, ut Demoſthenes etiam teſtatur loco ſupra citato ex ea contra Cononem. In genere, κακηγορία Græcorum definiri poteſt, *iniuria quæ verbis fit*. Omnis enim iniuria aut re fit

aut

aut verbis, ut ſcribit Labeo leg. 1. D. de iniuriis. Quæ verbis fit, dividi poteſt etiam in plures ſpecies. Nam aut ſimplici maledicto fit, id eſt, appellatione contumelioſa, aut convitio, id eſt, vociferatione, & inclamatione publica cum petulantia, Græci καταβόησιν appellant. Vnde *convitiari* in optimis Gloſſis exponitur καταβοᾶν. *Conviciatur illi, & convicium facit*, καταβοᾷ, καθυβρίζει. Alii convicium cum maledicto idem faciunt. Et ſimpliciter Labeo iniuriam quæ in verbis conſiſtit, convicio fieri dicit. *Verbis autem quotiens non manus inferuntur, convicium fit.* Paulus quoq; Receptarum ſententiarum lib. v. Tit. IV. de iniuriis, *convitiorum* nomine verba omne genus quibus iniuria fieri poteſt complectitur. *Iniuriam*, inquit, *patimur aut in corpus, aut extra corpus. In corpus, verberibus & illatione ſtupri. Extra corpus convitiis, & famoſis libellis.* Sed in ſequentibus tamen *convicium* à *maledicto* ſeparat. *Maledictum*, inquit, *itemque convicium publice factum, ad iniuriæ vindictam revocatur.* Item: *Non tantum is qui maledictum aut convitium ingeſſerit, famoſus efficitur, ſed & is cuius ope conſiliove factum eſſe dicetur.* Utrumq; genus Græci nomine κατηγορίας vel λοιδορίας deſignãt. Minus tamẽ
 fuit

fuit in eo genere id vitium quod *κακολογίαν* dixere, cui & ſua pœna conſtituta, ac *δίκη* eo nomine inſtituta. Hæc *obtrectatio* potius eſt, quam maledictio, vel maledicentia. Atque ita malim reddi Latine apud Theophraſtum in Charactere *περὶ κακολογίας*. Qui alicui detrectat, qui de eo male loquitur, ad *κακολογίαν* pertinet. Leviſſime punita fuit, & ex circumſtantia tantum loci in quo detrectatum fuerat. Plutarchus in Solone: *ζῶντα δὲ κακῶς λέγειν ἐκώλυσε πρὸς ἱεροῖς, ἢ δικαστηρίοις, καὶ ἀρχείοις, καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων, ἢ τρεῖς δραχμὰς τῷ ἰδιώτῃ, δύο δ᾽ ἄλλας εἰς τὸ δημόσιον ἀποτίνειν ἔταξε.* In aliis igitur locis quam hac lege comprehenſis impune licuit *κακολογεῖν*. Quæ *κακολογία* longe alia à *κακηγορίᾳ*, quæ maledicit & convitiatur, non male de quoquam loquitur. Eam Theophraſtus *χαρακτηρίζει*, eo capite *περὶ κακολογίας*. Non pertinet ad *κακολογίαν*, ſed ad *κακηγορίαν*, ad maledictum ac convitium quod eſt apud Lyſiam in altera contra Theopompum: *ὅτι ὁ νομοθέτης οὐδεμιᾷ ὀργῇ συγγνώμην δίδωσι, ἀλλὰ ζημιοῖ τοὺς λέγοντας, ἐὰν μὴ ἀποφαίνῃ ὡς ἐστὶν ἀληθῆ τὰ εἰρημένα.* Qui in calore iracundiæ convitium alicui fecerit aut maledictum ingeſſerit, niſi probet verum

rum eſſe crimen quod dicit, multatur. Et recte Dio Chryſoſtomus in Oratione xv. id ad *κακηγορίαν* refert. Οὐκ οἶδα, ἔφη, ὅτι κακηγορίας δίδωσιν ὁ νόμος γράψασθαι τοῦτον ὅς ἂν βλασφημῇ τινα, οὐκ ἔχων ἀποδεῖξαι περὶ ὧν λέγει σαφὲς οὐδέν. In verbis Dionis βλασφημεῖν eſt *maledicere*, & βλασφημία *maledictum*, & plane idem eſt, quod κακηγορεῖν. Putant viri docti in Commentario legum Atticarum, multam illam quæ irrogabatur iudicio κακηγορίας, fuiſſe duarum drachmarum. Hæc κακολογίας fuit multa, non κακηγορίας. Maledictionis vero iniuria quæ κακηγορία eſt, quingentis drachmis æſtimata fuit, ſed ea præcipue quæ maledicta ἀπόρρητα ingerebat, id eſt, lege nominatim vetita. Ἀπόρρητα dicebantur quæcumque leges fieri vetarent, & proprie τὰ ἀπειρημένα ἐξάγεσθαι, quæ exportari è terra Attica non licebat, τὰ μὴ ἐξαγώγιμα. Quædam tamen etiam maledicta hoc nomine cenſebantur, quæ lex cuiquam obiectari & exprobrabri non permiſit. Vt ἀνδροφόνον quempiam appellari, aut ῥίψασπιδα convitii loco, noluere leges. Qui contraveniret pœna erat ſtatuta qningentarum drachmarum. Iſocrates in Oratione κατὰ Λοχίτου. περὶ τῆς κακηγορίας νόμον ἔθεσαν. ὃς κε-

λεύει τοὺς λέγοντάς τι τῶν ἀπορρήτων πεντακοσίας δραχμὰς ὀφείλειν. Videndus & Lyſias in priore contra Theomneſtum: Fortaſſeau huiuſmodi ἀπορρήτων conviciorum κακηγορίαν ſolam quingentarum drachmarum multa plectebant. Alia maledicta quæ non erant prohibita legibus, leviore pœna conſtabant ea obiectantibus. Qualis ea fuerit, non legi apud veteres. Ad iniuriam, quæ verbis & extra corpus infertur, referenda & quæ ſcripto fit, ut famoſis libellis. Erat igitur ἄγραφον & ἔγγραφον maledictum. Paulus utrumque ſic expreſſit. *Extra corpus, conviciis & famoſis libellis.* Lex duodecim tabularum duobus verbis ea ipſa intellexit. *Si quis occentaſſit, ſive carmen condiſſit quo infamiam faxit flagitiumve alteri.* Caſcis illis *occentare*, idem quod convitium facere. Non probo qui hanc legem ita enuntiarunt inſerta voce, *ſi quis pipulo occentaſſit.* Nam quod *pipulo differre* apud comicum, id una voce dixerunt Duodecim tabulæ, *occentare*. Sed alia nunc agimus quam ut iſta exactius perſequamur. Et alii iam id videntur fortaſſe præſtitiſſe. Omnem iniuriam quæ verbis fit, & in maledictis verſatur, *contumeliæ* nomine Latini maxime videntur appellaſſe. Cicero

cero in Oratione pro Cœlio: *Maledicta nihil habet propoſiti præter contumeliam, quæ ſi petulantius iactatur, convitium: ſin facetius, urbanitas nominatur.* Unde *contumelioſa verba*, apud Senecam in libro de Conſtantia Sapientis, *eſt qui mortem ac verbera tolerabiliora credat quam contumelioſa verba.* Et apud Ciceronem, *contumelia maledicti*, pro Sylla: *Quin tu id potius profers, quam verbi invidiam contumeliamque maledicti.* Idem in Philippica octava: *Itaque ſine verborũ contũelia à te diſſentire poſſum, ſine animi ſummo dolore iraſci non poſſum.* Vnde & *contumeliam dicere*, apud Plautum, & Agelliũ idem quod Græcis κακηγορεῖν, lib. x. cap. xiv. *Audio illi iniuriam factum iri, audio contumeliam dictum iri, vulgo quoque ita dici, vulgo & iſtam eſſe verborum figuram iam in medio loquendi uſu, idcircoque exemplis ſuperſedeo.* Cæterum contumelia iſta in verbis ſita eſt, eaque dicitur duorum eſſe generum, levior & gravior, prout ſunt etiam verba quæ contumeliæ cauſa in aliquem proferuntur, adeo ut quæ levior eſt, reſpondeat Græcorum κακολογίᾳ: quæ gravior, eadem ſit cum κακηγορίᾳ. Non propter ſimplex maledictum in ius quiſquam vocatus eſt apud Romanos, nec actio eo

 nomi-

nomine data à prætore. Solum *petulans convitium* iudicio exequi fas fuit. Hoc epitheto proprie dictum eſt, quod legibus vindicabatur. Vnde apud Ciceronem, pro Cœlio: *Maledictio nihil habet propoſiti præter contumeliam: quæ ſi petulantius iactatur, convicium: ſin facetius, urbanitas nominatur.* Velleius Paterculus lib. 11. de Sylla. *Primus ille, & utinam ultimus, exemplum proſcriptionis invenit, ut in qua civitate petulantis convitii iudicium hiſtrioni exoleto redditur, in ea iugulati civis Romani conſtitueretur auctoramentum.* Vt levioris maledicti, & non petulantis, ſed urbanitati propioris levior eſt contumelia, ita nulla dabatur ad eam in iudicio perſequendam actio, ut nec ex κακολογίας apud Græcos ulla δίκη instituta erat, & nullum iudicium reddebatur, niſi locus eam graviorem reddidiſſet, ut ſupra diximus. De hac leviori contumelia intelligit Seneca de Conſtantia Sapientis cap. x. *Contumelia eſt minor iniuria, quam queri magis quam exequi poſſumus, quam leges quoque nulla dignam vindicta putaverunt.* Nec verbo tantum, ſed etiā facto iniuria fit contumeliæ cauſa. Eſtq; in utroq; genere tā minor quā maior. Et minor quidē ob factū dictumve aliquod *inhonorificum*, ut ibidē ait Seneca,
quam

quam leges Romanæ vindicta indignam iudicarunt. Sequitur altera ſpecies ὕβρεως ex iis quæ vindicantur legibus apud Græcos, cui nomen eſt αἰκία, qua aliquis ab altero contumeliæ cauſa tantum verberatur ac pulſatur. Græci ἔμπληγον ὕβριν eam definiunt, id eſt, iniuriam quæ per verbera infertur. Suidas, αἰκία, ὕβρις ἔμπληγος. Idem alio loco, αἰκία ἡ, πληγαὶ μόνον. Demoſthenes loco ſupra citato ex oratione contra Cononem: Πάλιν αἰκίας εἰσὶ, καὶ ταύτας ἀκούω διὰ τοῦτο εἶναι τὰς δίκας, ἵνα μηδεὶς, ὅταν ἥττων ᾖ, λίθῳ ἢ τῶν τοιούτων ἀμύνηται μηδενί. Ita legendum in illis verbis, non ut vulgo eſt, Πάλιν αἰκίαι εἰσί. Dixerat paulo ante, εἰσὶ κακηγορίας δίκαι, deinde ſubiicit, πάλιν αἰκίας εἰσὶ, ſubaudiendum δίκαι. Ideo has dicas ſcribi dicit, ne verberatus, ſi non poſſit reverberare, & inferiorem ſe viribus ſentiat, ad lapides confugiat, & alia eiuſmodi tela quæ ex longinquo petunt ac vulnerant. Αἰκία igitur in nuda ac ſimplici verberatione conſiſtit. Ovidius:

Quod ſi pulſaſſem media de plebe Quiritem,
Plecterer.

Αἰκίαν plane expreſſit. Duodecim tabulæ hanc αἰκίαν Græcorum, nomine *iniu-*

riæ proprie donaſſe videntur, his verbis: *Si qui iniuriam alteri faxit*, XXV. *æris pœnæ ſunto*. De ſola quippe αἰκίᾳ, ſive verberatione, intellexere. Idque ita eſſe, fidem faciunt quæ apud Agellium leguntur de hac lege lib. XX. cap. I. *Quod vero dixi, videri quædam eſſe impendio molliora, nonne tibi quoque videtur minus eſſe dilutum quod ita de iniuria pœnienda ſcriptum eſt? Si iniuriam faxit, viginti quinque æris pœnæ ſunto. Quis enim æris tam inops, quem ab iniuria facienda viginti quinque aſſes deterreant?* Sic etiam hæc corrigenda, cum vulgo legatur, *quis erit tam inops*. Pergit in hæc verba, quæ oſtendunt perſpicue, *iniuriam* in Duodecim tabulis proprie dictam eſſe ἐμπληγὸν ὕβριν, quæ unica voce αἰκία appellatur Græce: *Itaque cum eam legem Q. Labeo quoque veſter, in libris quos ad duodecim tabulas conſcripſit, non probaret, quidam, inquit, Lucius Veratius fuit homo improbus egregie atque immani vecordia: is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus ſuæ palma verberare. Eum ſervus ſequebatur crumenam plenam aſſium portitans, & quemcumque depalmaverat, numerari ſtatim ſecundum duodecim tabulas viginti & quinque aſſes iubebat.* Solam hanc igitur quæ in verberando conſiſtit iniuriam hoc nomine nuncuparunt,

runt, non occentationem ſive conviciū, vel carminis famoſi compoſitionem: ſed nec vulnerationem membri rupti, vel oſſis fracti, ſic appellarunt. Membrum ruptum, vel os fractum duodecim tabularum, τῷ τραύματι ἐκ προνοίας Græcorum reſpondet. Occentatio & carminis compoſitio, τῇ κατηγορίᾳ. Eam contumeliæ nomine potius indigetarunt veteres, quam iniuriæ. Nam infamiam ea fieri & flagitium alteri, eo modo interpretabantur, non iniuriam. *Si occentaſſit carmenque condiſſit, quo infamiam faxit flagitiumve alteri.* In oſſis quoq, fracti vel mēbri rupti pœna ſtatuenda nullam mentionem feciſſe videntur iniuriæ, ut nec Græci, cum τραύματος δίκην deſcribunt. Membri rupti talio erat. *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio eſto.* At propter os fractum pœna fuit in eum qui fregerat ſi liber eſſet trecenta æris, ſi ſervus, CL. Apud Græcos τραύματος ἐκ προνοίας accuſatio publica data eſt volenti, & pœna, bonorū publicatio cum relegatione, ita ut ab exilio in patriam redux morte lueret. Talio tamen in certis tantum cauſis ac vulneribus lege Solonis obtinebat. Ut ſi oculum qui unus ſupererat exculpſiſſet alicui, utrumq; ſibi effodiendum

dum pati debebat qui hoc perpetraverat. Græci, etſi inter ὕβρεως genera hæc omnia recenſeant, κακηγορίαν, αἰκίαν, τραῦμα, non tamen ſpecialiter ὕβρεως appellatione ullam ex iſtis cauſis ſive δίκαις impertiverunt. Αἰκίαν ſolam duodecim tabulæ *iniuriam* proprie nuncuparunt. Non erat autem αἰκία, niſi ille qui verberaverat, prior in verberando fuiſſet, & manum inferre occupaſſet. Quod Græci χειρῶν ἀδίκων ἄρξαι dixerunt, & hac formula conceptum fuit, ἄντις τύπτη τινὰ ἄρχων χειρῶν ἀδίκων. Quod & in vulneratione etiam obtinuit, & in homicidio. Nam niſi quis convictus eſſet in homine verberãdo, vulnerando, occidendo, ἄρξαι χειρῶν ἀδίκων, id eſt, prior violentas manus intuliſſe, non erat in eum δίκη αἰκίας, neque τραύματος, aut φόνου. Advocatus, qui totam Iuris Attici explicationem, & cum Romano cõparationem nobis pollicetur, alteram hanc fuiſſe αἰκίας δίκην ſcribit, cum quis iniuriarum poſtulatus excipiebat, actorem ἄρξαι χειρῶν ἀδίκων, & falli viros doctos ait qui aliter accipiunt. Immo vero ipſe hac in re turpiſſime lapſus. Non duæ fuere αἰκίας δίκαι, nec in iudicio apud Atticos iſta exceptio locum habebat tum cum cauſa recepta eſſet, iam

iam diſceptanda. Priuſquam reciperetur, hoc eſt, ut loquebantur ipſi, εἰσαγώγιμος eſſet, qui arguebat ſe verberatum ab altero eſſe, non aliter ad hanc dicam ei intentandam admittebatur, niſi oſtenderet, eum quem αἰκίας poſtulabat ἄρξαι χειρῶν ἀδίκων, id eſt, auctorem fuiſſe huius iniuriæ ac priorem cœpiſſe verberare. Si hoc probaſſet, & alia nonnulla ſervaſſet ſine quibus cauſa non poterat eſſe εἰσαγώγιμος, tum εἰσήγετο δίκη, introducebatur & recipiebatur iudicanda. Qua de re multa adhuc eſſent fuſius exponenda, ſi hoc ageremus. Nunquam igitur αἰκίας δίκη recipiebatur, nec erat εἰσαγώγιμος, niſi de veritate conſtaret intentionis ex parte illius qui querelam hanc inſtituebat αἰκίας. Scribit & in ſequenti capite XLVII. Vir ornatiſſimus, αἰκίας & ὕβρεως *δίκας re ipſa non fuiſſe diverſas, ſed poſtquam privato etiam iudicio de iniuria agi placuit, αἰκίας δίκην ſeparatam eſſe* ἀπὸ τῆς ὕβρεως δίκης, & *τίμημα tamē ſervatū*. Et hæc ibidē adiicit ſe omnia pluribus enarraturum in commentario ſuo iuris Attici cum Romano collato. Neſcio certe quid ſit enarraturus, ſed ſi hæc quæ promittit præſtabit, ſcio nihil veri narraturum. Quando hoc factum fuerit an poteſt narrare,

rare, ut cũ αἰκίας δίκη publica primitus eſſet poſtea cœperit ad privata iudicia referri? Quãdiu ergo fuit publica, eadem quoque tum fuit cum γραφῇ ὕβρεως. Vbi vero facta eſt diverſa, ex eo diſcrimen inter δίκην αἰκίας & γραφὴν ὕβρεως exortũ eſt. Hoc voluit iuris Attici compilator, & eiuſdẽ cũ Romano collator: quarũ rerum certum eſt nullas ab eo dari poſſe probationes. Αἰκίας δίκη ſemper privatę fuit querimonię, at ὕβρεως γραφὴ sẽper publici iudicii, & proinde cuilibet permiſſa. Toto genere, & iniuriæ inferendæ modo, nõ tantũ & accuſandi, diſtabant. Ridiculũ & illud haud minus quã falſum, τὸ τίμημα in αἰκίας δίκῃ ſervatũ quod antea nimirum habuerit, cũ publicorum iudiciorũ partẽ faceret, quia τίμημα propriũ eſſet iudiciorum publicorũ tantum. Id quam falſum ſit, iam ſupra declaratum. In cap. XLVI. rationem conatur adferre, cur utraque δίκη, αἰκίας, & ὕβρεως, eadem videri debeat. *Vtraque,* inquit, *appellatione iniuriam re factam ſignificabant, veluti ſi manus illatæ erant: ſed actio* ὕβρεως *erat publica,* αἰκίας *erat privata.* Videtur omnino ſentire, quod etiam alio loco plenius aſſerit, non aliud inter has duas actiones extitiſſe diſcrimen, quam ex ratione agendi, quod una, αἰκίας nimirum,

rum privata eſſet actio, ὕβρεως publica. Vtraque quippe appellatione iniuriam re factam, & manu illatam, ſignificari. Potuit etiam addere, & in corpus acceptam. Sed hac eadem argumentatione τραύματος ἐκ προνοίας γραφὴ, eadē videri poſſet eſſe cum αἰκίας δίκη, & ὕβρεως γραφῇ. Nam iniuria etiam eſt, id eſt, ὕβρις quæ re fit, manu infertur, & in corpus accipitur. Latini quoque definitione *atrocis iniuriæ* comprehenderunt non ſolum eam qua quis vulneratur, ſed etiā qua verberatur. Vlpianus apud auctorem Collationis legum Moſaicarum cum Romanis, titulo 11. de atroci iniuria: *Atrocem autem æſtimare ſolet prætor, idque colligitur ex facto, ut puta ſi verberatus vel vulneratus fuerit.* Apud Romanos igitur unū genus idemq; iniuriæ eſt, & quidem atrocis, vulnerari, & verberari, ut à prætoribus in genere æſtimata eſt atrox iniuria. Duæ tamen ſunt ſpecies iniuriæ, & diverſa pœna utriſque conſtituta lege duodecim tabularum. Quinimmo verberationem quæ eſt *αἰκία* Græcorum, *iniuriæ* appellatione proprie promulgarunt. Pretium verberationis viginti æris eſſe voluerunt: quæ oſſa fregiſſet in homine libero trecentis æris: in ſervo centum quinqua-

ginta aſſibus librariis pœnam taxarunt. Si membrum ruptum foret, talionem eſſe ſanxerunt. Sic enim legenda ſunt verba Pauli apud eundem collatorem legum Moſaicarum cum Romanis, eodem titulo quæ prodigioſe vulgo corrupta ſunt. *Iniuriarum*, inquit, *actio aut legitima eſt, aut honoraria. Legitima in lege duodecim Tabularum: Qui iniuriam alteri faxit, quinque & viginti æris pœnæ ſunto. Qui mẽbrũ rupſit, talio eſto. Qui oſſa fraxit, libero trecenti æris, ſervo centum & quinquaginta pœnæ ſunto.* Tam diverſa iniuriarum genera, quibus & diverſæ pœnæ conſtitutæ, ſi quis uteretur argumento & ratione Advocati Pariſienſis, poſſet eadem eſſe evincere. Et tanto quidem proclivius, quod apud Romanos iniuriarum omnis generis vindicta privata fuerit, quarum nec executio cuiquã dabatur niſi ei qui paſſus eſſet iniuriam. Apud Græcos autem τραύματος ἐκ προνοίας dica ad perſecutionem publico iudicio faciendam pertinuit, αἰκίας autem privato. Quam tamen utramque iniuriam eandem eſſe poſſet aliquis argumentari, quia utraque appellatione iniuriam re factam ſignificabant, veluti ſi manus illatæ erant. Supraſcriptas autẽ cauſas αἰκίας & ὕβρεως eaſdem re ipſa fuiſſe, quamvis differrent

ferrent

ferent perſequendi modo, alia ratione, probare contendit Advocatus ex Oratione Demoſthenis contra Cononem. In ea dicit Ariſto, potuiſſe ſe agere & iniuriam ſibi factam perſequi, καὶ τῇ τῶν λωποδυτῶν ἀπαγωγῇ καὶ ταῖς τῆς ὕβρεως γραφαῖς. *Nempe quia à Conone & eius filio ſpoliatus erat, in terram deiectus, conculcatus, labia ſibi deſciſſa, oculi ſugillati*, ait tamen, *actionem αἰκίας prætuliſſe, quia erat moderatior, ſiquidem actione αἰκίας non petebatur caput, actione ὕβρεως petebatur, eratque actio publica, αἰκίας privata.* Vt iſta ſunt, videtur exiſtimaſſe, eiuſdem criminis duas fuiſſe Athenis actiones ſive accuſationes proditas. Propter eandem nimirum iniuriam potuiſſe aliquem vel privatam perſequutionem eligere, vel publico iudicio eam rem exequi. Ita ergo cum αἰκία & ὕβρις de eodem genere iniuriæ Græcis diceretur, duplicem quoque fuiſſe viam eius perſequendæ, privato nempe iudicio vel publico. Verum ſi hæc indiſcreta eſſent utriuſque iniuriæ vocabula, quæ dicitur αἰκίας δίκη, poſſet etiam eſſe αἰκίας γραφὴ, & ſimiliter non tantum ὕβρεως γραφὴ nominaretur, ſed etiam γραφὴ αἰκίας. Eadem iniuria quæ αἰκία & ὕβρις appellabatur, modo privato, modo pu-

blico iudicio vindicaretur, & prout iſta vel illa actio intenderetur, ita interdũ δίκη ὕβρεως interdũ γραφὴ ὕβρεως nuncupari poſſet: item δίκη αἰκίας & γραφὴ αἰκίας. Sic iure Romano non ſolum potuit qui vim ſe paſſum diceret, publica quæſtione de vi experiri, ſed etiã prætor ei dabat actionem, ſi privatam perſecutionẽ eligeret. Itaque eiuſdem βίας & γραφὴ & δίκη eſſe poterat publica exſecutio & privata. At nunquam αἰκίας γραφὴν apud auctores legere eſt, nunquam ὕβρεως δίκην, ita ut δίκη ibi accipiatur pro cauſa privatæ perſecutionis. Non igitur ſolo agendi diſcrimine differunt αἰκία & ὕβρις, ſed reapſe & genere toto inferendæ iniuriæ. Et falſum eſt quod aiunt, ὕβριν, ut proprie à Græcis accipitur cũ ὕβρεως γραφὴ vocatur, ſemper ſignificare iniuriam quę manu infertur. Tametſi hoc eſſet verum ut dixi, non unum tamen genus eſt iniuriarũ quæ manu inferuntur. Alia eſt qua quis tantum verberatur, alia qua etiam vulneratur, oſſe fracto, membro rupto, vel corpore ſciſſo. Et τραύματος γραφὴ cum ſit etiã ὕβρις generaliter hoc nomine ſumpto, longe alia eſt ab αἰκίας δίκῃ & ab ὕβρεως γραφῇ, cum ὕβρις ſpeciali appellatione ſumitur. Quod autem Ariſto apud Demo-

Demoſthenem dicat, actionew αἰκίας ſe prætuliſſe γραφῇ ὕβρεως, cum & hanc intẽtare poſſet Cononi, non ex eo ſequitur, eiuſdem iniuriæ quæ ὕβρις & αἰκία diceretur, diverſos fuiſſe perſequendæ modos iudicio publico & privato: ſed cum in eiuſmodi inferendis iniuriis paulo exceſſu facilis fiat tranſitus de leviore in graviorẽ & atrocem, tot indignis modis tractatũ & male mulcatum à Conone ſe prędicat ut pro αἰκίας δίκῃ, quæ pugnos ſolos perſequitur, potuerit intendere γραφὴν ὕβρεως. Satis multa quippe cõtumelioſa & iniurioſa dicta factaque paſſum eſſe à Conone, ut locus eſſet τῇ ὕβρεως γραφῇ, Cum hæc eſſent ſe tamen maluiſſe, quaſi pugnis tantum cõtuſus foret, actione privata ſuper his experiri. Cui autem credibile fiat, eiuſdem criminis apud Athenienſes duas diverſas δίκας inſtitutas & diverſas pœnas conſtitutas, unam quæ capitalis eſſet qualis fuit ὕβρεως γραφὴ, alteram quæ pecuniaria, ut αἰκίας δίκη? Ita enim in eadem oratione præ ſe fert Ariſto, cũ ipſe inclinaret ad vindicandam iniuriam criminali & publica perſecutione; perſuaſum ſe eſſe ab amicis civiliter potius agere & eligere actionẽ αἰκίας privatam. Οὕτως ἐποίησα, inquit, ut amici conſilium dabant, καὶ δι' ἐ-

 κείνους

κείνους ἰδίαν ἔλαχον δίκην, ἥδιστα ἂν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, θανάτῳ κρίνων τουτονί. Ex quibus conſtat, ὕβρεως pœnam fuiſſe capitalem, cum ἀικία pecunia tantum multaretur. Ita non ſolum agendi ratione & pœna, ſed etiam nomine criminis & genere differunt ἀικία & ὕβρις ſpeciatim ac propriè ſumpta. Iure quidem Romano certum eſt, *de omni iniuria eum qui paſſus eſt, poſſe vel criminaliter agere vel civiliter*, ut eſt in Inſt. IV. Tit. eodem. Apud Atticos aliud moris & iuris fuit. Præterea ſive criminaliter ageret, ſive civiliter is qui iniuriam erat paſſus, idem genus iniuriæ utramque actionem admittebat, non mutato nomine nec genere delicti. At cum actio ἀικίας privata ſit & civilis, nunquã ὕβρεως δίκη etiã vocitatur. E contrario cum capitalis ſit & publica accuſatio ſive γραφὴ ὕβρεως, nunquã ἀικίας γραφὴ pro ea dicitur. Addit diſertus cauſidicus, *pulſari ſimpliciter & verberari tam ad ἀικίας quam ad ὕβρεως δίκην pertinere.* Nõ inde ſequitur, ὕβριν ſpeciali notione ſumptam eandẽ eſſe cum ἀικίᾳ. Multa alia habet ὕβρις ſpecialiter ſumpta quæ non cadunt in ἀικίαν ſive ſimplicem verberationem, ut paulo poſt dicturi ſumus. *Aliud erat*, inquit, *ſi quis non contumeliæ faciendæ cauſa, ſed alio animo, occi-*

dendi

dendi puta, vulnus alicui inflixerat. Id enim ad φονικοὺς νόμους pertinebat. Hoc quidem verum, & tale vulnus vel vulneratio proprie appellebatur τραῦμα ἐκ προνοίας. Quod non ad ὕβρεως genus eſt referendum. Qui enim vulnerat ut occidat, nihil niſi cædem cogitat. Qui vero contumeliæ cauſa aliquem cædit, dum ſæpe repetit ictus, non raro evenit ut plagis deficiat is qui verberatur. Hoc τραῦμα ſimpliciter appellatur, non τραῦμα ἐκ προνοίας. De quo intellexit Demoſthenes in oratione contra Cononē, ubi tres ſpecies ὕβρεως enumerat, λωποδυσίαν, αἰκίαν, & τραῦμα. Quæ delicta ita inter ſe affinia fuere & cognata, ut facilis ab uno ad alterum parvo exceſſu detur tranſitio. Hinc pro atroci iniuria apud Ulpianū habetur loco iam ſupra citato, ſi quis verberetur aut vulneretur. Non poſſum autem aſſentiri viro doctiſſimo, qui inter iniurias leviores reponit verberationem, inter atroces vulnerationem. Vel ſimpliciter verberatus atrocē patitur iniuriam, quæ tamen vel plus vel minus atrox intelligitur pro conditione perſonæ, vel modo quo quis verberatus eſt. Etiā locus in quo facta eſt iniuria, & locus vulneris, augent atrocitatem iniuriæ, ſi oculus percuſ-

ſus ſit, ſi in foro, in theatro, in conſpectu prætoris iniuriam aliquis paſſus ſit. Sed hæc non agimus hoc loco. Atrox iniuria æſtimatur vel ex facto, veluti ſi quis ab alio vulneratus ſit, vel fuſtibus cęſus, Inſtitut. IV. Tit. eodem. Idem eſt quod Ulpianus dixit apud collatorem legum Moſaicarum, prætorem æſtimare ſolere an atrox ſit iniuria, & id colligi ex facto, ſi verberatus vel vulneratus ſit. Utrumque complexus eſt Paulus in eadem collatione, cum dixit, fieri iniuriam in corpore dum cædimur. Nam & qui verberatur *cædi* dicitur, & qui vulneratur. *Cædes* pro ſimplici verberatione ſæpe etiam latine accipitur, ut notamus alibi. Eſt igitur & vulnus quod contumeliæ cauſa infligitur, dum aliquis ita excedit in verberando, ut vulneret, ſæpe etiam occidat plagis contuſum, vel in loco καιρίῳ percuſſum. Hæc vulneratio contumeliæ cauſa facta, non occidēdi animo, etiam publicæ fuit apud Græcos accuſationis, & quæ ſubſcriptionem criminis haberet, id eſt, γραφὴν, ut ex Demoſthene loco ſupra citato conſtat: τραύματος πάλιν εἰσὶ γραφαί. Non dicit, τραύματος ἐκ προνοίας, cum intellexerit de eo vulnere quod infertur ab eo qui aliquē verberandi tantum

tum in contumeliam animum habet. Oratio eſt apud Lyſiam περὶ τραύματος ἐκ προνοίας. Nec illud unquam omitti ſolet, ἐκ προνοίας, cũ quæſtio eſt de vulnere occidendi cauſa illato. Apud Pollucem ſcribendum eſt lib. VIII. cap. VI: Γραφαὶ εἰσὶ φόνου καὶ τραύματος, καὶ τραύματος ἐκ προνοίας. Nunc igitur tandem aperiendum, quid ſit ὕβρις apud Atticos, ex qua ὕβρεως γραφὴ competit talem iniuriam paſſo. Id facile intelligemus, ſi ponamus, quod non ſit ex variis iniuriarũ formis quæ ad unum genus referuntur, tam apud Græcos quam apud Latinos. Videamus primũ de Græcis. In cauſa contra Cononem Ariſto male mulcatus, & indignis modis tractatus, dubitavit, utrum ſimpliciter αἰκίας cum eo ageret, an vero ὕβρεως. Tres ibi enumerat ὕβρεων ſpecies quarum nulla coincidit in illam ſpeciem cuius γραφὴ inſtituta erat Athenis. Eæ ſunt κακηγορία, αἰκία & τραῦμα. Maledictio, verberatio & vulneris inflictio. Quarum trium iniuriæ generum ſuę fuere δίκαι & γραφαὶ propriæ ac peculiares: duarum priorum, δίκαι, quia pecuniariæ ac privatæ: τραύματος vero γραφὴ, quia publica fuit huius criminis ſubſcriptio. Qualis igitur illa ὕβρις fuit, cuius peculiaris γραφὴ in Attico fo-

ro recepta eſt, & quæ re ipſa præter agendi modum ἀπὸ τῆς αἰκίας differebat? Αἰκία, ut iam dictum eſt, ſimplex fuit verberatio, & propter huiuſmodi verberationem αἰκίας δίκη introducta. Cum igitur non ſimpliciter verberatus eſſet Ariſto à Conone, ſed indignis acceptus & variis contumeliæ modis, utpote veſtibus exutus primo, deinde nudus proſtratus & per lutum tractus, pedibus concultatus, convitiis proſciſſus, labio diſciſſo, & oculis præ ſuggillatione occluſis relictus, ideo ὕβρεως γραφῇ contra Cononem experiri deſtinaverat, niſi amici ſuaſiſſent potius αἰκίας δίκην eligere, quæ intenditur verberationis ſimplicis cauſa. Hæc igitur maxima fuit αἰκίας & ὕβρεως differentia ſic proprie dictæ. Quam & Grammatici & interpretes Rhetorum Atticorum ita clare explicant, ut mirer, non eos inſpectos nec conſultos fuiſſe ab egregio Advocato. Suidas, ὕβρις, ἡ μετὰ προπηλακισμοῦ καὶ ἐπηρείας, αἰκία δὲ πληγαὶ μόνον. Ammonius de vocum differentiis, Αἰκία καὶ ὕβρις διαφέρουσιν. Αἰκία μὲν γάρ εἰσι αἱ ἄνευ προπηλακισμοῦ πληγαί. Cum igitur ſolæ inferuntur plagæ, & verbera nuda procedunt, non eſt ὕβρις, ſed αἰκία: ſi accedat προπηλακισμὸς, id ὕβρις vocatur, unde ὕ-

βρεως

βρεως γραφή. Quid eſt προπηλακισμός? Ea omnia quæ narrat ſe paſſum eſſe à Conone Ariſto in Oratione Demoſthenis, quęque ſupra iam expoſita ſunt. Unde & προπηλακίζειν dictum eſſe volunt, ut etiam ſonus indicat, ἀπὸ τοῦ πηλοῦ ἐπιχεῖσθαι τὰ πρόσωπα τῶν ἀτιμίαν καὶ ὕβριν καταψηφιζομένων, ὡς ἀρτίως ἀσβόλῳ χρίουσι. *Quod cæno oblinerentur ora & facies illorum qui ignominiæ condemnâti eſſent, ut nunc fuligine ſolent denigrari.* Cum igitur contumeliæ cauſa aliquis ita alterum tractat & accipit, ut in lutum propellat, & cœno inquinet, aut fuligine oblinat, aut aliis modis contumelioſis & ὑβρεστικοῖς afficiat, προπηλακίζειν dicitur, & προπηλακισμὸς eiuſmodi ὕβρις vocatur, cuius γραφὴ apud Atticos dabatur publica. Hanc *iniuriam contra bonos mores*, Romani nuncuparunt. De qua ita Paulus lib. v. Receptarum ſententiarum, hoc titulo, *Fit iniuria contra bonos mores, veluti ſi quis fimo corrupto, aut qualibet ſorde aliquem perfuderit, cœno, luto obliniverit.* additque, *graviter in eos animadverti ſolere.* Ideo apud Atticos huius generis iniuriæ quam ὕβριν proprie vocarunt, γραφὴ data eſt & publicis iudiciis accenſita. Et merito ſane. Iracundiæ cuius primos impetus in poteſtate noſtra non habemus, ignoſcen-

cendum putarunt, ſi quis eo animi motu impulſus, aliquem iratus verberaverit, nec ultra progreſſus ſit. Ideo αἰκίας δίκην privatam eſſe tantum voluerunt, & condemnationē eius pecuniariam. Cum vero ad verbera quis adiicit varios contumeliæ modos, ut illi ſunt, quos ex Demoſthene expoſuimus, & de quibus agit Paulus, graviore id facinus pœna caſtigādum eſſe cenſuerūt; quatenus non ex iracūdiæ ſolius impulſu ad iniuriam faciendam & contumeliam adducitur qui talia committit; ſed ex inſita quadam petulantia & improbitate vel impuritate morū, quam Græci βδελυρίαν vocant, id facit. Quodcunque igitur factum contumelioſum, præter verbera quo alicuius dignitas læditur, προπηλακισμοῦ nomine poteſt venire. Grammatici, προπηλακισμὸς, ὕβρις. Iam ad Latinos veniamus, ut ex eorum definitione iniuriæ, & modorū eius enumeratione, colligamus, quænā ex his ſpecies Græcorum ὕβρει reſpondeat. Auctor librorum ad Herennium, *Iniuria eſt*, inquit, *quod aut pulſatione corpus, aut convitio aures, aut turpitudine vitam alienum violat.* Convicium eſt κατηγορία Græcorum, pulſatio αἰκία, ergo turpitudo quo vita alicuius violatur ad ὕβριν Græcorum, qui &

προπη-

προπηλακισμὸς dicitur, pertinet. Paulus ſimiliter definit iniuriam fieri vel *in corpore dum cædimur, vel verbis dum convitium patimur, vel cum dignitas læditur.* Idem eſt quod dixit auctor ad Herennium, *aut turpitudine vita alicuius violatur.* Deinde pro exemplo ſubiungit Paulus, *veluti, cum matronæ vel prætaxtato comites abducuntur.* In hac abductione comitũ quæ matronæ fit, vel prætextato, προπηλακισμὸν eſſe & ἐπήρειαν cõſtat. Nam & ἐπηρείας meminit Suidas, in definitione ὕβρεως proprie appellatæ. In corpore etiam fit προπηλακισμὸς ſive ὕβρις Græcorum, ſed alio modo quam pulſatio, quæ non progreditur ultra ſimplicem verberum ictum. Cum raptatur, vexatur, trahitur per lutum, προπηλακισμὸς eſt. Apud Dionyſium προπηλακισθέντες εἰς τὸ σῶμα. Alio loco lib. IV. virginum licentioſam contrectationem προπηλακισμὸν appellat, & ὕβριν ſtuprum illatum matronis. ὕβρεις δὲ μοιχείας συνοίδασιν εἰς γυναῖκας γαμέτας, ἢ προπηλακισμοὺς εἰς θυγατέρας παρθένους, ἢ ἄλλην τινὰ περὶ σῶμα ἐλεύθερον ἀκολασίαν; Hæc omnia ὕβριν Græcorum declarant, & quantum diſtat ἀπὸ τῆς αἰκίας oſtendunt. Certe Philoſophus προπηλακισμὸν vocavit quæ ὕβρις eſt μετὰ προπηλακισμοῦ vel ὕβρις ſpecialiter accepta, in IV. Ethic.

Eude-

Eudemiorum cap. 11. ubi quæ per violentiam committuntur enumerans, ἀικίαν & προπηλακισμὸν & κακηγορίαν recenſet. & προπηλακισμὸν poſuit pro ea quæ ſpecialiter Atticis ὕβρις appellabatur, & cuius erat γραφή. Τὰ δὲ βίαια, οἷον αἰκία, δεσμοὶ, θάνατος, ἁρπαγὴ, πήρ[illegible], κακηγορία, προπηλακισμός. *Contumeliam* vulgo reddunt, ſed minus generale eſt hoc nomen, & ad eam iniuriã quæ verbis fit magis proprie reſtringitur apud Latinos, cum προπηλακισμὸς in corpore fiat, & contumeliæ quidẽ cauſa. Auctor Rhetoricę ad Alexandrum, qui non eſt Ariſtoteles, ὕβριν nominavit in eã ſpeciali ſignificatione, qua ὕβρεως γραφὴ nota fuit Atticis, & προπηλακισμὸς Ariſtoteli uſurpatur. Sic enim ὕβριν definit lib. II. cap. II. Ἔστι γὰρ ἡ ὕβρις τὸ βλάπτειν, καὶ λυπεῖν ἐφ' οἷς αἰσχύνη ἐστὶ τῷ πάσχοντι, μὴ ἵνα τι γένηται αὐτῷ ἄλλο ἢ ὅτι ἐγένετο, ἀλλ' ὅπως ἡσθῇ. *Iniuria eſt lædere, vel dolore afficere aliquẽ iis rebus quæ contumeliam ſic ei qui ea patitur inferant, non ut aliquid ipſi ſit præter id quod habet, ſed ut ipſe voluptatem capiat.* Hęc ὕβρις quæ fit ſola animi gratia & ut voluptatem ex ea re capiat qui eam facit, alia eſt ab αἰκίᾳ. Nam ſæpe iratus verberat, id eſt, αἰκίζει quem poſtea pœnitet verberaſſe. Sæpe etiam αἰκία ab eo perpetratur qui aliquid aufer-

auferre vult ab invito ut ſibi habeat, quod abeſt longe à definitione ὕβρεως, ab auctore Rhetoricæ poſita, οὐχ ἵνα τι γένηται αὐτῷ ἄλλο ἢ ὅτι ἐγένετο. Ita Aeſchines apud Comicum lenonem verberat, αἰκίζει, ut ei eripiat virginem quã habebat. At ὑβρίζων libidini tantũ indulget ac vitio ſuo. Unde addit idem auctor, ὑβριστὰς maxime eſſe iuvenes ac divites, qui præ contẽptu aliorum quos infra ſe eſſe putant, & dum ſe ſuperiores haberi volunt, animi gratia ad contumeliam faciendã incitantur. Aἰκία apud eundem auctorem aliud eſt quam ὕβρις, quamvis ὑβρίζειν etiam dicatur qui αἰκίζει, ut lib. I. cap. XII. ὅταν τι τοιοῦτον ἀδικηθῇ τις, οἷον εἰώθει καὶ αὐτὸς ἀδικεῖν, οἷον εἴ τις εἰωθότα ὑβρίζειν αἰκίσαιτο. Sed lib. II. inter ὀδυνηρὰ & φθαρτικὰ reponit θανάτους καὶ αἰκίας. At ὕβρις ſive προπηλακισμὸς non eſt ſemper corporis φθαρτική, ſed dignitatẽ potius lędit & exiſtimationi nocet. Unde & προπηλακίζειν mulieres ab Euripide ſolitas dicit Ariſtophanes, quia omni occaſione de iis male loqui conſueverat. Cœno aliquẽ per laſciviam & petulantiam perfundere, fuligine oblinere, titionibus ſopitis frontẽ eius ſcribere, ad ὕβριν de qua nunc agimus, ſeu προπηλακισμὸν referẽda ſunt, non ad αἰκίαν. Si quando & corpori iniuria inferatur

feratur per προπηλακισμὸν, non φθαρτικὴ eſt corporis. Nã illa quæ dixi contumelioſa, in corpore patimur, non tamẽ corpus perdunt. Illatione etiã ſtupri ὕβεις fit & προπηλακισμός. Nã & ὕβειν etiam de ſtupro dixerũt. Sed hæc alterius loci ſunt, & otii maioris. Hoc tãtũ hic voluimus docere cõtra Iuriſconſultum Pariſienſem, aliud fuiſſe in foro Attico ὕβειν, aliud αἰκίαν, & iſta duo non tantum agendi modo differre, ſed etiam re ipſa, & toto genere. Quod ὕβειν proprie appellatã cũ προπηλακισμῷ & ἐπηρείᾳ fieri ſcribit Suidas, plura ſignificat iſtud verbum ἐπηρεία, inter alia & βίαν. Vnde & ἐπηρεάζειν Heſychio, βιάζειν. Et ſane hæc ὕβεις plerunque violat corpora, & vim infert, cũ adiunctis multis aliis contumelioſis factis dictiſve, quæ non habet αἰκία, quæ intra ſolam verberationẽ conſiſtit. Atticis ἐπηρεασμός eſt, cum ita alicui adverſamur, ut nolimus ab eo fieri quod facere cupit, & omni modo ne faciat impedire ſatagimus, cui cõtraria eſt χάρις & gratificatio. Vnde illa apud Ariſtolẽ lib. de Republica, III. cap. XVI. *οἱ δ' ἐν ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς πολλὰ πρὸς ἐπήρειαν ἢ χάριν εἰώθασι ποιεῖν. per odiũ & gratiam.* Nã propter odiũ adverſamur aliorũ voluntatibus & refragamur, per gratiam favemus iiſdem

& ſuf-

& ſuffragamur. Hoc ſenſu ἐπήρεια apud Atticos antiquos ponitur. Aliud eſt ἐπήρεια, quæ cum προπηλακισμῷ iungitur in definitione ὕβρεως. Recẽtiores Attici ἐπήρειαν pro calumnia uſurparunt, & criminatione, & obtrectatione. Vt ex his Pollucis apparet lib. VIII. cap. VI. καὶ τὸ ὄνομα συκοφάντης, καὶ ἐργολαβῶν, καὶ ἐπηρεάζων, καὶ ὁ τὰ ψευδῆ μαρτυρῶν. Ita plane accipitur apud Matthæum cap. v. verſ. XLIV. καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς, καὶ διωκόντων ὑμᾶς. Vbi recte vetus interpres, *& orate pro perſequẽtibus & calumniantibus vos.* Τὸ διώκειν proprium eſt eorum qui alios litibus & accuſationibus perſequuntur. Et recte hæc duo coniunguntur, ἐπηρεάζειν, & διώκειν. Quocumq; modo aliquẽ inſectari, & rebus alicuius adverſari, hæc vox ἐπηρεάζειν ſignificat, ut ex Ariſtotele docuimus. Diversã habuiſſe olim notionem à calumnia vel criminatione oſtendit auctor Rhetoricæ ad Alexandrũ, qui tria enumerat quæ odium pariunt, ὀργὴν, ἐπηρεασμὸν, καὶ διαβολήν. *Iram, adverſationem, & calumniam.* Sed calumnia cum προπηλακισμῷ, in iniuria determinanda quæ ὕβρις Græcis dicitur, parum convenit. Pro qualibet inſectatione ἐπήρεια ibi intelligenda eſt. At-

περιπηλακισμὸς, ex vi nominis, eam ὕβριν denotat quæ *iniuria contra bonos mores* à Paulo vocatur, leg. 1. D. de extraordinariis criminibus, quæ habetur lib. v. Receptarum ſententiarum eiuſdem Pauli, Tit. de iniuriis. Πηλὸς, eſt cœnum vel lutum, unde πήλαξ luto oblitus, ut à πλοῦτος, πλούταξ, & ſimilia. Inde πηλακίζειν, & περιπηλακίζειν luto inquinare vel cœno aliquem perfundere. Hæc fuit proprie ὕβρις Græcorum, cuius accuſatio erat publica. Vnde & περιπηλακισμὸς ὕβρις à Grammaticis exponitur, & vice verſa, ὕβρις περιπηλακισμός. At αἰκία nullum habet περιπηλακισμὸν, ſed ſimplicem verberationem. Atque hæc hactenus, & de his iam nimis longas duximus Iliadas.

CAP. X.

Confirmata Salmaſii ſententia de ſtellionatu, ſimilem fuiſſe Græcorum εἰσαγγελίᾳ. Accuſatio nulla ſine crimine. Crimen & accuſationem interdum eſſe idem. Καταλύειν τὸν δῆμον, *recte à Salmaſio Latine reddi concutere imperium populi. Ita Ciceronem dixiſſe, concutere rempublicam. Quatere quaſſare, percutere, decutere, & excutere, quo ſenſu poni conſueverint apud Latinos. Quid ſit proprie δίκη, ἀγών, ἀμφισβήτημα, τύπος. Δίκην non eſſe actionem, nec iudicium, nec accuſationem ſed cauſam.*

SI Salmaſius ſcripſiſſet, *εἰσαγγελίαν* Attici fori fuiſſe diſſimillimã ſtellionatui fori Romani, in contrariam conceſſiſſet ſententiam Pariſienſis Advocatus, & hodie eam propugnaret opinionem quã impugnandam heîc ſuſcepit. *Quæ eſſet,* inquit, *εἰσαγγελία in foro Attico, video doctiſſimos viros non ſatis certo tradere. Qua de re multa dicimus in commentario noſtri Iuris Attici.* Sed quando veniet avis illa? Vere ſuo, tempore ſuo. Ἐλθὲ ἐλθὲ χελιδών, καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς, ἐπὶ γαστέρα λευκή, ἐπὶ νῶτα μέλαινα. Hæc erit comparatio Iuris Attici & Romani,

 quam

quam iubemur expectare. Interim dũ illa venit, iubet nos cavere ne exiſtimemus *εἰσαγγελίαν* pro ſtellionatu acceptam. Cur hoc? *Quia*, inquit, *εἰσαγγελία non eſt criminis nomen, ſed accuſationis.* O delicatum acumen! Facetum hoc ſane, ut nihil ſupra. An ulla accuſatio eſt, ubi crimen non eſt? Quinimmo vel *criminis* appellatione intelligitur apud Romanos accuſatio. Vnde in optimis Gloſſis *crimen* exponitur *ἔγκλημα*, & *διαβολή*. *Criminalia*, *ἐγκληματικά*. *Criminator*, *διάβολος*. Aliæ Gloſſæ: *ἔγκλησις, criminatio, accuſatio.* Stellionatus *accuſationem habere*, dicitur in leg. III. D. de ſtellionatu: *Stellionatus, vel expilatæ hæreditatis iudicia accuſationem quidem habent, ſed non ſunt publica.* Ergo & *εἰσαγγελία*, hac in re convenit cum ſtellionatu, quam vir Iuris Attici peritiſſimus *accuſationis* nomen vult fuiſſe, non *criminis*. Si Salmaſio aliud agenti vel dormitanti hoc dicere in mentem veniſſet, quàm acerbe ſomnium iſtud ei decuteretur ab Advocato quondam amico? Εἰσαγγελία accuſatio eſt, non certi criminis, ſed cuiuſcunq; delicti nomine carentis, atq; eorũ *ἀδικημάτων*, quæ Latini Rhetores *inſcripta maleficia* appellarunt. An *ſtellionatus* appellatio crimen aliquod

ſive

ſive delictum certum denotat, de quo poſſit dicere, hoc & hoc delictum iſto nomine proprie eſſe nuncupatum? Definiunt Iuriſconſulti *ſtellionatum*, *eſſe fraudem omnem atque imposturam quæ propriam ſignificationem non habet, & in proprium delicti nomen non cadit, ut ſcribitur* leg. VII. π. I. D. ad Turpillianum. Si quis nunc huic definitioni ſtellionatus contra comparet quod de εἰσαγγελίᾳ Græci ſcribunt, eſſe accuſationem τῶν ἀγράφων ἀδικημάτων, καὶ περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι, ἀδικῶν δέ τις ἁλίσκεται ἢ ἄρχων ἢ ῥήτωρ, εἰς τὴν βουλὴν εἰσαγγελία δίδοται κατ' αὐτοῦ; an poterit aliter opinari, quam εἰσαγγελίαν Græcorum, ſimilem eſſe *ſtellionatui* Latinorum? In eo quod præcipuum eſt ad affinitatem accuſationis hæc duo conveniunt; quod ſtellionatus accuſatio competit in illis delictis ac fraudibus quibus lex proprium nomen non impoſuit, & ſimiliter εἰσαγγελία δίδοται, id eſt, hæc accuſatio quæ εἰσαγγελία Græce dicitur, adverſus illos qui ea admiſerunt delicta de quibus nullę leges ſcriptę ſunt, quæ ἄγραφα ἀδικήματα Græci appellant, Latini *inſcripta maleficia*. At ſtellionatus, inquit, publicum non erat crimen, εἰσαγγελία autem, teſte Harpocratione,

δημοσίας δίκης ὄνομα fuit. Numquid hoc prohibere poteſt ſimilitudinem, & affinitatem, quæ inter has duas accuſationes intercedit? Iniuriarum actio non eſſet eadem quæ ὕβρεως γραφὴ Græcis appellatur, cum hæc publicorum iudiciorum fuerit apud Græcos, iniuriæ perſecutio privata apud Latinos. De ſtellionatu iudicium non fuit publicum, ſane nec privatũ, ſed extraordinarium, & tanto propius ad publica accedebat iudicia. Doctiſſimus Advocatus hic ſcribit ſe dixiſſe quid eſſet ſtellionatus tã in foro Romano quam in foro Attico, lib. I. de rerum iudicatarum auctoritate. Ibi notat, omnes κακοτεχνίας & κακουργίας cedere in crimẽ ſtellionatus. Fuit ſane & ſpecialis κακοτεχνίου δίκη, in foro Attico ita legibus inſtituta, ſed ad ſtellionatum ea non pertinet, cum nomen habeat proprium lege impoſitum. Pollux lib. VIII. cap. VI. Λυσίας δὲ κακοτεχνίου δίκην φησὶν εἶναι. Nec dicit qualis illa δίκη fuerit, aut de qua re conſtituta, vel de quo genere maleficii. Perperam doctus Advocatus κακοτεχνιῶν δίκην appellat, quaſi de pluribus maleficiis, vel malis artibus ea competierit accuſatio. Certũ genus κακοτεχνίου ſpectabat, quod non dixit Pollux quale eſſet,

ſet, ſed Harpocration id explicavit qui *κακοτεχνίας δίκην*, contra falſum teſtimonium dicentes datam ſcribit. Et apud eum legendum eſt, *κακοτεχνίας δίκη*, non *κακοτεχνιῶν*, *ἣν οἱ ἑλόντες τῶν ψευδομαρτυριῶν αὐτὴν ἐδίδοσαν*. Et ſane ipſe Pollux meminit *κακοτεχνίας δίκης*, ſtatim poſt mentionem factam *ψευδομαρτυριῶν*, & *λιπομαρτυρίας*. At ſtellionatus *κακοτεχνιῶν* omne genus ſive *κακουργιῶν* comprehendebat, de quibus nominatim lex nulla fuiſſet ſcripta. *Si quis impoſturam*, inquit Ulpianus, *fecerit, vel colluſionem in necem alterius, ſtellionatus poterat poſtulari.* Et addit ſtatim, *generaliter deficiente criminis titulo, hoc crimen locum habere, nec opus eſſe ſpecies enumerare.* De *εἰσαγγελίᾳ* quoque Græci notant, *περὶ ὧν οὐκ εἰσὶ νόμοι, ἐάν τις ἀδικῶν ἁλίσκηται, εἰσαγγελία δίδοται κατ' αὐτοῦ*. De omni *ἀγράφῳ ἀδικήματι* eam inſtitutam actionem iidem affirmant. Et ſic haud minus generalis eſt *εἰσαγγελίας* accuſatio quam ſtellionatus. Omnis *κακουργία*, omnis *κακοτεχνία*, per eam in iudicium venire poteſt, de qua lex nulla nominatim lata fuerit. Nam præter illam publicam *εἰσαγγελίαν*, quæ ſola crimina publica vindicarunt, alia etiam fuit privata eorum criminum quorum nullus foret

 titu-

titulus, & omnes omnino κακώσεις, id eſt, κακουργίας, ſive κακοτεχνίας, complectebatur. Harpocration, ἑτέρα ἡ εἰσαγγελία λέγεται ἐπὶ κακώσει. Id eſt, ἐπὶ κακουργίαις, ſive κακοτεχνίαις. Nam κάκωσις etiam maleficium ſignificat. Heſychius: Κακοῖ, κακουργεῖ. Malim tamen legere, ἐπὶ κακουργίαις. Nam alias κακώσεως δίκη peculiaris fuit, & ob maletractationẽ uxoribus dabatur contra maritos, & natis contra parentes, quæ nihil pertinent ad εἰσαγγελίαν, quia nomen habent. Κακουργίαν autem eſſe ſtellionatum, è gloſſis veteribus ſumpſit vir doctiſſimus, qua voce non ſolum κακοτεχνίαν Græci vocarunt, ſed omne maleficium, quod non ſolum mala arte fit, ſed etiam vi. Vt κακοῦργοι etiam pro latronibus, & ſicariis poni ſolent Græcis. Sed iam deſcendamus ad illud ipſum quod anſam videtur præbuiſſe doctiſſimo Advocato huius capitis conſcribendi. Nimirum ut carperet interpretationẽ Salmaſii horum verborũ Latinã, καταλύειν τὸν δῆμον. Inter alia crimina ἄγραφα, propter quæ in delinquentes hoc iudicium reddi ſolebat τῆς εἰσαγγελίας, adverſus Rhetores καταλύοντας τὸν δῆμον etiã reddebatur. Salmaſius vertit, *concutere imperium populi*. Quod vir doctus rectũ

negat,

negat, cũ ſit, inquit, *democratiæ ſtatum diſſolvere atque everſum ire*. Primum per δῆμον melius reddi vult *democratiæ ſtatum*, quam *populi imperiũ*, ut Salmaſius Latine vertit. Hæc nimia eſt, vitilitigatio: ſed quia Advocatis familiaris eſt, feramus: nihil præter ſolitũ fecit. Valerius tamen lib. III. c.VII. *imperium populi Romani prodere* dixit. Quid autẽ δημοκρατία, *niſi populi imperiũ?* Immo Salmaſius, eodem loco qui carpitur, δῆμον quoque δημοκρατίαν interpretatus eſt. Sic enim ibi ſcripſit totidem verbis p. DXC. τῶν τὸν καταλυόντων τὸν δῆμον, *vel, ut in aliis legitur*, τὴν δημοκρατίαν. interrogare liceat Advocatum an putaverit, Salmaſiũ non intellexiſſe verba illa Græca καταλύειν τὸν δῆμον, nec ſciviſſe quo ſenſu Græci καταλύειν uſurparent, cum populi *imperium concutere* reddidit? An aliquis eſt tam Græcæ linguæ ignarus, qui non teneat vim iſtius verbi quid ſignificet? Et Salmaſius hoc ignoraverit? Duas tamen ferme paginas impendit Advocatus, ut hanc eius interpretationem ſugillaret. Salmaſium non neſciſſe quid ſignificarent illa Græca, vel ipſo teſte Advocato convincam. Nam paulo infra fatetur, quandoq; non male interpretari qui vertat, *populi maieſtatem imminuere*.

Atque ita etiam ipſo fatente Salmaſius Græca illa expreſſit: *Vt contra eos dabatur, qui populi imperium concuterent, & maieſtatem eius imminuerent.* Eo igitur res redit, ut quid eſſet καταλύειν τὸ δῆμον, Salmaſius calluerit, ſed *concutere* Latinum quam ſignificationem haberet, non intellexerit, utpote qui idem eſſe voluerit Latine *concutere* quod Græcum καταλύειν. Ad hanc igitur lineam pugnemus, & oſtendamus Advocato, non tam harum rerum eum eſſe peritum quam fori ſui. A priori *concutere* idẽ omnino eſt, quod convellere & evertere, quia quæ proſternuntur, prius concutiuntur, ut illa quæ ſolo fixa hærent, everti non poſſunt niſi concuſſa. *Decutere* eſt deiicere. *Excutere*, eiicere. *Quatere foras*, pro eiicere, apud Comicum in Eunucho.

--- quatietur certe cum dono foras.

Ad quem locum notat Donatus, *vide quam contumelioſum dictum ſit, quatietur foras, vel verberibus impelletur, non expulſione, ſed detruſione.* Inde poëtis, *quatere oppida bello*, id eſt, evertere, quia prius quatiuntur ariete, & aliis machinis, ut evertantur. Virgilius 11. Aeneid.

--- magnoque emota tridenti,
Fundamenta quatit, totamque à ſedibus urbẽ
Eruit.

Qua-

Quatit emota, id eſt, ſubvertit. Alioquin movere & vibrare tantũ ſignificat, ut *quatere alas, quatere haſtã*, & ſimilia multa apud eumdẽ poëtã. *Quaſſa olla* Plauto eſt fracta. Frequentativũ ab eo factũ *quaſſare*, duplicẽ quoque habet apud auctores ſignificationem, movendi, & evertendi, ſive diſſolvendo, rumpendique. Vt *quaſſare ferulas, quaſſare caput, quaſſare lilia*. At *quaſſata vaſa* Lucretio ſunt diſſoluta, & fracta, lib. III.

Nunc igitur quondam quaſſatis undique vaſis
Diffluere humorem.

Quaſſatum calicem, & rupto poſcentem ſulfura vitro, dixit Satyricus. Inde noſtrum *quaſſare*, vel *caſſare*, de vitreo calice cum frangitur. Et apud Virgilium aliquot locis *quaſſatæ* naves, ut & apud Liviũ ſolutis cõpagibus rimoſę, & inutiles ad navigandũ:

Quaſſatæque rates, & non tractabile cælum.

Compoſitum *percutere* duo etiam deſignat, & ſimpliciter ferire, ut *malam alicui percutere*, & feriendo aliquem proſternere, id eſt, occidere. Sic apud Suetonium in Caligula, *hoſtem cominus ſæpe percuſſit*. Et alibi paſſim apud auctores. Vndę & *percuſſores*, de homicidis, & ſicariis.

riis. Optimæ Gloſſæ : *percuſſor*, κϱοτα-φιςὴς, σφάκτης. *Concutere* idem fere quod ſimplex *quatere*. In his rebus quæ poſſunt moveri ſine diſſolutione aut everſione, idem eſt quod ſimpliciter vibrare vel agitare, ut *quatere* & *concutere haſtam*, *concutere undantia lora*, *concutere arbores* ut fructus maturi decidant, & in ſimilibus. Vbi vero per rei naturam quę quatitur vel concutitur, vix fieri poteſt quin concuſſa & quaſſata diſſolvatur aut evertatur; tum diſſolvendi ferme & evertendi habet ſignificationem. *Concuſſæ cautes, & acuto in murice remi Obnixi crepuere*; partem cautium avulſam ſignificat, & in reliqua inſtar muricis acuti remos obnixos crepuiſſe. Idem Virgilius de Herculę qui ſpeluncam Caci proſtravit.

--- Concuſſit & imis
Avulſam ſolvit radicibus.

Unde & *concuti funditus urbem* alio loco dixit.

Accidit hæc feſſis etiam fortuna Latinis,
Quæ totam luctu concuſſit funditus urbem.

Hæc & ſimilia cum legiſſet apud auctores Latinos Salmaſius, putavit non inſcite Græca illa Rhetorum Atticorum

κατα-

καταλύειν τὸν δῆμον, reddidit *concutere imperiũ* populi vel *concutere ſtatum* Democratiæ. Nã & Cicero eodẽ ferme ſenſu, *concutere rempublicã*, in Philippica III. *Qui chirographa Cæſaris defendiſſet lucri ſui gratia, is leges Cæſaris, eaſque præclaras, ut remp. concutere poſſet, evertit.* Valerius lib. VI. cap. I. *Concuſſum & labentẽ civitatis ſtatũ* dixit. Tametſi peccaſſet Salmaſius ita vertendo, cũ perpuſillum ſit peccatum, non tot verbis nec tã ambitioſe debuiſſe videtur exagitari, ab eo præſertim qui amicus eſſet. Quod autẽ negat, *εἰσαγγελίαν* Græcis eſſe nomẽ criminis, profecto non eſt criminis certi appellatio, ut neque etiam ſtellionatus in foro Romano. Nam illa vox accuſationẽ continet omniũ omnino criminũ quæ titulo carent, ut Græcis etiã *εἰσαγγελία* eſt accuſatio *ἀγράφων* omniũ *ἀδικημάτων, καὶ περὶ ὧν οὐκ ἔστι νόμος*. Nec dubitãt Græci *εἰσαγγελίαν ὄνομα δίκης* interpretari, haud minus quã de aliis quibuſlibet criminibus, tam privatis quam publicis. *Αἰκία* illis dicitur *εἶδος δίκης, τραῦμα ἐκ προνοίας, ὕβρις*, & *ἰδιωτικὰ δικῶν ὀνόματα* vocant quæ iudiciis privatis diſceptantur, *δημοσίας δίκας* quæ ad publica iudicia pertinent. Idem ergo & de *εἰσαγγελίᾳ* dixerunt, eſſe *δημοσίας δίκης ὄνομα*. Quid eſt *δίκη* in talibus

lo-

loquutionibus, aut quomodo Latine reddi debet? Non eſt *iudicium*, ut quibuſdam placet. Nam εἰσάγεσθαι dicitur δίκη, id eſt, induci coram iudicibus, ut iudicetur, vel iudicium de ea feratur. Vnde δικάσαι δίκην. Μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. *Ne iudices dicam altera parte tantum audita*. Non eſt *actio*, ut hanc vocem accepere Prætores Romani. Eiuſmodi quippe actionum formulæ quales dabat prætor, non fuere Græcis cognitę. Nec *actio* etiã eſt, ut definitur ius perſequẽdi in iudicio quod ſibi debetur. Nam δίκη res ipſa eſt in controverſiam deducta, & in iudicium delata. Actio interdum in iure pro accuſatione ſumitur. At δίκη aliud quid ab accuſatione. Nam apud Ariſtophanem in Veſpis, εἰσάγειν δίκην, vel γραφὴν, & καλεῖν δίκην, tanquam diverſa ponuntur à κατηγορεῖν, quod eſt accuſare.

--- ἀλλ' ἅπερ ὁ φησὶ κύων,
Κατηγορήσειν, ἢν τις εἰσάγῃ δίκην.

Quod καλεῖν δίκην, & εἰσάγειν dicitur, pro cauſam citare, & introducere coram iudicibus diſceptandam, id etiam vulgo in foro dicunt, *cauſam appellare*. Cauſa ſive δίκη vel γραφῇ introducta, actor accuſabat, ut ex illo loco Ariſtophanis con-

ſtat.

ſtat. Δίκη igitur ſive γραφή, non actio, non accuſatio eſt proprie, ſed cauſa. Ariſtophanes ibidem:

--- περὶ τῆς τέτοις τὴν δίκην

Μακρὰν λέγῃ τις.

Si quis longam cauſam peroret. Græci ἡττᾶσθαι δίκην dicunt, pro *cauſa cadere, cauſam perdere.* Quo ſenſu δίκη nec actio eſt, nec accuſatio. Non etiam iudicium eſt. Omnino eſt quæ Latinis *cauſa*, vel *lis*, appellatur. Donatus in Phormionem. *Δίκη cauſa eſt, quæ fit Latine dica, ut acte acta; calliope calliopa.* Unde quæ Græce δίκαι ἰδιωτικαὶ, & δημοσίαι vocantur, Ciceroni ſunt *cauſæ privatæ & publicæ.* Aſconius in divinationem: *cauſæ autem etiam privatæ ſunt, ſed repetundarum, ambitus, maieſtatis, & ceteræ Reipublicæ cauſa conſtitutæ ſunt*, id eſt, δημοσίαι ſunt. In lege Diocletiani VII. Cod. de iniuriis, *cauſa iniuriarum* vocatur quæ Terentio eſt *iniuriarum dica. Iniuriarum cauſa, non publici iudicii, ſed privati continet querelam.* Pollux lib. VIII. cap. VI. λῆξιν δίκης apud Atticos eſſe notat qui vulgo ſuo tempore in foro Græco τύπος dicebatur, & vulgariter ἀμφισβήτημα. Ubi τύπος eſt forma cauſæ vel ſtatus controverſiæ. Quod vulgo etiam dici ἀμφισβήτημα obſervat, id eſt,

quæ-

quæſtionem, ſive controverſiam, vel litem. Attici ἀγῶνα etiam vocabant. Nam ἀγὼν, & δίκη, ſynonyma ſunt. Vnde ἀγὼν ἔρημος pro eremodicio, vel ἐρήμη δίκη. Heſychius: ἀγὼν ἔρημος, οὐκ ἔχων ἀντίδικον. Apud Harpocrationẽ ἀγὼν ἀτίμητος eſt, cauſa cuius τίμημα ſive æſtimatio legibus non eſt definita. Polluci pro eodem, δίκη ἀτίμητος. Lyſias in Apologia pro Mantitheo, περὶ μὲν οὖν ταύτης τῆς αἰτίας οὐκ οἶδα ὅτι δεῖ πλείω λέγειν, δοκεῖ δέ μοι, ὦ βουλὴ, ἐν μὲν τοῖς ἄλλοις ἀγῶσι περὶ αὐτῶν μόνων τῶν κατηγορημένων προσήκειν ἀπολογεῖσθαι. *In aliis cauſis, in aliis certaminibus.* Αἰτία Græcorum ad verbum *cauſa* eſt Latinorum, ſed αἰτίαν Græci Rhetores magis pro accuſatione uſurpant. Idem Pollux, κατηγορία δ' ἂν εἴη ταὐτὸ τοῦτο, καὶ αἰτία, καὶ ὡς Πλάτων, αἰτίασις καὶ δίωξις. Verum de his alibi pluribus, in noſtro etiam commentario de legibus Atticis. Quem ſtatim dabimus ubi prodierit ille tamdiu expectatus & promiſſus ab Advocato Pariſienſi. In quo ſi nos docere potuerit aliud crimen apud Græcos proprium reſpondere τῇ εἰσαγγελίᾳ Atticorum quam ſtellionatum, tum ego fatebor, neminem hodie in terris vivere qui ius Atticum melius calleat. Sed certus ſum, nun-

quam id effecturum quod eſt pollicitus, & nullam poſſe dari in Iure Attico accuſationem quæ ſtellionatui Romanorum ſimilior ſit quam εἰσαγγελία, cum utraque accuſatio de criminibus quæ titulo & nomine carent, hæc apud Græcos, illa apud Latinos, conſtituta ſit. Nã κακοτεχνίας δίκη, ſpecialis fuit, ut ſupra docuimus. Nulla κακουργίας δίκη nota apud Græcos, ſed omne crimen cui leges nominatim pœnam non impoſuerant, intendebatur per εἰσαγγελίαν, ut apud Latinos per *Stellionatum*. Aliud doceat, & vicerit. Ridiculus eſt, & ineptus, cum Pollucem dicit parum accurate de εἰσαγγελία tractaſſe. Ergo ipſius tractatum accuratiorem de ea re expectabimus. Atticiſta, & Rhetor, qui vixit florentibus adhuc Athenis, & ſtudio eloquentiæ in illa urbe vigente, quiq; tot Oratorũ volumina Atticorũ quibus hodie caremus legerat, non tam bene quid eſſet εἰσαγγελία intellexerit, quam febriculoſus Advocatus Pariſienſis, qui neſcio quas minutas Oratorum reliquias obiter percurrit, nec aſſequutus eſt. Abi, abi non eſt veriſimile quod dicis.

Cap. XI.

Salmaſii in loco Varronis emendatio defenſa à calumniis Advocati Pariſienſis. Quid ſit rogare legem, & rogatio. Quid ſit auctorem fieri. Addicere idem eſſe quod vendere. Differentia inter addictum, id eſt, ſententia iudicis ob æs alienum condemnatum, & eum qui ſe ſponte in ſervitutem dat. Lege duodecim tabularum addictos venundari & occidi licuiſſe, & in partes ſecari. Hanc legem à Solone mutuatos Romanos. Quæ ſit vis ac notio ἀγωγίμου. Ἀγώγιμον ex quacunque cauſa necari potuiſſe. Servitium à ſervitute non differre. Quid ſit πρόθετος, quid προσήλυτος. Salmaſius in multis aliis defenſus. Manilius explicatus, & emendatus. Alia multa. Quis ſector, quis cognitor. Lex VIII. D. de bonorum ceſſione explicata, & vindicata.

SALMASIUS de addictis ſatis longã diſſertationẽ habuit in tractatu de Modo Vſurarũ. Voluit Advocatus & de hoc muſtaceo laureolã petere, ac de eadẽ re tractare, ſimul etiã ut haberet causã Salmaſii carpendi, ut in aliis. Quod eodem modo & hic præſtitit, ut in aliis fecit, id eſt, ſumma cum iniquitate, & inſcitia, & indomi-

domita vitilitigandi libidine. Nulla enim bona ratione aut cauſa iuſta ad id impulſum fuiſſe res ipſa oſtendet. Non poterat negare, veriſſimam eſſe ac rectiſſimã Salmaſii in Varronis verbis emendationem, quæ ſic vulgo leguntur lib. VI. D. L. L. *Liber qui ſuas operas in ſervitute pro pecunia quam debeat dat, dum ſolveret nexus vocatur, ut ab ære obæratus. Hoc C. Popilio rogante Sylla dictatore, ſublatum ne fieret, & omnes qui bonam copiam eiurarent, ne eſſent nexi diſſoluti.* Pro illis verbis *C. Popilio*, recte iudicavit Salmaſius eſſe reſcribendum *C. Pœtilio.* An verum hoc negare poteſt Advocatus? Illa autem *rogante Sylla dictatore*, mendoſa ſunt, nec in libris manu exaratis comparent. Quod enim notat Advocatus, ſcriptũ eſſe in veteribus libris *C. Pœtilio Viſolo*, ratio eum fugit. Ad marginem quidem Varronis ita legitur adnotatum, ſed ex coniectura Auguſtini aut Itali alicuius viri docti. Turnebus in Notis legit, *C. Popilio auctore.* Sed nullus Popilius legis illius auctor fuit quam conſtat rogatam eſſe à C. Pœtilio Viſolo. Quid igitur in Salmaſii coniectura reprehendit Advocatus Pariſienſis? *Quod*, inquit, *C. Pœtilio auctore, legi volunt, iis aſſentiri non*

poſſum: rogante probum eſt, ac verum. Certe neque illud *rogante* ſollicitaſſet aut loco ſuo moviſſet Salmaſius, ſi id in veteribus libris lectum eſſet. Ipſe etiam Turnebus totius Romanæ antiquitatis peritiſſimus vir, non dubitavit emendare, *C. Popilio auctore*, pro *Sylla dictatore*. Hoc tamen falſum eſt, quod *Popilio* ſcripſerit pro *Pœtilio*. Sed cur naſo Advocati non placet illud *auctore*, pro vulgato *dictatore*, & mallet *rogante*? *Conſul*, inquit, *rogabat, non auctor erat, ſenatus auctor erat.* Quæ verba magnam imperitiam produnt morum rerumque Romanarum. Conſules omnium legum quæ per rogationem populi ferebantur, ſummam poteſtatem habebant. Vnde & *rogationes* illæ leges vocabantur quas rogante conſule plebs ſciſcebat. Polybius lib. VI. de conſulum poteſtate, primo dicit, πασῶν eos eſſe κυρίους δημοσίων πράξεων, *Omnium quæ publice geruntur ſummum imperium ac poteſtatem habere.* Deinde addit, πρὸς δὲ τοῖς προειρημένοις οὗτοι τὰ κατεπείγοντα τῶν διαβουλίων ἀναδιδόασιν· οὗτοι τὸν ὅλον χειρισμὸν τῶν δογμάτων ἐπιτελοῦσι, καὶ μὴν ὅσα δεῖ διὰ τοῦ δήμου συντελεῖσθαι τῶν πρὸς τὰς κοινὰς πράξεις συντελούντων, τούτοις καθήκει φροντίζειν, καὶ συνάγειν ἀεὶ τὰς ἐκκλησίας, τούτοις εἰσφέ-

εἰσφέρειν τὰ δόγματα, τούτοις βεβαιοῦν τὰ δοκοῦντα τοῖς πλείοσιν. *Præter illa quæ diximus, quoties deliberationes de rebus magnis & urgentibus expetunt, referendi iidem ius habent. De his etiam quæ fuerint decreta, Senatuſconſulta conficiendi poteſtas penes ipſos eſt. Deinde & omnes publicæ actiones quæ per populum fieri debent ad eorum curam pertinent. Item conciones populi advocare, rogationes ferre, & ſuffragiis maioris partis populi legem aut plebiſcitum condere.* Ergo conſul qui legem rogabat, eius etiam auctor habebatur, eaq; *rogatio* dicebatur. Populi rogandi hæc formula fuit, *velitis iubeatis, Quirites.* In ipſa rogatione condenda hæc verba ponebantur, *conſules populum iure rogaverunt, populuſque iure ſcivit.* Senatus autem auctor fiebat in his magiſtratibus quos populus creaverat. Non enim magiſtratum gerebat is qui ceperat, ſi patres auctores non erant facti. Auctor igitur legis habebatur conſul qui eam rogabat, nec ſenatus in his rogationibus auctor fiebat, quia non eas confirmare neceſſe habebat. Auctor autem in eiuſmodi rebus is proprie eſſe ac dici ſolebat qui eam adprobabat. Vnde *auctor* βεβαιωτής in Gloſſis exponitur. Vt apparet, non moris Romani peritior eſt Advocatus

quam Iuris Attici. Scripſit Salmaſius ante legem à Pœtilio rogatam, & à populo ſancitam in favorem addictorum ne amplius nexum inirent, eos qui conditoribus addicebantur in eam ſervitutem redigi ſolitos, ut non ſolum cives eſſe deſinerent, ſed etiam à creditoribus ſuis impune trucidari poſſent. Non poſſe his aſſentiri ſe dicit Advocatus. Non mirum ſane. Nam qui rerum harum nullum ſenſum habet, nec aſſenſum commodare poteſt illis quæ recte vereque adfirmantur. *Sane*, inquit, *ſerviebant, ſed ſervi non erant.* Et Varronis locum citat, qui à Salmaſio emendatus eſt, ut probet quod dicit. *Liber qui ſuas operas in ſervitute pro pecunia quam debet, dat, dum ſolveret.* Sed miror, Advocatum non animadvertiſſe, latum differentiæ limitem extitiſſe inter hominem liberum qui ſponte ſua operas ſuas in ſervitute dabat creditori donec ſolviſſet, & inter debitorem addictum creditori ſententia iudicis, & ex condemnatione deditum illi vel dediticium factum, & ſervituti mancipatum. Liber ille qui ſponte ſua operas ſuas dabat pro pecunia, vel pro uſura pecuniæ quam debebat, ubi pecuniam quaſi ſui pretium ex operis ſolviſſet, liberabatur,

tur, & ſervitutem exuebat. *In ſervitute* proprie eſſe dicebatur, non *ſervitutem ſervire*. Addictus autem, id eſt, damnatus creditori ſuo, libertate in totum excidebat, & vitæ neciſque poteſtatem in eum creditor adipiſcebatur. Non ius igitur civitatis poterat retinere huiuſmodi addictus, cum libertatem penitus amitteret. Nemo autem civis niſi liber. Quod quis emerat iure, id vendere poterat priſco Iure Romano, ſed & occidere æque ſervum, ut equum vel bovem. Addictus autem is erat, qui ſententia iudicis venditus creditori ab eo ita deinceps poſſidebatur, ac ſi ęre emptus eſſet. Nam & *addicere* vendere eſt. Vnde & *fundus addictus*. An non lege XII. Tabularum tertiis nundinis venundari poterant huiuſmodi ob æs alienũ addicti, atq; etiã interfici? *De venditione*, inquit, *verba audio, rem non video*. Ridicule. An aliter rẽ videre vellet, quam quomodo videndam exhibent verba ipſius legis quæ rem permiſit? Licuit lege duodecim tabularum creditoribus addictum ſibi debitorem venundare, licuit occidere, licuit in partes ſecare ſi pluribus eſſet addictus creditoribus. Stulte rem quærit qui legem tenet à qua res manavit. An cadavera occiſo-

rum debitorum à creditoribus ſubiici oculis ſuis cuperet, ut occiſos aliquando aliquos credere poſſet? De venditione addictorum primo dubitat, an unquam fuerit uſu recepta. Quam inſcita hæc dubitatio? Si maius permiſſum fuit, cur de eo quod minus eſt ambigamus? Si licuit occidere, multo magis & venundare. Lege Solonis vendi poterant, & quidem peregre exportari ob æs alienum addicti. Plutarchus, in Solone. Χρέα λαμβάνοντες ἐπὶ τοῖς σώμασι ἀγώγιμοι τοῖς δανείζουσιν ἦσαν, οἱ δ' ἐπὶ τῇ ξένῃ πιπρασκόμενοι. Qui ἀγώγιμοι fiebant, in poteſtate eorum quibus addicebantur ſic erant, ut vitæ ius & necis in eos haberet. Hæc enim pœna fuit ἀγωγίμων, quacunque ex cauſa facti eſſent ἀγώγιμοι. Legem Solonis de obæratis addictis in duodecim tabulas à Romanis legiſlatoribus tranſlatam fuiſſe, nemo eſt qui ignoret præter Advocatum fortaſſe Pariſienſem. Hinc & lege duodecim tabularum licuit creditori addictũ ſibi debitorem venundare, occidere, & in partes ſecare cum pluribus creditoribus ex æquo eſſet addictus. Agellius cap. I. lib. XX. *Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant.* Rerum Romanarum, & antiqui-

tiquitatis Iuris Quiritium maiorem habet peritiã ſcilicet Advocatus Pariſienſis, quã Favorinus aut Cæcilius Iuriſconſultus habuere quos ibi introducit Agellius de his differentes? Non credet fortaſſean Advocatus & legẽ aliquã in duodecim relatã tabulis fuiſſe quæ talionẽ pro mẽbro rupto exigeret. *Omnes, inquit, ſcriptorũ loci à nobis allati, & cæteri omnes eiuſmodi, ſatis ſignificant, ſervitio eos tantum mancipatos, non ſervituti, & quod de necis poteſtate dicunt id à vero plane alienum puto.* Tu putas? Certe inepte putas, & hoc ſimile eſt cæteris tuis hariolationibus. Si loci auctorum aliquot fidẽ faciunt, addictos debitores in ſervitium à creditoribus fuiſſe abductos, non propterea negandum eſt, necis in eos poteſtatẽ habuiſſe creditores, vel vẽdendorum eorumdẽ facultatẽ qui ſic ſibi addicti forent. Tanto magis id dicendũ. Nõ ſemper occidebãt ſervos aut addictos domini vel creditores. Qui ſibi utiles eſſe poterant, eos ſervabant, & eorum opera utebantur. Addictos prorſus inutiles, præ ſenio vel cõtumacia in ſerviendo, ne alere cogerentur nulli uſui ſibi futuros, aut trans Tiberim venundabant peregre, aut necabant. Non reperiuntur exempla necis apud auctores. An ideo non uſurpa-

tam fuiſſe dicendum, cum ſtent contra verba legis quæ diſertiſſime id permiſit? Superat vero omnem inſcitiam quod hic *ſervitium* à *ſervitute* diſtinguit. Quod & alibi fecit in illo tractatu. Qua alia maior imperitia non poteſt fingi. Hodie *ſervitium* vocamus in idiomate vulgari Gallico locaticiam operam, quam mercede conducti famuli præſtant. Officium etiam quod amicus amico confert, *ſervitii* nomine nuncupamus. Apud Romanos autẽ veteres nunquam aliter *ſervitii* vox ſumitur quam pro ſervitute, aut ſervorum multitudine. Soſipater Chariſius, lib. 1. de Analogia: *Servitium multitudo eſt ſervorum, ſervitus conditio ſerviendi, ſed veteres indifferenter ſervitium & pro ſervitute poſuerunt. Servitio enixæ tulimus*, Virgilius tertio. Alibi etiam apud eumdem Virgilium in eodem ſignificatu occurrit:

Cum domus Aſſaraci Phthiam claraſq; Mycenas
Servitio premet.

Apud Terentium ſervus ita herilem filium alloquitur:

Ego, Pamphile, hoc tibi pro ſervitio debeo, capitis
Periculum adire. &c.

Id

Id eſt, ſervitutem. Apud poëtam elegiacum:

Iam mihi ſervitium video, dominamque paratam,
Hei mihi libertas illa paterna, vale.

Nam amantes ſervi amaſiarum. Vnde illud comici:

Præſertim cum ſe ſervum fateatur tuum.

Et ſane cum *ſervitium* à ſervo derivetur, non poteſt aliud eſſe quam ſerviendi actus, vel conditio, atque etiam ut quidam ſcripſere, *ſervi patientia.* Pro ipſa ſervitute ſæpius apud veteres accipitur. Non aliter accipienda hæc vox in loco Livii quem citat Advocatus, de nexo ita exclamante, *Ductum ſe à creditore non in ſervitium, ſed in ergaſtulum, & carnificinam eſſe. Inde oſtentare tergum fœdum recentibus veſtigiis verberum.* Quid hîc eſt *ſervitium*, ſi ſervitus non eſt? Queritur nexus ille, ſe non in ſimplicem ſervitutem ductum, ſed in ergaſtulum. Hæc peſſimorum ſervorum pœna fuit, ut in ergaſtulum darentur vincti & inſcripti, opuſque ibi facerent. Qui merebantur occidi, ita puniebantur, vitam trahentes omni morte duriorem ac miſeriorem. Verbis illis adductis ſubiungit Advocatus: *Sane ille nihil omittebat quo poſſet plebis indignationem excitare, & fænera-*

neratoribus invidiam creare. Ad eam rem ergaſtulum & carnificinam crepabat: tergum veſtigiis verberum fœdum oſtentabat. Quid hoc rei erat, ſi occidere eum licuiſſet? Immo cui tam crudeles pœnas de nexo ſumere impune licuit, nec longe fuit quin & occidere liceret. *Invenies*, inquit Seneca, *ſervum, qui flagellis quam colaphis cædi malit, & qui mortem ac verbera tolerabiliora credat quam contumelioſa verba.* Sed nimis delicati erant iſti ſervi. At ingenuo, & civi Romano nato, quanto tolerabiliorem mortem fuiſſe putamus, verberibus, & vinculis, & ergaſtulo? Servi à fuga retracti, & cruce digni non ſemper hoc ſupplicio afficiebantur à dominis, ſed in ergaſtulum compingebantur, ubi vincti opus faciebant, & ſtigmate frontem inuſti, ubi etiam interdum fame & miſeria enecabantur. Alia præterea conditio fuit eorum qui in nexum ſe dabant ſponte ſua, & in ſervitutem ſemet ipſos tradebant creditoribus ſuis donec pecuniam ſolviſſent. Non idem iuris in iſtos creditoribus fuit atque in iudicatos & addictos. Ex horum genere homo liber Varronis, *qui operas dabat in ſervitute pro pecunia quam debebat.* Item Publius ille apud Liviũ lib. VIII. qui ob æs alienũ paternum

in nexum ſe Papyrio dederat. Is etiam Publius quod libidini creditoris flore eius abuti volentis parum ſe morigerum præbuiſſet, verberibus ab eo laceratus in publicum ſe proripuit, libidinem crudelitatemque conquerens fœneratoris. Ex qua unius impotente iniuria creditoris, factum eſt, ut conſules ad populum tulerint, ut propter pecuniam creditam bona debitoris non corpus, obnoxia fierent. Nam anteà etiam ii debitores, qui ſponte ſua nexum iniverant, apud creditorem in nervo & compedibus tenebantur. Quæ omnia Salmaſius in libro de modo uſurarum luculenter proſequutus eſt, & fruſtra ea incruſtare voluit nugator Advocatus. Patiatur æquo animo ſibi dici quod meruit audire. Nonne meræ nugæ ſunt quæ ſtatim ſubnectit de ſectione? *Quid igitur*, inquit, *ſibi volebat illa debitorum ſectio lege duodecim tabularum ſancita? Si enim communem debitorem plures in partes ſecare poterant quidam, poterant ſuum quiſque debitorem trucidare.* Optime ſane nunc ſic ratiocinatur, & eodem argumento uſus Salmaſius ſcripſit, lege duodecim licuiſſe creditoribus ſibi addictos, ſi vellent, interficere. Quid igitur tantopere fringutit Advocatus, ut hoc infi-

inficietur? Sed ad nugas & hariolationes ſibi ſollemnes ſtatim revolvitur, cum ſubiicit: *Sane ſectionem illã, niſi graviſſimorum ſcriptorum, Quintiliani, & Tertuliani obſtaret auctoritas civilius multo interpretarer quã verba videntur poſtulare.* Ain tu? Tu civilius eam ſectionem interpretareris, niſi obſtaret Quintiliani, & Tertulliani auctoritas? Non potes igitur iſta tua civilitate interpretationis uti, quandoquidem te tanti auctores ab ea deterrent. Fatendum igitur tibi eſt, cum ſectio debitoris unius inter plures creditores permiſſa lege duodecim tabularum fuerit, licitam etiam fuiſſe eadem lege trucidationem. Hoc enim neceſſario conſequitur. Ego vero, ut ita fuiſſe credam, quod & credidit Salmaſius, non moveor auctoritate Quintiliani, nec Tertulliani, ſed ipſius legis potius verbis expreſſiſſimis, & diſertiſſimis, quibus hoc ſancitum eſt, & quæ Quintilianum & Tertullianum moverunt ut id traderent quod in ipſa lege continetur. Non igitur Quintilianus, nec Tertullianus civilem illam tuam interpretationem auctoritate ſua cohibẽt ac reprimunt, ſed verba ipſa legis, quę nullo modo liceat aliter interpretari. Sed civilem illam tuam expoſitionem videamus

mus an ferre eam lex poſſit,ſicut apud Agellium concepta eſt, quem tu vir tantus in cognitione Romanæ antiquitatis tam contemptim conteris, ut nihil illum morari te dicas. Promptius fuerat,te, dicere, nec legem ipſam morari. Nam Agellius non alio teſtimonio utitur,ut id probet quod aſſerit, quam ipſius legis. Ego vero certo ſcio amanuenſem Agellii maiorem antiquitatisRomanæ peritiam habuiſſe, quam te, qui patronus cluis celeberrimus fori Pariſienſis. Iam examinemus civilitatem interpretationis de ſectione debitoris permiſſa duodecim tabulis. *Servus*, inquit, *communis ſecatur,& dividitur in partes, & unuſquiſque eorum quorum ſervus eſt, partem ſuam habet.* leg. v. π. 1. De legatis 1. Et leg. 11. π. 1.D.de verborum obligationibus. Vide ineptiam hominis. Leges illæ quas citavit non meminerunt ſervi ſecti in partes.Lex illa v. D. de legatis 1. *communis ſervi* meminit. Eum, ſi legatus eſſet, totum deberi putavit Labeo. Trebatius contra partem tantum deberi reſpondit. Quod pars ſervi deberetur,non ex eo ſequitur, ſervi ſectionem in partet dari. Non recipiunt ſectionem niſi quæ in partes dividi poſſunt natura ſua. In lege autem 11.D.

de verborum obligationibus, ſcribitur. *Stipulationum quaſdam partium præſtationem recipere, veluti cum decem dari ſtipulamur: quaſdam non recipere, ut in his quæ natura diviſionem non admittunt, veluti cum viam, iter, actum ſtipulamur. Quaſdam autem partis quidē dationem recipere ſed niſi tota dātur, ſtipulationi ſatis nō fit, veluti cū hominē generaliter ſtipulor.* Ubi illa ſervi communis in partes ſectio, quā mirificus Iuriſcōſultus Pariſienſis ex legibus ſupraſcriptis nobis obtrudebat? Pars ſervi legari poteſt, ſed ſervus in partes ſecari nō poteſt, niſi necatus. Cui bono aut cui uſui partes ſervi ita ſecti? Hic locum habet veteris Iuriſconſulti apud Quintilianū reſponſum quærenti mercatori quomodo navim cū ſocio divideret, *Navē*, inquit, *ſi dividis, perdes.* Luſit in vera ſignificatione verbi *dividendi.* Nā navis ex illis rebus eſt, quæ natura diviſionem non admittunt, ut loquitur Paulus. Partis tamē dationē recipit, ut ſervus. Sed nec ſervus nec navis in partes ſecari debent, ac dividi, ut partium datio in his recipiatur. Subiicit porro Advocatus poſt illud exemplum ſervi in partes ſecti. *Ergo*, inquit, *& debitor pluribus nexus, & addictus, in partes ſecari poterat, ut pro debiti portione unicuique ſerviret, & operas ſuas pro pecunia daret.*

Quæ

Quæ miram ſtoliditatem præ ſe ferunt. Quis unquam audivit fando, *hominem ſecari in partes*, cuius partes aut æſtimantur, ut in ſervo communi cuius pars legata eſt: aut cuius operæ in plures dominos ſive creditores dividuæ fiunt, dum per vices aliis & aliis ſervit? Sed age, demus illi, ne iratum habeamus, quod ſæpe ei audio contingere, ſervum ſecari in partes à debitore eo ſenſu quo voluit, videndum an verba legis hanc interpretationem civiliorem poſſint admittere. Sic illa habent de hac ſectione debitorum: *Tertiis nundinis partes ſecanto. Si plus minuſve ſecuerunt, ſive fraude eſto.* Iudicet nunc, lector, an talis ſectio, quæ lege ſancita eſt, conveniat cum illa ſectione quam hariolatus eſt Advocatus. Tandem tamen poſt varias tergiverſationes, ambages, & peregrinationes mentis, & hallucinationes, quaſi *ἀπ' ὄνου καταπεσὼν*, delabitur invitus an imprudẽs neſcio in eam ſententiam quam Salmaſius propugnavit. *Sed rem ipſam*, inquit, *amplius ſcrutari nihil eſt neceſſe, ſufficit quod iidem ſcriptores teſtantur, iure illo, ſi verborum faciem ſpectes, truculento & ſanguinario, neminem unquam eſſe uſum.* Tantæ molis erat ingenio contumaci, ſemel bona fide veritatis

confeſſionem ſibi pati excidiſſe. Satis iam habemus, hunc fateri, ſectionem & trucidationem addicti debitoris creditori lege duodecim Tabularum fuiſſe licitam. Vti ea potuit quicunque voluit, & qui adeo truculentus fuit ac crudelis, ut ſanguine ſui debitoris paſci ac delectari potuerit. Non eſt quæſtio nunc an aliqui fuerint uſi, cum ſatis certum ſit, uti potuiſſe. Ne talionem quidem membri rupti, eadē lege duodecim permiſſum, uſurpatum paſſim fuiſſe ſuſpicor, vel ea maxime ratione, quod difficillime pariſſimus talio fieri poſſet, ut loquitur Agellius. Et poſtea tandē in deſuetudinē abiit cum ſectione & partitione corporis debitorum, & ad æſtimationē iudici permiſſam redactus eſt. Cum duas autem has leges Romanas, & in duodecim tabulas relatas, è Solonianis expreſſas fuiſſe liqueat, iam hinc etiam poteſt conſtare, ἀγωγίμους debitores in lege Solonis eidē trucidationi factos obnoxios, ut æris confeſſi condemnatos & addictos in lege duodecim Tabularum. Nam *addicti* apud Latinos iidem qui ἀγώγιμοι apud Græcos. Et cum recte docuerit Salmaſius, eodem iure fuiſſe uſos Athenienſes ex lege Solonis in occidendis vel venundandis

dandis debitoribus factis ἀγωγίμοις ſuo creditori, non id ſibi perſuaderi patitur Advocatus, qui nullo alio inductus propoſito hoc facit quam mira contradicendi libidine. Demoſthenes in Ariſtocratea, quæ vis ſit & proprietas τοῦ ἀγωγίμου, & quid iuris vulgo poteſtatiſque daretur in eos qui ἀγώγιμοι eſſent facti, his verbis declaravit: Καὶ μὴν ἕν γε τοῦ ποιεῖν ἀγώγιμον πάνθ' ὅσα ἀπείρηκεν ὁ νόμος δέδωκας, χρήματα πράξασθαι, ζῶντα λυμαίνεσθαι, κακοῦν, ἔχοντα αὐτὸν ἀποκτιννύναι. Non agi eo loco de addictis & iudicatis ob æs alienum, certum eſt, nec Salmaſius id dixit. Sed generaliter oſtendit Demoſthenes, quiſquis quacunque ex cauſa fiat ἀγώγιμος, in illum ea omnia competere & fieri licere quæ ibidem narrat, pecuniarum exactionẽ, maletractationem, mulcationem, atq; etiam occiſionem. Ergo & in eum qui ἀγώγιμος fieret ex condemnatione ob æs confeſſum, ea omnia admittere illi licuit cui fiebat ἀγώγιμος vel addictus. Hæc vis & notio fuit ἀγωγίμου ex quacunque cauſa. Et ridiculus eſt atque inſcitus Advocatus qui cenſet, dictionis huius ſignificationem *variare pro rerum quibus accommodatur varietate.* Quod nunquã probaturus eſt in illis

imaginariis & fruſtra exſpectandis cõmẽtariis de Iure Attico. Idem eſt ac ſi vellet dicere *capitale ſupplicium* nõ ſemper ſignificare mortis aut capitis pœnã, ſed variare pro rerum quibus aptaretur varietate. Ἀγώγιμον Heſychius ſimpliciter καταδεδικασμένον interpretatur, ut Latinæ Gloſſæ *addictum* condemnatum. Non tamen ἀγώγιμος abſolute eum ſignificat qui condemnatus eſt, nam varia ſunt genera condemnationum, ſed illum qui ducendus condemnatus eſt, & ducendus quidem ad arbitrium eius cui eſt condemnatus & addictus. Quacunque igitur ex cauſa aliquis abducendus condemnatur, fit ἀγώγιμος, & in poteſtatem traditur eius à quo ducitur, ut de eo poſſit facere quod ipſi libitum fuerit. Ergo ἀγώγιμοι ob æs alienum confeſſum licuit & venundare, ac ſupplicio capitis afficere, tam apud Atticos ex lege Solonis, quam apud Romanos ex lege duodecim Tabularum. Et cum ſatis certum ſit, hanc legem Tabularum ex Soloniana eſſe mutuatam, cum hæc permiſerit debitoris necem & ſectionem ut illa, inde planum eſt ἀγώγιμον debitorẽ ex lege Solonis potuiſſe impune occidi à ſuo creditore. Malignitatem Advocati vel licet cognoſcere maxi-

me

Digitized by Google

me ex iis quæ iam notabimus. Toto hoc capite xxv. lib. 11. de rerum iudicatarum auctoritate cum variis locis Salmaſium reprehendat, & nunquam nominatim, ſed *doctiſſimorum virorũ* appellatione, hoc loco poſtquam de ſectione creditorum ſententiam eius damnavit, quaſi ſcilicet lege ſtatuta fuerit, ſtatim ſubiunxit Num. VIII: *Quod autem bonorum ſectionem inde appellatam viri doctiſſimi ſuſpicati ſunt, id ab aliis merito improbatum exiſtimo.* Quis per viros iſtos doctiſſimos Salmaſium hic intelligi non ſuſpicaretur? Nam & paulo infra & ſupra cum eum reprehendit, ſic ſolet nominare. Atqui Salmaſius eſt, qui eam opinionem damnavit Iuriſconſulti magni cuiuſdam his verbis, pag. DCCCXXVII. *Ab illa ſectione corporum pecuniæ debitæ obnoxiorum, quæ nunquam Romæ fuit uſurpata, perperam magni Iuriſconſulti derivatam putant ſectionis bonorum appellationem.* Hæc Salmaſius. Sed cum varia varii commenti ſint de ſectionis in hoc ſenſu appellatione, ſomnia etiam ſua narrare ut ſibi liceat, petit Advocatus. Mera certe ſomnia ſunt, & nihil de iſtoc mentitus eſt. Eum audiamus. *Sane*, inquit, *qui haſtam publicam, cui hoſtium aut damnatorum & proſcriptorum bona ſubiiciebantur, ſequi ſolebant,*

lebant, lucro diis hominibuſque exoſo inbiantes, ab eo ipſo ſectores fortaſſe appellati, & ex eo res ipſa ſectio. Nuſquam vidi aliquid aptius ſomnianti excidiſſe. Qui haſtam ſequuntur, *ſectores* ſunt. Ergo & qui caſtra ſequuntur milites, etiam *ſectores*. Qui quodlibet aliud compendium vel lucrum ſequuntur, *ſectores*. Omnes etiam mercatores *ſectores*. Hæc inſulſa ſunt. An *ſector*, idem qui *ſequutor*? An *ſectio* eadem cum *ſequutione*? An *ſector* formari poteſt à ſequor? Is eſt ſequutor. *Pauci,* inquit, *reperiebantur boneſti, aut qui viri boni baberi vellent, qui negotiationem illam facerent.* Quid tum? an propterea ſectio dicta fuit hæc negotiatio, quod nulli viri boni aut honeſti eam ſequerentur? Hæc inepta ſunt. Citat deinde locum Ciceronis ex Philippica ſecunda, quibus hoc ipſum adſtruitur, ingenuos & bono loco natos non debere eſſe ſectores. Poſt Ciceronis verba ſtatim adiicitur ab Advocato, *nec inde alienos eſſe Manilii verſus lib. v. Aſtronomicon.* Verſus illi Maniliani nihil ad eam rem pertinent, ſed de induſtria eos infercire loco alieno voluit Advocatus, ad hoc tantum, ut Salmaſianam in his conjecturam ſuggillaret ac carperet, per fas ac nefas. Vt Scaligeri emendatio-

dationem meliorem eſſe Salmaſiana probaret, dicit, eos verſus à Ioſepho Scaligero, divini ingenii viro, & ſtupendæ omnibus ſæculis eruditionis, emendatos & optime explicatos ſibi videri. Mihi aliter videtur: quamvis non negem, divini ingenii virum fuiſſe Scaligerum, & ſtupendæ omnibus ſæculis eruditionis. Non tamen inde conſequens eſt, ut omnes Scaligeri emendationes & conjecturas pro veris ac certis amplecti debeamus. Ipſe nunc Advocatus in iſtis verſibus Manilianis vel invitus coactus eſt Salmaſii emendationem recipere in ultimo, ubi Scaliger correxerat, *Cogniter eſt urbis*, cum omnes libri haberent, *cognitor eſt verbis*. Recte iudicavit Salmaſius, illud *verbis* non eſſe mutandum in *urbis*, ſed interpunctione ſola mutata ita locum totum eſſe legendum.

Cognitor eſt. Verbis nec non laſcivit amores
In varios, ponitque forum.

In his Manilii verbis citandis admiſit conjecturam Salmaſii, diſſimulato ipſius nomine, quaſi ſi eſſet Scaligeri. Quæ fraus eſt non ferenda. Improbat Salmaſii emendationem, ut præferat Scaligeranam, & tamen ita verſum illum adduxit à Salmaſio emendatum, tanquam ſi ex Scalige-

ri emendatione ſic correctus foret. Si perſpiciamus autem attentius eam Scaligeri emendationem & explicationem Manilianorum verſuum quam tantopere probat Advocatus, nihil inveniemus utraque falſius. Sic igitur legit vir ille ſummus:

Non ullo careat digito, quaque iverit haſta,
Defueritque bonis ſector.

Veteres omnes Editiones habent, *non ullo curant digito*. Palatini codices, ut notat Iunius, *curat*. Quod Advocatus ait iuvare coniecturam Scaligeri. Nulla huius verbi mutatione, ſed legendo *ullos digitos* vel *ullum digitum*, veriſſima huius loci interpretatio elicitur, quæ ſane non poteſt conſiſtere cum lectione Scaligeri. Quid enim hæc ſibi volunt, *non ullo careat digito, quacunque haſta iverit, ac defuerit bonis ſector?* Si bonis ſector defuerit, carebit omnino digito ille de quo loquitur. Falſum proinde erit quod dixit Manilius correctus, non ullo cariturum digito cum defuerit bonis ſector. Vbicunque ſector eſt, ibi digitus. Nam digito ſublato ſectores ſive mancipes ſignificabant ſe auctores eſſe emptionis, ut notat Feſtus. Ubicunque igitur ſector, ibi digitus ſublatus. Vbi deerat ſector, nullus ibi digitus. Non poteſt

teſt igitur ſubſiſtere illa lectio, quæ ponit, non ullo carere digito, quacunque iverit haſta, defueritve bonis ſector. Præterea certum eſt, iſta omnia referenda eſſe ad illum de quo in fine dicitur, *cognitor eſt.* Dicit ibi Manilius ſub illo ſigno produci ſollertes animos, agitataque pectora in uſu, nullis curis deficientia, quæ domo contineri neſciant, ſed miniſtri ſint populi, & per magiſtratus ferantur & per publica iura. Tales ſunt cognitores. Ideo ſubiicit, cognitorem hunc naſci, qui non ullum curet digitum, quacunque haſta iverit, & auctio, adfueritque bonis ſector, ſive reus pœnam lucretur, id eſt, abſolvatur, ſive patriam fraudarit ęris debitor. Nō proſcriptos, non addictos, nec publicæ pecuniæ condemnatos, ſub Hœdo dicit oriente naſcituros, ſed cognitores, qui adſunt reis, & cauſam eorum defendunt. Poſſet etiam retineri *non ulli curat digito.* Nam illius temporis ſcriptores verbum *curandi* iunxerunt cum tertio caſu. Falſum igitur quod ait hic Advocatus, ſectorem futurum vel cognitorem qui ita naſcitur. Quæ ſententia nullo modo poteſt elici ex illis verbis Manilianis. Quomodo enim illa connectentur quæ ſequuntur?

Defueritque bonis ſector, pœnamque lucretur

Noxius, & patriam fraudarit debitor æris.

An etiam cum ſectoribus & cognitoribus naſcuntur fraudatores & interverſores pecuniæ publicæ, de quibus hic intelligit Manilius? Nugæ. Per eum qui patriam fraudavit debitor æris, omnino intelligit poeta reum de reſiduis, vel de peculatu. Sed illud magis. Lege Iulia de reſiduis tenebatur, *qui publicam pecuniam delegatam in uſum aliquem retinuerit, neque in eum conſumpſerit*, ut eſt in leg. 11. D. ad legem Iuliam peculatus. Theophilus eum eſſe dicit, qui pecuniam publicam adminiſtraverat, & reliquator factus, non intulerat reliqua quæ debebat. Hic plane eſt *debitor æris* Manilianus, qui patriam pecunia publica fraudavit. Sub illo igitur ſigno natus inter alia miniſteria publica quæ producit Hœdus, etiam cognitor erit, qui cauſam defendat rei lege Iulia de reſiduis, ſive condemnabitur, & bona eius haſtæ ſubiicientur, & ſectionem eorum manceps redimet, ſive pœnam lucrabitur & abſolvetur, & ſic re vera debitor æris publici patriam ea pecunia fraudaverit. Nam qui condẽnatur, ex bonis ſuis ſatisfacit, & quod rapuit

vel

vel intervertit, eo modo reſarcitur. Qui vero abſolvitur, ut multi per gratiam evadebant, is pœnam lucratur, & debitor pecuniæ publicæ fraudatorque nihilominus manet. Hæc omnino mens eorum Manilii verſuum. Quid voluerit Advocatus, ego certe neſcio, qui ſectorem hic cum cognitore coniungit. *Duo,* inquit, *iſta optime coibant, ſectio & cognitura. Sector & cognitor ſocii vulgo erant eiuſdem emptionis.* Poſſetne nos docere, ecquid illud genus cognitorum fuerit qui ſocii erant emptionum cum ſectoribus? An quia legitur apud Suetonium in Vitellio? *Filius ſectionibus & cognitoris uberius compendium nactus.* Scaliger, qui in Manilio legebat, *cognitor eſt urbis*, cognitorem ibi interpretabatur de eo *qui ſectionibus præeſt, cuius munus cognitura dicitur.* Sed nullus fuit urbis cognitor, nec cognitor unquam hoc ſenſu Romanis cognitus, qui præeſſet ſectionibus. Illa duo iunxit Suetonius, *cognituram* & *ſectionem*, quia ille de quo loquitur, modo cognitoris munere functus fuerat in ſectionibus & ſubhaſtationibus reorum, modo etiam ſectorem egerat. Et plerunque etiam eveniebat, ut cognitor ſive defenſor rei, ſectionem bonorum eius redimeret, ut

amico

amico gratificaretur, & aliquid ei ſervaret quaſi ex incendio, cum quam minimo eam redimere ſatageret. Addit hic Advocatus, *cave autem heic cognitorem accipias pro procuratore, qui eos quorum bona publicata erant, aut haſtæ ſubiiciebantur, defenderet. Nulli erant ibi procuratores, minus etiam cognitoris partes.* Nihil aliud novit niſi *Cave* dicere. Caveat ipſe ab eiuſmodi nugis & ineptiis hariolationibuſque quas ubique in hoc opere larga manu funditat. Si cognitor hic de procuratore ſive defenſore iuris reorum non accipitur, oſtendat quam aliam hæc vox in foro ſoloque Latino notionem habuerit. *Cognitores* erant defenſores præſentium, *procuratores* abſentium. Sed poeta *cognitorem* pro quolibet defenſore poſuit. Reis aderant eiuſmodi defenſores: *& patroni quidem dicebantur ſi cauſam orarent: advocati ſi ius ſuggererent, & præſentiam ſuam commodarent: aut procuratores ſi negotium ſuſciperent: aut cognitores ſi præſentis cauſam noviſſent, & tuerentur ut ſuam.* Hæc Aſconius; qui cognitorem quemvis familiariſſimi defenſorem dictum fuiſſe ait. *Cognitorem iuris ſui* appellat Cicero. Cum publico iudicio damnati & proſcripti bona haſtæ

ſubiiciebantur, etiam locus fuit cognitori, qui videret, an omnia bona condemnati in ea cauſa eſſent, & eius naturæ ut publicari deberent. Qui cognitor iuris perſonæ fuerat, etiam bonorum poterat eſſe, & in ipſa ſectione ac publicatione amico ſuo adeſſe, ne liberi eius fraudarentur portione quam accipere debebant ex bonis patris. Ex bonis etiam damnatorum portiones dabantur adoptivis liberis, ſi fraudis cauſa facta non eſſet adoptio, ut habetur in leg. VII. D. de bonis damnatorum. Et hic etiam cognitoris opera opus fuit, qui defenderet pro damnato & eius liberis, adoptivis non factam fuiſſe adoptionem fraudis cauſa. Contra fiſcum iſti cognitores cauſam ſuorum amicorũ protegebant. Ex libertorum etiam bonis patrono dabatur portio, quam habiturus fuiſſet, ſi libertus morte ſua deceſſiſſet, ut eſt in eadem leg. VII. π. I. Multi alii caſus dari poſſunt quibus cognitor bonis damnati defendendis utilem ac neceſſariam operam debuit præſtare. Gloſſæ *ſectorem* Græce interpretantur *βιώτην*. Salmaſius vocem Græcam expoſuit de eo qui *βίον* alienum redemiſſet, id eſt, univerſam ſubſtantiam, omnes facultates. Notum quippe eſt, *βίον* id

id Græcis ſignificare. Satis cauſæ fuit Advocato, cur hanc explicationem damnaret, quod auctor eius extiterit Salmaſius. Maluit itaque ineptire, & ſollemnia hariolari, quam veris concedere quæ reperta eſſent ab amico quondam ſuo. Quomodo igitur ipſe interpretatur eam Græcam dictionem? Βιώνης, inquit, non eſt βίου emptor ſive ὅλης τῆς οὐσίας, ſed redemptor eorum quæ βίᾳ vi, & ſub haſta diſtrahuntur. Ergo iuxta hanc interpretationem doctiſſimi in Græcis Advocati, βιώνης erit βίας, id eſt, vis ac violentiæ redemptor. Sic enim omnia vocabula compoſita ad hunc modum & in eam ſententiam formata ſunt. Σιτώνης eſt σίτου, ſive frumenti coemptor, & ὀπωρώνης pomorum emptor. Ἐργώνης operum publicorum manceps vel redemptor. Vnde ἐργωνία. Δημοσιώνης publici redemptor, & publicanus. Et ſimilia ὅτα κώνις. Ita ergo βιώνης, qui βίαν redimit. Quæ eſt illa βία ſive violentia cuius redemptor eſt ſector? An ulla βία eſt in illis qui iuſto iudicio damnantur, & quorum bona publicantur, & fiſco vindicantur, haſtęq; ſubiiciuntur? Quæ vis aut quæ violentia in iſtis notari poteſt, quæ ordine iudiciorum peraguntur, ac iure fiunt? An au-

ctiones

ctiones publicæ, quæ haſta poſita ſignificabantur, cum vi & violentia fiebant, ut qui bona in his publicata redimeret, βιώνης, id eſt, violentiæ emptor dicendus fuerit? Vi capiebantur oppida hoſtiũ. Sed ubi capta erant, eorum ſectio vendebatur ſine vi, & mancipes qui eam redimebant, nulla vi utebantur, nulla violentia nitebantur. Nec ipſis etiam vis adhibebatur, ut digitum in eius ſectionibus redimendis tollerent. Quo mentis ſtatu fuerit bonus Advocatus, cum tam aliena hariolatus eſt, vel deliravit potius, neſcio. Contradicendi libido eum excæcavit, vel dementavit Salmaſii reprehendendi inſana cupiditas. Adeo iniquum ſe Salmaſio oſtendit, ut vel ad minurias uſque deſcenderit in eo carpendo. In veteribus Gloſſis exponitur, *Decoquit*, κατειφυρᾷ, ἀποτρεῖτοι. Corruptum illud κατεφυρᾷ, Salmaſius emendavit, καταφυρᾷ, idẽ eſt enim καταφυρᾷν quod ſimplex φυρᾷν, de eo qui rationes conturbat & decoquit. Vulcanius correxit in editione ſua, κάπτει, φυρᾷ. Peſſimis adhærere ſolitus Advocatus hãc emendationem magis probat quam Salmaſianam, cum hæc ſit veriſſima. Nam κάπτειν Græcum eſt verbum obſoletum & antiquum pro *comedere*. Sed abſolute

pro

pro decoquere non ponitur, ut nec *comedere*. Suam quidem ſubſtantiam comedit, qui decoquit, ſed abſolute non dicitur *comedere*, & nec Græce κάπτειν, ſed κάπτειν τὴν οὐσίαν. Et verbum eſt ut dixi antiquum & exoletum. Salmaſius apud Ammonium προσηλύτους vocari notaverat qui ſe in nexum ſponte dederant creditoribus ac ſemetipſos addixerant. Et clara adeo verba ſunt Ammonii, ut interpretatione non egeant, cum ſcribit, Græce ἐξελεύθερον dici τὸν γενόμενον διὰ χρέα προσήλυτον ἢ κατ' ἄλλην τινὰ αἰτίαν δουλεύσαντα, εἶτ' ἐλευθερωθέντα. Qui in ſervitutem ſe dedit ob æs alienum, ubi æs illud exſolvit, & libertatẽ recuperavit, non dicitur ἀπελεύθερος, ut illi qui manumiſſi fuere ex ſervitute, quam ſervierant, ſed ἐξελεύθεροι. Ad neſcio quas nugas confugit Advocatus more ſuo, quæ fidem faciunt, nihil aliud voluiſſe quam contradicere, καὶ δίκαια κἄδικα. Ita magnas opes in foro acquiſivit, æque contra ius ſtando quam pro iure. Non igitur artis oblitus eſt, cum ad hunc tractatum commentandum acceſſit. Simile eſt quod in loco Plutarchi προσθέτους negavit eſſe addictos, ſed, quod neſciebamus, ex novo Teſtamento teſtimonium adduxit, ut nos doceret, προσίθεσθαι idem eſſe

eſſe quod adiicere. Sciat Advocatus, προσθετον additiium ſignificare, atque etiam addicticium, vel addictum. Nec aliter ſumi poſſe in illis verbis Plutarchi ex vita Luculli à Salmaſio allatis. Scribit ibi graviſſimus auctor, totam Aſiæ minoris provinciam à publicanis & fœneratoribus plane populatam ac divexatam fuiſſe. Coactos eſſe provinciales, vendere proprios liberos, ephebos & filias virgines formoſas, publica ornamenta, tabulas, ſacras ſtatuas, & poſt omnia ſemetipſos in ſervitutem dare. & addicere, αὐτοῖς δ' τέλος μὲν ἦν προσθέτοις γενομένοις δουλεύειν. Poſtquam liberos vendiderant, ſemetipſos προσθέτους faciebant, id eſt, addictos ac deditos ſervitui. Quomodo id interpretatur Advocatus? *Poſtquam liberos vendiderant aut in ſervitutem dederant,* (de ſervitute liberorum nihil dixit Plutarchus, ſed ſimpliciter venditos ſcripſit,) *ipſi deinde ſæpius eamdem fortunam ſubibant, & ſuos in ſervitute adiiciebant.* Ubi dixit hoc Plutarchus in illis verbis quæ Salmaſius citavit, & poſt eum adduxit Advocatus, ipſos parentes ſæpius eamdem fortunam ſubiiſſe cum liberis? Cogebantur, inquit, ἰδίᾳ πιπράσκειν υἱεῖς μὲν εὐπρεπεῖς, θυγατέρας

ἢ παρθένους, vendere filios formoſos, & puellas virgines, & pretioſiſſimã quamque ſupellectilem, poſtremo & ſemetipſos in ſervitutem tradere, & addictos facere. An probabile eſt, parentes acceſſionis vice liberis fuiſſe adiectos? Liberos ipſi vendebant ſuos, & ſemetipſos ultimo addicebant. Hęc extrema omnino fuit miſeria, ut venditis liberis ipſi parentes ſe in ſervitutem darent creditoribus, & addicerent. Non vero ut velut παραθήκη & acceſſio liberorum parentes fierent. Docuit Salmaſius, προσθεῖναι etiam idem eſſe quod *addicere*, & propriũ attribuere. Sed & *additus* idem fere quod addictus interdum ſignificat. Vt apud veterem poëtam: *Argus Ioni cuſtos additus*, id eſt, addictus. Hinc etiam *dedere*, pro addicere, & ἔκδοτος, idem, qui addictus: quamvis id neget Advocatus. Non poſſum autem contineri, quin eiuſdẽ emendationem & obſervationem ex eodem capite, in leg. VIII. D. de ceſſione bonorum, pro merito ſuo caſtigem, ita falſa eſt, ac ridicula. Ait Ulpianus in ea lege: *Qui cedit bonis antequam debitum agnoſcat, condemnetur, vel in ius confiteatur audiri non debere*. Advocatus dicit, particulam negativam in Codice Florentino notis incluſam

ſam eſſe, & inde ſignificari dubiam lectionem, & quibuſdam codicibus illam particulam abeſſe. De hoc neſcio an ſit verum. Sed non dubito, falſam eſſe coniecturam Advocati, qui eam expungendam exiſtimat, ut contraria ſententia efficiatur. Quæritur, an qui neque condemnatus eſt, neque eſt in iure confeſſus, bonis cedere poſſit. Ratio, inquit, dubitandi, quia qui neque condemnatus eſt, neque eſt in iure confeſſus, in carcerem ob æs alienum coniici non poteſt. *Sed quid obſtat*, addit Advocatus, *quo minus ante condemnationem aut confeſſionem in iure cedere quis bonis poſſit, etſi non poſſit prius in carcerem detrudi?* Egregia vero ratio, & digna quæ à Iuriſconſulto & Advocato magni nominis adferatur. Quid obſtat? Immo omnia obſtant, ne ad ceſſionem bonorum admitti poſſit, qui nullum debitum agnovit, propter nullum condemnatus eſt, & nullum in iure confeſſus eſt. Qui nihil habet, & nihil debet, cum nulla ei ſint bona quibus cedat, & cauſam non habeat cur cedat, non debet audiri ſi bonis velit cedere. Cur enim cederet, cui nec bona ſunt quibus cedat, nec cauſa ulla cedendi? Qui vero aliquid habet, ſed nihil debet, non huic etiam

cauſa eſt cur cedat bonis, nec cedere volens audiendus eſt. Ille autem qui debitum non agnovit, neque propter debitum condemnatus eſt, neque debitum in iure eſt confeſſus, eodem prorſus loco habetur atque ille qui omnino nihil debet. Quod autem idem celeberrimus Advocatus verba illa, *debitum agnoſcat,* eſſe è gloſſemate pronuntiat, quibus aliquis interpretari voluit iſta, *aut in ius confiteatur,* ſollemnia nugatur, & hariolatur. Rationem addit, quæ contra ipſius obſervationem facit. *Nam quomodo*, inquit, *fingi poteſt bonis aliquem cedere, niſi debitum propter quod cedit bonis, agnoſcat*. Sane nec fingi poteſt, quemquam bonis cedere qui debitum in iure confeſſus non eſt, nec æris confeſſi condemnatus eſt. Tria hæc ſunt diverſa propter quæ aliquis quaſi ex ære confeſſo debeat bonis cedere: Si extra iudicium ſponte ſua debitum agnoſcat, ſi in iure confiteatur, ſi probationibus convictus æris confeſſi condemnetur.

CAP.

Cap. XII.

Tres leges peſſime emendatæ ab Advocato Pariſienſi, in capite primo Obſervationũ. Aliter eæ correctæ. Facta & eventum differre. Specialiter ac nominatim diverſa eſſe. Integra nomina quæ dicantur in leg. XVI. *D. de Adminiſtratione tutorum.*

Hactenus haud male mihi videor refelliſſe quæcumque ad ius Atticum aut Romanum pertinentia in Salmaſii ſcriptis reprehenderat Advocatus Pariſienſis. Quorum refutationem tam feliciter auſim dicere mihi ſucceſſiſſe, quã ipſi infeliciter obtrectatio provenit. Nam ne ſemel quidem eum veritati in reprehendendo litaſſe, neq; æquitatis ullam micam oſtendiſſe, quæ diximus, fidem facient. Ubique iniquum & inimicum animum, & contradicendi potius quam aliquid dicendi quod ad rem faceret, cupidum prodit. Si quæ alia ſunt alterius argumenti ab ipſo culpata, quæque humaniores litteras ſpectant, ea non maiore iudicio neque æquiore trutina penſitavit, hoc ſolum propoſuiſſe ſibi contentus, ut carperet Salmaſium, quam bene aut recte, omnino ſecurus. Ne ſub-

urbicarias quidem ei Eccleſias relinquere voluit, ſed eas eripere quoque tentavit in libros de rerum iudicatarum auctoritate tranſlatas, qui ſic dictas vult omnes civitates ex quibus conſtaret patriarchalis diœceſis. Cum veriſſima ſit Salmaſii ſententia, non alias appellatas fuiſſe Eccleſias ſuburbicarias quam quæ in ſuburbicariis regionibus eſſent conſtitutæ. Suburbicarias autem, vel urbicarias regiones, adeo omnes intra Italiam fuiſſe concluſas, ut etiam ab Italia ſic proprie appellata diſtinguerentur, ut ex aliquot locis Theodiſiani Codicis apparet. Quæ de expoſitione Nicæni ſexti Canonis ſcripſit, de exarchis, de diœceſi, ea omnia tam falſa ſunt quam quæ falſiſſima. Sed de iis Salmaſius ſuo loco & tempore: cuius hæc lis cum ſit, meam facere non inſtitui. Quemadmodum autem armorum periti, ubi ſe texerunt, & petitiones adverſarii declinarunt, ſolent & ipſi qua patere eū vident petere, & inter arma ictū inferre, idem quoque hic factitabimus. Certe experiemur, an eadem facilitate & fœlicitate ſua defendere poſſit Advocatus, quam ipſi Salmaſiana ab eius calumniis vindicavimus. Aliquot hic emendationes & obſervationes
eius

eius examinare decrevimus, ut iudicet lector, an, qui tam paratus fuit aliena ſine ratione impetere, æqualem impetum ſuis propugnandis adferre ſit idoneus. Monobiblon edidit Obſervationũ & Emendationũ, quas ſelectiores, ut videtur, in muſæo ſervatas uſq; adhuc detinuerat, ſuo tempore promendas ad decus ſuũ publicandũ, & doctrinæ cuiuſdam inuſitatæ oſtentandũ exemplũ. Vt in frõiſpicio collocaret ſelectiſſimas, quo illuſtrius & cõſpicuum magis fieret, auſpicatus eſt à duabus falſiſſimis emendationibus, quas ne ipſe quidem tales eſſe inficiari poterit ubi hæc legerit. Capite igitur primo Obſervationum emendare conatur leg. XVI. π. VIII. D. de pœnis. Cuius legis hæc verba ſic vulgo edita habentur: *Eventus ſpectatur, ut à clementiſſimo quoque facta, quamquam non minus eum qui occidendi hominis cauſa cum telo fuerit, quam eum qui occiderit, puniat.* Verum quidem eſt, à viris doctis multa eſſe dicta quibus hanc legem explicarent, quæ omnia longiſſime ab eius vera ſententia abſtiterunt. Quidam libri legunt, *ut à dementiſſimo quoque facta.* Sed doctiſſimi Iuriſconſulti, vocem *clementiſſimo* non eſſe improbandam ſtatuunt: poſſe enim fieri, ut clementiſſimus

mus homo alium interficiat. Hoc ipſo ſatis oſtendunt, mentem Iuriſconſulti à ſe perceptam non fuiſſe. Nec magis eam aſſequuti ſunt, qui ſcripſere, verba iſta, *quamquam non minus*, male cohærere ſuperioribus. Pariſienſis Advocatus aliam iniit viam legis illius illuſtrandæ ac exponendæ. Vt claudus ad baculum, ipſe ad ſollemnes ſibi hariolationes confugit. *Scripſerat*, inquit, *aut ego valde fallor Saturninus, Eventus ſpectantur à clementiſſimo quoque.* Certe valde fallitur. Hoc enim potius. Rationem deinde reddit huius emendationis, quæ ab hariolatione ſumpta eſt: *Aliquis interpretatus erat, eventus facta. Optime, ſed interpretamentum poſtea in textum irrepſit.* Immo peſſime. Non enim *facta* eadē cum eventibus, ut ex hoc verſu conſtat:

... Careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab eventu facta probanda putat.

Facta, ſunt rapinæ, furta, cædes, verberationes. Verberatio itaque factum. Sed ex huiuſmodi facto plerumque alius eventus conſequitur, quam ſibi propoſuerat is qui verberavit. Noluerat occidere, ſed verberare tantum. Mors tamen inde ſequuta eſt. Hic eventus eſt, à facto diverſus. *Facta cauſarum*, in iure non ſunt

ſunt eventus cauſarum. Vnde, *Advocati qui dirimunt ambigua facta cauſarum.* Factum etiam τὸ συγκείμενον exponunt Gloſſæ: At *eventus eſt* σύμβαμα. Idem & *exitus*, ut in iſtis Servii ad illud Aeneidos:

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.
Illic ſunt, & qui fecerunt, & qui conati ſunt. Dicit autem ſecundum Romanum ritum, in quo non tantum exitus punitur, ſed & voluntas. Ita accipitur apud Ovidium in iſto vulgato. *Exitus acta probat.* Clementiſſimi quiq; non factum quod ex voluntate ſpectatur, ſed exitũ & eventum ſpectarunt. Miror autem doctiſſimos viros in lege illa qua emendãda qua explicanda hallucinatos, cũ nullo negotio facillima coniectura erui poſſit veriſſima ſcriptura Iuriſcõſulti, quæ eſt, *Eventus ſpectatur, ut à clementiſſimo quoq, factũ.* Id eſt, ut clemẽtiſſimus quiſq; fecit, qui eventũ ſolitus ſpectare. Vt nos quoq; hariolemur, ſcriptũ fuerat more idiomatis Italici, quod tunc vigebat cum Pandectæ exaratæ ſunt, *facto* pro *factum*. Quod poſtea mutatum eſt in *facta*. Nihil verius hac noſtra emendatione, cui ſuam, certo ſcio, non præferet doctiſſimus Advocatus, ita mihi eius cãdor ingenuus notus eſt ſcilicet.

Eodem capite, quod tanquam τηλαυγὲς πρόσωπον, in ædificio magnifico conſpici voluit, emendat & legem LXXII. D. de evictionibus, quæ ſic habet, *cum plures fundi ſpecialiter nominatim uno inſtrumento emptionis venierint*. Tollendum enim ait, vel *ſpecialiter*, vel *nominatim*, alterutrum quippe gloſſema eſſe, & interpretamentum. Mirum eſt, potuiſſe Advocatum credere cum illa ſua tanta doctrina, *ſpecialiter* idem eſſe quod *nominatim*. Si vendidero aut legavero omnes fundos quos habeo ac poſſideo, generaliter ſic legati cenſentur aut venditi. Si expreſſero, me fundum vendere quem poſſideo in regione Tiburtina; item alium in regione Tranſpadana; item alium in agro Picentino, hæc ſpecialis eſt denominatio. Si nomina etiam fundorum declaravero, ac dixero prædium Tuſculanum me vendere, & Sempronianum, & Mævianum; regioneſq; ſimul adpoſuero in quibus ſita ſunt, aut Italiam aut provincias, ſi Italica fuerint aut provincialia: nõ ſolũ ſpecialiter, ſed & nominatim ea expreſſa à me fuiſſe putandũ. Do lego alicui Seio omnes meos equos. Generaliter legatum conceptum eſt. Do lego equum meum ſpadicem Titio, item gilvũ, item maurum,

&

& album, & glaucum. Specialiter ſic eos denominatos legavero. Si nomina etiam addidero eorum, ut mos fuit olim, hodieque nunc eſt equis nomina indi, dixeroque, me equum Incitatum, Volucrem, Tigrim, Paſſerinum legare, tum ſpecialiter & nominatim factum legatum procedet. De auro & argento facto legato idem etiam dici poteſt. Aurum omne meum factum ſi legavero, generale eſt legatum, & omnia vaſa aurea quæ mea fuerint, legata cenſentur. Si ſingulas ſpecies & formas vaſorũ enumerare libeat, *ſpecialiter* id erit legatũ: *nominatim* autem, ſi, ut ea appellabantur à nominibus præſtantiſſimorum ac celeberrimorum artificum, ita fuerint nuncupata. Vnde alia *Clodiana*, alia *Firmana*, alia *Glaniana*, in argento apud Martialem:

Nec deſunt tibi vera Glaniana.

In fictilibus etiam nomina illuſtrium figulorum inſcribebantur, & ab his denominabantur, ut paſſim videre eſt in antiquariorum cimeliis. Paulus lib. III. ſententiarum, Tit. VII. *Argento legato, maſſæ tantummodo debebuntur. Vaſa enim quæ proprio nomine ſeparantur legato non cedunt.* Quæ tamen etiam liceat aliter interpretari,

conſultus, ex quibus nihil ſalvum eſſe poteſt creditori. *Male contracta*, quæ dubia ſunt, ex quibus pars aliqua fortaſſe poterit ſervari. At *integra* eidem appellantur nomina bona & idonea, & quorum nihil deperdi poteſt, ſed totum recuperari. Cum igitur tutor ſuo nomine pecuniam pupilli credidiſſet, quæſtio fuit quęnam ex nominibus à tutore contractis iudicio tutelæ pupillus agnoſcere deberet. Et Marcellus quidem exiſtimavit, poſſe dici, *nomina integra*, id eſt, ex quibus integrum debitum recipi poſſet, pupillo ſalva eſſe, id eſt, ſervanda eſſe, deperdita autem, & male contracta, id eſt, partim omnino mala, & ex quibus nihil omnino reciperari poſſet, partim dubia & male credita, ad tutorem pertinere. Hic eſt ſenſus illius legis. Si quid eſſet mutandum, corrigere liberet, *nomina integra pupillo ſua eſſe*. Sed idem ſenſus ex vulgata oritur. Poteſt mihi ſalvum eſſe integrum quod credidi, poſſum & integrum deperdere, id eſt, ὁλόκληρον. Non igitur *ſalvum* poteſt eſſe interpretamentum τοῦ *integri*, ut perperam putavit Advocatus.

CAP.

CAP. XIII.

Quid ſit πωλεῖσθαι πεφασμένως, in lege Attica de meretricibus. Non eſſe, quæſtum palam facere. Expoſita ea lex. Quid ſit αἱμασιὰ, in alia lege Solonis. Eadem explicata, & emendata. Αἱμασιὰν *eſſe maceriam.*

CUM tanto hiatu tot locis minetur commentarios ſuos de Iure Attico Pariſienſis Advocatus, an aliquid grandibus promiſſis dignum efficere poſſit, ex parvis ſignis placet nunc oſtendere. Ex his quidem quæ iã ſupra notavimus cum Salmaſium adverſus eius calumnias defenderemus, abunde planum perſpicuumque fecimus, nihil ab eo debere expectari aut ſperari, quod pretium operæ ferat. Nunc etiã ex trama, qualis futura ſit telæ textura quę nondum eſt confecta, fortaſſe nec inchoata, colligamus, ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα πρόδηλον. Cap. XXXIII. Obſervationum, ubi definitionem meretricis attulit, eam nempe eſſe quæ palam quæſtum facit, *palam quæſtum facere*, eſſe, ait, quod lex Attica πεφασμένως πωλεῖσθαι dicit. Si legem illam Atticam ita interpretabitur in Commentario de Iure Attico,

tico, ut ſit *palam quæſtum facere*, magnum ibi peccatum commiſerit, & in meretrice quidem explicanda. Putavit, πωλεῖσθαι in illa lege idem eſſe quod proſtitui ad quęſtum, & venundari. Sed aliud longe ſignificat, nimirum idem quod ire, ambulare, ventitare. Quæ palam igitur ad omnes ventitabant noctiũ vendundarum gratia, & quæſtus corpore faciendi, eæ verbis Atticæ legis πεφασμένως πωλεῖσθαι dicebantur. Id eſt, ut interpretatur in Lyſias Oratione prima cõtra Theomneſtum, φανερῶς βαδίζειν, in his verbis; ὅσαι δὲ πεφασμένως πωλοῦνται, καὶ οἴκησιν, καὶ βλάβης τὴν διπλῆν εἶναι ὀφείλειν. Quibus verbis interpretationem hanc ſubiungit Orator, προσέχετε τὸν νοῦν, τὸ μὲν πεφασμένως ἐστὶ φανερῶς, πωλεῖσθαι δὲ βαδίζειν. Atticis πωλεῖν eſt vendere, vel venundare, ſed πωλεῖσθαι apud eoſdem non accipitur pro venundari, ſed pro ventitare eodem ſæpius, & convenire. Heſychius: πωλεῖται, συνεχῶς ἐπὶ τὸν αὐτὸν τόπον παραγίνεται. οἱ δὲ καθ' ἡμᾶς περνᾶσθαι λέγουσι. Manifeſte Atticis πωλεῖσθαι ſignificare ait, ſæpius in eumdem locum convenire & congredi: apud alios Græcos pro *venundari* ſolere accipi, quaſi paſſivum ex activo πωλεῖν. Idem, πωλούμενοι, συνιόντες. Et πωλήσεις,

φοι-

φοιτήσεις. Item, πωλεύμενος, συνερχόμενος. Et mox, πωλεῖσθαι, ἐπιμελῶς καὶ πολλάκις φοιτᾶν. Sed & πωλεῖσθαι apud Homerum paſſim pro verſari, & in eumdem locum frequenter commeare, ἀναστρέφεσθαι. Unde apud eumdem: πωλεύμενος ἔνθα καὶ ἔνθα. Odyſſ. χ:

Ὡς ἐγὼ οὔτε ἑκὼν ἐς σὸν δόμον, οὐδὲ χατίζων
Πωλεύμην.

Non ſponte nec ullius rei indigens domum tuam ventitabam. Πωλεῖσθαι ergo πεφασμένως, proprium eſt meretricum, quæ aperte ad quoſvis ſe conferunt, & ad ædes ventitant, ut noctes paciſcantur unam vel plures, & ſic concubitus ſuos vendunt. Diobolaria proſtibula in lupanaribus ipſis, quæ πορνεῖα Græcis, copiam ſui faciebant, parvo ære mercabilia. Honeſtiores domum ventitabant, quales fuere Laides, Thaides, Phrynæ, & aliæ eiuſmodi publicarum libidinum victimæ, de quibus Comici Græci, & Latini in comœdiis palliatis. Huiuſmodi meretrices, quæ ab alio ad alium tranſibant, interdum militi per annum operam dabant, mox philoſopho, deinde & mercatori, equæ vere deſultoriæ. περιπόλους & δρομάδας eas Græci vocabant, ut apud Comicum:

cum, ὦ κάϑαρμα καὶ σκέπολε καὶ δρομάς. Pro meretricibus etiam habebantur lege Attica quæ in foro aliqua promercalia palam & aperte habebant, & quæ in taberna ſedebant mercium vendendarum gratia. Sic enim exponenda ſunt iſta verba, μὴ ἐπὶ ταύταις μοιχὸν λαβεῖν ὁπόσαι ἂν ἐπ' ἐργαστηρίου κάθηνται, ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως. Quæ perperam vir doctiſſimus Latine reddidit, in Commentario legum Atticarum, *ne quis pro mæcho præhenditor in meretrice vel in lupanari vel publice proſtante.* Imo vertendum fuit, Mœchum cum illis comprehendi non licere quæ tabernam exerceant, aut quæ in foro aliquid vænale habent aperte ac publice. Atque ita recte verba Demoſthenis interpretatur Harpocration ex ea contra Neæram, ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσιν ἀποπεφασμένως. Quæ Didymus accipiebat de his quæ in propatulo meretricantur, πορνεύουσι φανερῶς. Sed certum eſt, Demoſthenem eo loco πωλεῖν in propria ſignificatione accepiſſe, & legẽ eſſe ita exponendam, quæ voluit, ſi quis deprehendatur cum eiuſmodi muliere quæ in foro aliquid vendit ἀποπεφασμένως, pro mœcho eum comprehendi non poſſe. Aliud eſt πωλεῖν διαπεφασμένως vel ἀποπεφασμένως, quod

Z dicitur

dicitur de ea muliere quæ ad viros ventitat lucri gratia palam & aperte, noctem paciſci ſolita, & corpus cuilibet proſtituere. Aliud indicium inſcitiæ Advocati in Attico iure & lingua Attica, ex alia lege Solonis, quæ extat apud Gaiũ leg. ult. D. finium regundarum, hic prodã. In qua lege qui *αἱμοσιαν* interpretati ſunt maceriã, neſciſſe quid eſſet maceria, haud veretur pronuntiare diſertus Advocatus. Non memini nunc quinam ſic interpretati ſunt, & fortaſſe potuit eſſe Salmaſius. Quod tamẽ non ſuccurrit, an in aliqua parte ſcriptorum eius id adnotatũ ſit. Sed certe ſcio, ipſum Advocatum, qui negat *αἱμασιὰν* eſſe maceriam in lege Solonis, neſcire quid ſit *αἱμασιά*. Verba legis ita ſe habent. *Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ᾽ ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν.* Si de ſæpe eam *αἱμασιὰν* accipiamus, non video rationem cur iuxta alterius agrum inſeri eam permiſerit Solon, dummodo terminum non tranſiliat, id eſt, in ipſo termino eam inſerat. Nam de ſæpe viva hæc intellexiſſe videtur Advocatus, & verbum *ὀρύγῃ* fortaſſe etiam innuit ita eſſe accipiendum. Sæpes autem viva iuxta alterius agrum inſita multum ei nocere poteſt. Nam radicibus ſub terram emiſſis

emiſſis ſenſim propagatur. Nec cauſa fuit Soloni, ut talis ſæpis plantandæ licētiam dederit in ipſo termino, cū certū ſit, nihil eſſe quod in vicinū locū ſeſe facilius extendat & citius propagetur & vires terræ exſurgat, quā ſæpes eiuſmodi vivas, quas vulgo *concides* vocamus, & veteres *concædes*. Sed Advocatus urbano otio marcidus, vel forenſibus negotiis diſtractus, naturā arborum & ſpinorum ex quibus ſępes fiunt, reſq; ruſticas parū intelligit, ut in iis haud multum verſatus. Cum oleam & ficum novem pedes diſtare voluerit à vicini fundo, & alias arbores quinque, non veriſimile videtur, ut arbuſta & ſpineta ex quibus ſæpes concinnantur, in ipſo termino iuxta vicini agrum inſeri voluerit. *Αἱμασιὰ* igitur in hac Solonis lege maceria eſt ſive murus ex ſicco lapide & temere collecto compoſitus, ut vulgo etiam nunc in finibus agrorum ad eos tuendos fieri ſolent. Non mirum igitur, ſi eiuſmodi maceriam in ipſo confinio non ultra terminum poni permiſerit. Non enim vicini fundo poteſt nocere. Si quis vero *τειχίον*, id eſt, murum ex lapide ſtructili cum cemento ad tutandum agrum ſuum ædificare vellet, pedem longe à vicini fundo

 abeſſe

abeſſe eum ſanxit. Hæc igitur differentia eſt apud Atticos *αἱμασιᾶς* ac *τειχῶν*. *Αἱμασιά* ex fortuito lapide collectus murus, *τειχίον* ex lapide ſtructili ædificatus. Heſychius: *Αἱμασιά, τὸ ἐκ πολλῶν λίθων λογάδων ἄθροισμα*. *Congeries ex multis lapidibus collectis*. Suidas: *αἱμασιά, τὸ ἐκ χαλίκων ᾠκοδομημένον τειχίον ἄνδ. πηλῦ, παρ' Ἡροδότῳ*. *Ex multis ſilicibus murus conſtructus abſque luto*. Id eſt, ex aſſo vel ſicco lapide, ut Latini loquuntur. Euſtathio *αἱμασιὰ ἐκ λεπτῶν λίθων τειχίον*. Qui ex ſpinis ſæpem eſſe voluerunt inepti Grammatici, ſonum vocis reſpexerunt quaſi ab *αἷμα* dicta eſſet *αἱμασιά*, quia digitos pungat, & ſanguine perfundat tractata, ut pote ex aculeatis fruticibus contexta. Sed aliud eſt huius dictionis etymon. Dicta enim *αἱμασιά*, quod ad viam poſitis vineis vel agris ſępimentum prętet, eaſque à viantibus defendat. Nam *αἶμος* veteri lingua Græca, via eſt vel curſus. Secundum vias itaque poſita in finibus agrorum ſæpimenta ac munimenta, *αἱμασιαί*. Maceriam autem Latinorum aut Græcorum *αἱμασιάν* eamdem eſſe, vel illud indicio eſt, quod maceria etiam ex lateribus fiebat crudis coctiſve ut & *αἱμασιά*. Heſychius: *Αἱμασιαί, οἱ φραγμοὶ πλατεῖς ὑπὸ πλίνθων ξηρῶν καὶ δ ...*
Varro

Varro lib. I. cap. XIV. de R.R. cum quatuor genera maceriarum faciat, primũ, ex lapide quod fieret, ponit: ſecundum è coctilibus lateribus, ut in agro Gallico: tertium è lateribus crudis, ut in agro Sabino: quartum quod ex terra & lapillis compoſitis ea forma, ut in Hiſpania & agro Tarentino. Apud Agrimenſores congeries lapidum in fine agri ad eum tuendũ, maceria eſt. Si lapidoſus eſſet ager, repurgabatur, & ex cõgeſtione lapidũ, qui dempti ex agro fuerant, maceriæ fiebant. Auctor incertus: *Congeries maceriæ, id eſt, ubi ſaxa collecta ab utriſque limites dederunt.* Hæc pervulgata fuit & maxime communis maceriæ ſpecies Latinis, ut etiam Græcis αἱμασιὰ, quam ἐκ λίθων λογάδων ἄθροισμα Grammatici interpretantur, id eſt, *ex collectis lapedibus congeriem.* Mirum porro, tantum virum in Græca litteratura, ut etiam promittere auſit de iure Attico commentationes, non animadvertiſſe, minime Græcari verba legis Atticæ ſicut ea citavit, ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ. Vnde enim illud ὀρύγῃ factũ, aut qua forma? Saltem ὀρύττῃ legi deberet, ut infra, ἐὰν ᾗ τάφρον ὀρύττῃ. Sed ne ſic quidem hic aptum ſit hoc verbum. Foſſa vel fovea foditur ac deprimitur.

 quod

quod eſt ὀρύττειν, non autem maceria, vel murus, vel caſa. Nec audio qui interpretantur, *ſi quis ſæpem ad alienum agrum fodiens ducat.* Ab hoc verbo ὀρύγῃ pendent & quę ſequuntur, ἐὰν δὲ τειχίον, πόδα ἀπολείπειν. ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας. Nemo unquam dixit, murū fodi aut ædificium, quod erigitur potius & è terra elevatur. Nec iuvat quod fundamenta, ut muro vel ædificio ponantur, ea fodi neceſſe ſit. Quod non ſemper verum, ſed pro ratione loci in quo ædificium ſtatuitur. Nam in petra ſolida locatum fundamentis effoſſis opus non habet. Maceria vero quæ fit ex congerie lapidum, in ſolo ipſo ex collectis lapidibus componitur ſine ullis fundamentis aut foſſis. Falſum igitur & ineptum quod in hac lege legitur, ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ vel ὀρύττῃ. Corrigebam aliquando συλλέγῃ, id eſt, ex συλλεκτοῖς lapidibus ſtruat. Sed cum idem verbum ſequentibus etiam accommodetur, τειχίῳ & οἰκήματι, non videtur iſtis convenire. Aliquod igitur divinandum vocabulum quod his tribus conveniat, maceriæ, muro, & ædificio, & quod non longe abeat à veſtigiis ſcripturæ depravatæ. Omnino id puto me repperiſſe. Scribendum ergo, ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλο-

ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρθόῃ, ἐὰν τειχίον, ἐὰν οἴκημα. *Si quis erigat maceriam ſecundum alterius agrum, aut murum, aut caſam.* ὀρθῶσαι τεῖχον & οἴκημα Græcis pro ſtruere & ædificare & è ſolo tollere protritum eſt. Græca omnia corruptiſſima inveniri in Latinis exemplaribus, ſatis norũt qui eaver ſarũt. Græci quoq; recentiores qui de iure Romano ſcripſerunt, eam legem Solonis mire interpolarunt. Sic enim concipitur apud Harmenopulum, ut habent vetuſtiſſima exemplaria, lib. II. Tit. IV. ἐάν τις δημοσίαν ὁδὸν ἤτοι γλῶτταν παρ' ἀλλοτρίᾳ χώρῳ ὀρύττῃ. Et quæ ſequuntur. In quibus etiam multa mutata ſunt, ut τοίχου pro τειχίου, & τάφον ἢ βόθρον pro τάφρον ἢ βόθρον. Quia nimirum eo tempore ſepulcra fodiebantur in finibus agrorum. Recte apud Plutarchum ſcribitur τάφρον, nec de eo dubitandum eſt. Differunt enim βόθρος & τάφρος Græcis. Male etiam hic notat Advocatus, Harmenopulum incidiſſe in exemplaria depravata. Nihil habet ſui Harmenopulus, ſed omnia ex alieno. Et locũ etiam ex quadrageſimo Titulo ſumptũ fuiſſe, veteres libri indicant, & eum titulũ περὶ φυτῶν acceptum eſſe ex ἐπαρχικῶν. Sed de his alibi. Tam Harmenopulus quam Scholiaſtes Græcus in Synopſi

Baſilicorum, ὀρύτῃ ſcriptum habent pro ὀρύγῃ. Quod debuit animadvertiſſe Advocatus, qui ſe tantum facit virum in lingua Græca & iure Attico. Nam ὀρύγῃ nec Græcum eſt, nec Atticum.

CAP. XIV.

Lex Barbarius Philippus D. de officio prætorum explicata & emendata. Miris modis eam excarnificatam eſſe ab Advocato Pariſienſi, & minime intellectam.

INſigniter memorabilis eſt lex III. D. de officio prætorum, propter hiſtoriam Barbarii Philippi, qui Romæ ſervus fugitivus cum eſſet, præturam adeptus eſt, eaque functus. Et propter quæſtionem ex eo motam inter Iuriſconſultos, utrum ſervitus præturæ obſtitiſſet, an prætura ſervituti, id eſt, utrum ſervitus effeciſſet ne prætor fuiſſe videretur, an prætura præſtitiſſet ne pro ſervo haberi poſſet, alii in alia ſententia fuere. Nempe non fuiſſe prætorem qui ſervus fuiſſet, aut non deſiiſſe eſſe ſervum qui prætor factus eſſet. Hoc Thema illius legis: quod diſſimulatum eſt plane vitio vulgatæ ſcriptionis, ut corrupta fuit ab antiquis correctoribus. Sic male olim habi-

habitã non melius eam accepit ac tracta vit nuper Advocatus Pariſienſis, qui eam in libro Obſervationũ & emendationum qua explicare qua emendare conatus eſt, utrumque infelici ſucceſſu. Nam ſollemni ſua hariolatione miris eam modis excarnificavit, nec ullo modo mentem eius aſſequutus eſt. Singula legis verba perpendamus, & hariolationes Advocati confutemus. *Barbarius Philippus*, inquit Ulpianus, *cum ſervus fugitivus eſſet, Romæ præturam petiit, & prætor deſignatus eſt.* Ad hæc verba notat Advocatus, *Immo non ſolum prætor eſt deſignatus, ſed & præturam geſſit.* De ea re nulla in lege propoſita eſt dubitatio, & cum deſignatum fuiſſe prętorem dixit Ulpianus, etiam præturam eum geſſiſſe intellexit. Nemo enim magiſtratu fungi poterat quin deſignatus prius foret. Et per *deſignatum* certum eſt hic Iuriſconſultum intellexiſſe prætorem creatum & renuntiatum. Et falſa ſunt igitur quæ ſubiicit Advocatus, quaſi Vlpianus voluerit, Barbarium iſtum non revera fuiſſe prætorem, ſed tantum deſignatum. *Quamvis*, inquit, *prætura functus ſit.* Quæ ego me non aſſequi fateor. *Verũ ita loquebatur Vlpianus, quaſi is non fuerit revera prætor, ſed tantum deſignatus,*

quamvis prætura functus ſit. Quæ hæc eſt balbuties vel ſtribligo? Non fuit revera prætor, ſed tantum deſignatus, quamvis prætura functus ſit. Si prætura functus eſt, revera prætor fuit, ac præturam geſſit, non tantum deſignatus eſt. Subiungit deinde, *Ex eo autem quod prætura functus erat, colligebat Pomponius nihil ei ſervitutem obfuiſſe, ſiquidem etſi ſervus, prætura nihilominus functus erat.* Non hæc mens Vlpiani in ea lege, nec ea fuit ſententia Pomponii, nihil iſti ſervitutem obſtitiſſe quo minus prætura fungeretur. Certe ſervus erat cum prætor factus eſt. Non ergo ei ſervitus obſtitit ne prætor fieret, & ne prætura fungeretur. Neq; de iſto quæ res erat facti tum diſputatum eſt à Iuriſconſultis. Sed hoc quærebatur utrũ pro prætore habendus eſſet, qui ſervus praturã adeptus foret, an vero quod prętor eſſet factus, ex eo deſiiſſet eſſe ſervus, ac ſervitutem exuiſſet. De re ergo ipſa minime controverſum fuit quin ſervus & quidem fugitivus Romæ præturam petierit, deſignatus ſit prætor, & præturã geſſerit, id eſt, omnem, quæ prætoribus attributa eſt, iuriſdictionem exercuerit. Hoc enim tanquam conſtans propoſuit Ulpianus. Deinde quæ ſententiæ eſſent

Iuriſ-

Iuriſconſultorum ſuper ea prætura ſervi hominis, in continenti ſubiungit: *Sed nihil ei ſervitutem obſtitiſſe ait Pomponius quaſi prætor non fuerit.* Hæc corruptiſſima eſſe liquet, quæ nec ullum ſanum ſenſum efficere poſſunt. Ratio poſtulabat ſcribi: *Nihil ei ſervitutem obſtitiſſe quo minus fieret prætor:* vel: *nihil ei ſervitutem obſtitiſſe, quaſi ſervus non fuerit.* Quod ſic intelligendum foret, ita accipi debere, & prætorē eum æque videri poſſe ac ſi ſervus non fuerit, ac proinde nihil ei ſervitutem obſtitiſſe ad præturam gerendam. Sed hæc ſententia non fuit Pomponii, verum ipſius Vlpiani, qui in hac re plane diverſus abiit ab opinione quam habuit Pomponius ſuper hoc ſervo prætore. Parva mutatione ſcribendum, *ſed non id ei à ſervitute obſtitiſſe ait Pomponius, quaſi prætor non fuerit.* Non intellecta hæc loquendi ratio imperitis antiquæ ac veræ Latinitatis, cauſam loci corrumpendi dedit. Quod prætor fuerit Philippus, non ei à ſervitute obſtitiſſe putavit Pomponius, id eſt, non obſtitiſſe præturam quam adeptus eſt, ut in ſervitute maneret ac ſervus eſſe perſeveraret. Nihilo quippe deterius ius eſſe domini ſui, quod prætor eſſet factus. Ita enim id interpretandū eſſe, quaſi omni-

omnino prætor non fuerit. *A ſervitute obſtare* elegans ac Latina loquendi ratio, pro ſervituti obſtare, ſervitutem impedire. Sic *à ſole obſtare*, cum Diogenes rogavit Alexandrum *ne ſibi à ſole obſtaret*, ne impediret quo minus ſoli expoſitus eſſet, & inſolaretur. Nam Alexander ante ipſum conſtiterat adverſus ſolem iacenti, & ipſi ſolem impediebat. Hæc igitur opinio fuit Pomponii, non obſtitiſſe à ſervitute Philippo præturam quã geſſerat, haud magis quam ſi omnino prætor factus non eſſet. Ulpianus huic Pomponii ſententiæ opponit iſtam obiectionem: *Atquin verum eſt prætura eum functum*. Quomodo, inquit, accipiemus, ita ſervum eum manſiſſe quaſi non fuerit prætor, cum conſtet revera functum eſſe prætura? Quod factum eſt, pro infecto reputari non poteſt. Deinde ſubiicit: *Vt tamen videam, uſi ſervus, quandiu latuit in dignitate prætoria, ea functus ſit, quid dicemus? quæ edixit, quæ decrevit, nullius fore momenti?* Sic legendum, interpoſito pronomine *ea*. Qua ſola additione poſt vocem *prætoria* lux loco redditur, & ſententiæ integritas conſtat ac ratio. Pomponius interrogatus quid iuris eſſet in ſervo illo fugitivo qui prætor erat factus, reſpõdit,
nihil-

nihilominus eum in ſervitutis ſtatu permanſiſſe, nec ſervituti obſtitiſſe præturam, quaſi omnino prætor non fuerit. Atqui, inquit Ulpianus, verum eſt prætura eum functum. Sed tamen adiicit, ſi ſervus prætoria dignitate functus ſit, quamdiu in ea latuit, quid dicemus de iis quæ edixit, quæ decrevit? an dicemus ea, nullius fuiſſe momenti? Hoc ſic voluit Pomponius: cui placebat, nihilominus ſervum eum manſiſſe, ac ſi prætor non fuiſſet. Ergo & edicta eius omnia ac decreta nullius fore momenti exiſtimavit, tanquam ea ſervus edixiſſet ac decreviſſet, non prætor. Aliud ſenſit Vlpianus, & rationibus confirmat ſententiam ſuam, quam in ipſa lege videre eſt. Advocatus Pariſienſis infeliciter in ea interpretanda & corrigenda verſatus eſt, quam miſere mutilavit & laceravit. Si omnes leges mendoſæ aut difficiles ad hoc exemplum corrigerentur aut explicarentur, actum propediem eſſet de iuris ſcientia.

CAP.

CAP. XV.

Lex III. D. Si pars hæreditatis petatur, explicata & emendata. Trigeminos Horatios ibi locum non habere ſenatores, ſed ſenatores trigeminos Quintilios. Hariolationes Advocati Pariſienſis deflatæ.

CORruptiſſima eſt lex III. D. Si pars hæreditatis petatur. quæ meminit *Horatiorum trigeminorum Senatorum*. Huius vitioſiſſime fœdati loci, impuriſſima eſt emendatio Pariſienſis Advocati. Sic verba legis habent: *Sed & trigeminos ſenatores cinctos vidimus Horatios. Sed & Lætus ſcribit, ſe vidiſſe in Palatio mulierem liberam quæ ab Alexandria producta eſt, ut Hadriano oſtenderetur cum quinque libris, ex quibus quattuor enixa dicebatur, quintum poſt diem quadrageſimum.* Nugæ ſunt iſti trigemini ſenatores cincti Horatii, quos ætas Pauli vidit. Nec enim aliter hæc poſſunt accipi: *Trigeminos ſenatores cinctos vidimus Horatios.* Vidimus, id eſt, tẽpora noſtra viderunt, vel etiam ipſe eos ſe vidiſſe ſignificat. Vt hoc monſtrum profligaret Samium acumen Advocati, de Horatiis trigeminis ætate Pauli Iuriſconſulti viſis, multa molitus eſt, & tandem ab hariolationi-

bus

bus ſolitis præſidium petiit. De illis ipſis Horatiis locum eſſe accipiendum, plane adfirmat, ſed emendatum & reformatum. Contemplemur igitur quomodo eum reformare aggrediatur. Primum pro *ſenatores* ſcribendum eſſe autumat *ſervatores*. Horatii enim virtute ſua rempublicam Romanam ſervarunt, Albanam fregerunt. Optime. Iam habemus *ſervatores* Horatios pro *ſenatoribus*. Et eorum plane *ſervator* etiam audire debet Advocatus, qui ſenatu eos movit, ut ſervatores faceret reipublicæ. Tota difficultas nondum expugnata eſt. Sed quare, inquit, *cincti*? Quare *cinctos vidimus* apud Paulum? Hic aqua hæret Lucumoni. Tamen exiſtimaſſe ſe ait quandoque, illud *cinctos* eſſe à gloſſemate depravato, ut aliquis, qui videbat, Paulum non potuiſſe vidiſſe Horatios tot retro ſæculis ſublatos, ad illud *vidimus* ſcripſerit, *pictos*, unde factum eſt *cinctos*. Ergo ſecundum hanc coniecturam vel hariolationem ſcripſerit Paulus, *ſed & trigeminos ſervatores pictos vidimus Horatios*. Cur pictos eos videre maluit Paulus quam in libris auctorum ſcriptos? An plus fidei putavit eſſe tribuendum picturæ, quam hiſtoriæ Romanæ

manæ qua Horatii illi celebrati ſunt Trigemini. Sed mirum, ſi Horatios in teſtimonium trigemini partus adducere voluit Paulus, eum etiam Curiatios & ipſos æque trigeminos non recenſuiſſe. Multum ad rem de qua tractat in illa lege pertinuit, eo tēpore in duabus vicinis civitatibus trigeminos extitiſſe, qui inter ſe depugnarint pro ſalute & gloria ſuæ quiq; reipublicæ. Sed ſtatim vidit Advocatus, in pictis illis ſuis Horatiis quos viderat Paulus haud multū eſſe firmamēti nec fiducię reponendū. Quid enim inanius pictura? Alia igitur occœpit hariolari. *Sed ſcriptum fortaſſe*, inquit, *à Paulo, cūctt vidimus*, id eſt, omnes vidimus, omnes ſcimus, omnes novimus, ut res ea certa ſit & omnibus nota, & ideo non fabuloſa, aut incerta. Mirabilis ratio Advocati. Si legeretur *vidimus*, ageret de viſu Paulus, & trigeminos eos ſibi viſos ipſi, teſtari videretur. Sin vero addatur vox, *cuncti vidimus*, tum id erit poſitum pro omnes novimus & ſcimus, Atqui ſi cuncti viderūt Pauli tempore illos Trigeminos Horatios, oculis ſuis uſurparunt id quod viderunt. Quis enim aliter videt quam ſuis oculis? Si Paulus ita vidit, omnes certe vel cuncti qui eius tempore vixerunt,

runt, eodem pariter modo viderunt. Quã ridiculum illud etiã quod Paulo affingit, quaſi ſi omnes ſcirẽt, aliquos olim extitiſſe Romæ Horatios trigeminos? Etiam ne bubulci eo tempore ſcilicet, & foricarii, & carnifices norant Hiſtoriã Trigeminorum Horatiorum? Ponamus nemini tunc fuiſſe ignoratam. Cur libuit Paulo dicere id cunctos ſcire? An credidit parum ſibi fidei habitũ iri ſi ſimpliciter dixiſſet notos illos eſſe trigeminos ex hiſtoria Romana? De trigeminis ſui temporis eũ loqui, certo certius eſt. Quod & ſequentia oſtendunt, de quinquegeminis Hadriano oſtenſis, qui matrem habuerunt Alexandrinam, ex Aegypto propterea adductam cum liberis. Primo ſcribit Paulus de miraculoſis vel prodigioſis eiuſmodi partibus, quos auctorum fides firmabat, non *αὐτοψία*. *Nam traditum eſt*, inquit, *& quattuor puellas à matre familias natas eſſe. Aliqui tradidere non leves auctores, quinquies quaternos enixã Peloponneſi fœminã, multas Aegypti uno utero ſeptenos*. Ubi hęc ex auctorũ fide ab eo relata ſunt, ſtatim ſubiicit, *ſed & trigeminos ſenatores cinctos vidimus Horatios*. Debuit, ſi de Horatiis Romanis intellexiſſet, ſimiliter & ab hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus repetere hoc

exemplum. Atqui dicit, *vidimus*. Ergo ad *αὐτοψίαν* provocat, & ad rem ſuo tempore viſam, & cognitam. Quod ſubiicit de Lælio id etiam confirmat, *ſed & Lælius ſcribit ſe vidiſſe in Palatio Mulierem.* Temporibus ille Hadriani ſcripſit, quem vidiſſe potuit Paulus. Si ætas Pauli vidit illos trigeminos de quibus ibi loquitur, non poſſunt eſſe Horatii illi veteres. Et certe in mendo hic eos cubare manifeſtum eſt. Idque ſatis arguit quod *ſenatores* appellantur, & quod *cincti*. Nec mihi fraudi puto fuerit meam proponere hariolationem. Cum ſcriptum eſſet *Cintilios*, aut *Cuintilios*, ex eo fecerunt *cinctos*, & quia meminerant, Horatios fuiſſe trigeminos, nomen hic eorũ infulſere ſcioli librarii. Non dubito igitur quin Paulus ſcripſerit, *Sed & trigeminos ſenatores Quintilios vidimus. Sed & Lælius ſcribit ſe vidiſſe in palatio mulierem.* Nomen ea in ætate celebre fuit Quintiliorum ſenatorum fratrum, qui ſub Commodo extincti ſunt. Ditiſſimi fuere, doctiſſimi, & in ſummis dignitatibus poſiti. Scripſere etiam libros *γεωπονικῶν*, & citantur ab Athenæo ſub nomine *ἀδελφῶν συγγεγραψάντων τὰ γεωπονικά*. Multa etiam ex his adducit compilator Geoponicῶn Caſſianus ſcholaſticus.

Fra-

Fratres eos fuiſſeRomani auctores dicũt, & duos præcipue laudãt, qui ſimul & cõſulatum adepti ſunt ambo, & provincias rexerunt. Ex quo geminos fuiſſe duntaxat augurari liceat. Cardianus & Maximus vocabantur Quintilii, quos & ambos ſimul interfecit Commodus. Nihil tamen etiã vetat credere trigeminos fuiſſe, ut tres ſimul nati ſint uno partu, ſed duo tantum vivaces fuerint, & ad honores pervenerint, uno in medio curſu extincto, qui tamen & ſenator fuerit. Tergeminos ſane eos extitiſſe Paulo iam credamus. Si eorum nomina hic non videntur reponenda, quærant alios ex hiſtoria illius tẽporis qui magis conveniant. Nam de Horatiis certum eſt, nihil hic habere illos quod agant, nec locum ſuum quem habent poſſe tutari. Non audiendus etiam clariſſimus Advocatus, qui quod de Lælio ſcribitur, tranſponendum cenſet, & anteponendum relationi de trigeminis ſenatoribus.

CAP. XVI.

Duo Taciti loci vindicati ab improba emendatione Advocati Pariſienſis. Quid ſit fructus rerū, & vindicaturus rempublicā. Correcta lex 1. D. de donationibus inter virum & uxorem. Fragalitatis nomen in Iuſtiniani Conſtitutione videri retinendum, nec mutandum in facilitatis.

ADEO pulviſculum omnem de Muſeo deraſit & abſterſit Advocatus Pariſienſis in componendo libro Obſervationum & Emendationum, ut etiam binas frigidas & miſellas correctiones è Taciti Annalibus petierit, & inter iuridicas repoſuerit, ut poſſet numerus capitum conſtare. Nam quinquaginta rotundo numero eſſe voluit. Obſervarat capite præcedenti XV, *functionem* ſignificatione nova aut novata à Paulo uſurpatam. Capite quod ſequitur, animadvertit, *Functum* quoque pæne finxiſſe Tacitum, lib. XIV. Annaliū. Immo non finxit iſtud verbi Tacitus, ſed tu à temetipſo confictum & fabricatū Tacito donaſti: qui per me nunc illud à ſe ſpernit ac reiicit, & res tuas tibi habere iubet. Cum Seneca invidiam à ſe amoliri cupiens ingen-

gentium & modum privati excedentium divitiarum; propter quas ab æmulis & inimicis in crimē omni occaſione vocabatur apud principem, adiit Neronē, & rogavit, ut bona ſibi adempta per procuratores adminiſtrari iuberet in fortunam ſuam recepta. Se enim opes ſuas ultra ſuſtinere non poſſe, ut pote præ ſenio iam curis etiam leviſſimis imparem. Ad ea reſpondit Nero, negando ſe facturum quod ille rogaret, addiditque, *verum & tibi valida ætas, rebuſque, & fructui rerum, ſufficiens*. Quod diceret Seneca, ſe imparem eſſe ſuſtinendis & adminiſtrandis præ ſenectæ infirmitate rebus ſuis, hoc Nero nō admittit, ſed ſupereſſe adhuc illi validā ætatem aſſerit rebus & rerum fructui ſufficientem. Si *functui* legamus, ut placet Advocato, & pro functione & adminiſtratione id dictum à Tacito interpretemur, quid erit illud quod dixit, *rebus ſufficientem eſſe*? Rebus ſuis ſupereſſe dicitur, & ſufficere qui iis adminiſtrandis & fungendis par eſt. Aliud igitur eſſe oportet quod ibidē adiicitur, *rerumque fructui*. Nempe pro rerum fruitione id poſuit. Nā & *uſumfructum* cū dicimus, uſum & fruitionē, hoc eſt, utendi & fruendi facultatem intelligimus.

Ergo validam Senecæ ætatem ſuppetere dixit Nero, non ſolum ad res ſuas adminiſtrandas, ſed etiam ad fruendas. Iuvenes enim magis frui poſſunt opibus ſuis quam ſenes, iidemque iis ſuſtinendis magis ſufficiunt quã qui ſenio infirmiores ſunt. Apud Terentium in Heautontimorumeno, ſenex qui filium duricia ſua fugarat, domoq; in militiam eiecerat ita loquitur:

Vbi video hæc, cœpi cogitare, Hem tot mea
Solius ſolliciti ſunt cauſa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me veſtiant? Sumptus domi
Tantos ego ſolus faciam? Sed gnatum unicum,
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius,
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea eſt,
Eum ego eieci hinc miſerum iniuſticia mea.

Vides ætatem iuvenum magis ad res utendas idoneã dici quam ſenũ? Cicero de ſenectute. *Quod ſi ipſis voluptatibus bona ætas fruitur lubentius, primum parvulis fruitur rebus.* Hoc eſt igitur quod dixit Nero apud Tacitum, Senecam alloquens, *Et tibi valida ætas, rebuſque & fructui rerum ſuffi-*

ſufficiens. Id eſt, rebus ſuſtinendis & fruendis par. Alter locus eſt ex XIII. Annali, ubi Agrippina inſidias Neroni ſtruxiſſe accuſata à Silana, ut imperium Rubellio Plauto daret, cum ſe purgaret, hæc inter alia iactabat: *Vivere ego Britannico potiente rerum poteram. At ſi Plautus aut quis alius rempublicam iudicaturus obtinuerit, deſunt ſcilicet mihi accuſatores, qui non verba impatientia caritatis interdum incauta, ſed ea omnia obiiciant, quibus niſi à filio mater abſolvi non poſſim*. Nullam in his verbis ſententiam ineſſe dicit Advocatus, *rempublicam iudicaturus obtinuerit*: ideo legendum putat, *rempublicam obtinuerit, iudicata res eſt*. Quod eſt ineptiſſimum. Ille tamen nobis perſuadere vult, ſic planam futuram ſententiã. Parva mutatione ſcribi melius eſt, *At ſi Plautus aut quis alius Remp. vindicaturus obtinuerit*. Peſſima fœmina cum ſe de crimine obiecto purgaret, non potuit odium diſſimulare in filium, & ſatis aperte confeſſa eſt, vindicaturum eum rempublicam qui Neronem imperio deturbaret. Ne minus exile, & aridũ hoc caput videretur, ſumpſi ex ſequenti apud Advocatum capite quo ſuffarcinatius fieret. Voluit emendare legem I. D. de donationibus inter virum

& uxorem, ſed non potuit. Sic enim debuit emendari: *Moribus apud nos receptum eſt, ne inter virum & oxorum donationes valerent. Hoc autem receptum eſt, ne mutuato amore invicem ſpoliarentur donationibus, non temperantes à profuſa erga ſe facilitate.* Ut facilitas hic bene ac decenter quaſi in ſuo loco moratur, non item convenire videtur in leg. ult. Cod. de revocandis donationibus, quæ Iuſtiniani eſt. Ibi enim *frugalitas* non eſt ſollicitanda nec loco movenda, quam omnes libri ſcripti retinent. Donationes in gratiam ingratorum factas reſcindit & revocat Iuſtinianus, ex variis cauſis, quæ ibidẽ recenſentur, *ne ſit cuiquam*, inquit, *licentia, & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris.* Nihil, inquit Advocatus, magis alienum à frugalitate quam donantis facilitas. Nõ percepit quomodo *frugalitatẽ* illius temporis Latinitas uſurpare ſoleret. *Frugalem* tunc vocabant beneficum & utilem, non ſobriũ, nec modeſtum aut frugi. Optimæ Gloſſæ: *Frugalitas*, χρησιμότης, εὐταξία, αὐτάρκεια. Duo poſtrema Græca exponũt *frugalitatẽ*, quomodo accipiebatur apud vetuſtiores. Quæ virtus erat hominis frugi ac modeſti. At prima vox notionem huius nominis exprimit quomodo accipitur

tur in lege Iuſtiniani loco iam citato. Nam χρήσιμον Græci, & χρηστὸν, appellant qui munificus eſt, ac beneficus liberaliſque in alios. Gloſſæ: χρηστὸς, *frugalis, ſuavis, utilis, iucundus.* Unde *Chreſtologus*, qui verbis benignus eſt, ac frugalis beneficuſque, cum re ipſa nihil minus ſit. Sic *Chreſtologum* Pertinacem appellabant ſui temporis homines, quod magis blandus eſſet quā benignus, ac liberalis. *Frugalitas* igitur apud Iuſtinianum eſt beneficentia benignitaſque in donando.

CAP. XVII.

Dicis cauſa, explicatum. Idem eſſe quod Græcum ὁσίας χάριν, & Latinum defunctorie. Dictum eſſe hoc verbum à dicando, quod eſt ἀφοσιῶσαι. Diverſa eſſe δείγματος χάριν, & ὁσίας χάριν. Non poſſe derivari à Græco δείκειν, quod eſt δεικνῦναι.

DUo capita dedit obſervationum Advocatus integra, XIII. & XIV, explicationi loquutionis vulgaris antiquæ, ab eruditis Criticis neotericis pridem expoſitæ. Nec alio fini id videtur feciſſe quam ut errorum ſuorum aliqua hic etiam impreſſa relinqueret veſtigia. Nam & *dicis cauſa* idem vult eſſe apud

Caium quod *διείγματος χάριν*, cum aliud omnino ſit, & in huius vocis explorandа & eruenda originatione etiam more ſuo hariolетur. *Dicis cauſa*, vel *gratia*, id agi dicitur quod obiter fit, & ſimulate, atque in imagine, ad hoc tantum, ut levi delibatione eius quod agendum plenius eſſet, religioni quadamtenus ſatisfactum putetur, aut legi aut mori. Cum religioni hoc modo ſatisfieri quæritur, id Græci dicunt ὁσίας χάριν, cum legi aut mori, νόμου χάριν. Latini per *dicis gratia* utrumque exprimunt, quamvis & *legis cauſa*, & *moris cauſa*, etiam pro eo interdum auctores uſurpent, ut viris doctiſſimis iam obſervatum eſt. Sed & ὁσίας χάριν, & νόμου Græcis omnino idem eſt. Nam ὁσίη eſt θέμις, δίκη, ius, fas, lex, ut interpretantur Græci. Nec improprie ὁσίας χάριν Modeſtinus dixit, ut putavit Advocatus, in leg. 11. D. Qui petant tutores vel curatores, καὶ οὐ μόνον ἐὰν μὴ αἰτήσῃ, ἀλλ' ἐὰν αἰτήσῃ ὁσίας χάριν. Nec rectius & convenientius dixiſſet, ſi νόμου χάριν poſuiſſet, ut placet Advocato. Quod defunctorie fit, id eſt, in eum tantum finem ut leviter quis officio ſuo defungatur, id ὁσίας χάριν fieri Græci dicunt. Sed & verbum ἀφοσιοῦσθαι eodem ſen-

ſenſu uſurpant. pro ὁσίας χάριν τὶ ποιεῖν, quod Latine licet vertere *defungi*. Heſychius *ſatisfacere* interpretatur, & ποιῆσαι τὴν ὁσίαν, id eſt, officium ſuum facere. Ἀφοσιούμενος, πληροφορῶν, ποιήσας τὴν ὁσίαν. Sic legendum, non θυσίαν. Idem, ἀφοσιούμενοι, ἐν ὑποκρίσει θωπεύοντες, τιμῶντες. Mox: ἀφοσιώσεται, ἀπάρξεται ὁσίας χάριν. Ita enim corrigendum. Qui dicis gratia libat, ἀφοσιοῦν dicitur. Idem ergo, & ὁσίας χάριν, & ἀφοσιώσεως χάριν. *Defungendi gratia*, & *ſatisfaciendi*. Quod & *defunctorie* Latini Iuriſconſulti dixere. Ulpianus quippe in eadem re prorſus Latine hoc verbum uſurpavit, ut Modeſtinus ὁσίας χάριν, de matre nimirum quæ liberis tutores petiit *defunctorie*, & *dicis gratia*, leg. II. π. XXXII. ad S. C. Tertullianum. *Non ſolum autem quæ non petiit coërcetur, ſed & quæ defunctorie petiit ut in ſcripto declaratur.* De matre loquitur quæ filiis tutores non petiit. Græca Modeſtini ſic habent, οὐ μόνον ἐὰν μὴ αἰτήσῃ, ἀλλὰ καὶ ἂν αἰτήσῃ ὁσίας χάριν. Ita accipitur & in leg. unica Cod. Qui numero tutelarum. *Perſuſorie* pro eodem ponitur in leg. v. D. Quod vi aut clam, *perſuſorie aut obſcure dicere*, quod Græci ἐπισεσυρμένως. Sed & *fuſionem* pro functio-

ctione dixere, ut alibi annotatum. In leg. LXIX. π. v. de evictionibus. *Sed & ſi quis in venditione ſtatu liberũ perfuſorie dixerit.* Νόμου χάριν igitur idem quod ὁσίας χάριν, cum ὁσία ſit δίκη, vel θέμις, vel νόμος, & ὅσιος idem qui & δίκαιος. Quid ſi idem Latinum, *dicis gratia*? Quod Latini veteres *dices gratia* dixerunt, id eſt, δίκης, poſtea corrupte *dicis*, ut *e* & *i* invicẽ permutantur dictũ. Sed omnino à *dicando* derivatum eſt iſtud *dicis*, quod eſt ἀφοσιοῦν. Gloſſæ: *Dicat*, ἀφοσιοῖ. *Dicare*, ἀφοσιῶσαι. *Dicatus*, ἀφοσιωμένος. *Dicatio*, ἀφοσίωσις, καθοσίωσις. A *dico* dicare, *dix dicis*. Vt à plico plicare, *plix*, *plicis*. Optimæ Gloſſæ: *Plix*, πλυχή. Vetus poëta apud Apuleium in Apologia: *Auri plices bitortilæ*, χρυσοῦ πλυχαί. Sic à ſtruo *ſtruix*; unde *ſtruices*. A *tumeo tumex*, & alia infinita ciuſmodi. *Dicis cauſa* igitur idem plane quod *dicationis*, id eſt, ὁσίας, & ἀφοσιώσεως χάριν. Ac nugatur Advocatus qui *dicis* derivat παρὰ τὸ δείκειν, quod eſt δεικνύειν & δεικνύναι, ut ſit *dicis cauſa*, δείξεως ἕνεκα. Sed quomodo, quæſo te, *dicis* à δείκω veniet, & idem erit quod δεῖξις? Et ratio formationis, & ſignificatio, plane repugnant. Nam *dicis cauſa* non idem ſignificat quod δείγματος χάριν, vel δεί-

ξεως

ξεως χάριν. Quod apud Dionē legitur in Veſpaſiano, *ὧν ὀλίγα δείγματος ἕνεκα διηγήσομαι*, illud *δείγματος ἕνεκα* nō poteſt Latine reddi per *dicis gratia*, quamvis unum idēque eſſe etiam velit vir ſummus in Sparſione Florum ad leg. IV. D. Commodati. Non enim in illa Gaii lege *dicis cauſa* valet idem quod oſtenſionis vel *δείξεως*, ut vir magnus cum Advocato Pariſienſi cenſet. Sed recte vetus Gloſſarium *dicis cauſa*, in illa lege Gaii interpretatur, *νόμου χάριν*, non *δείγματος χάριν*. *Dicis cauſa, νόμου χάριν, ὡς παρὰ Γαΐῳ τῷ νομικῷ*. Verba legis Gaii: *Sæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ, ut dicis cauſa numerationis loco intercedant*. Quod imperite interpretantur, id eſt, *ut oſtententur tantum, ſive ad pompam tantum, & oſtentationem*. Quia præceſſit leg. III. π. ult. D. eodem apud Vlpianum: *Non poteſt commodari id quod uſu conſumitur, niſi forte ad pompam vel oſtentationem quis accipiat*. Thema utriuſque legis non eſt ſimile. Pecunia quæ commodatur, ut numerationis loco dicis gratia intercedat, non ad pompam nec ad oſtentationem dicitur à Gaio commodata, ſed ut numerationis loco intercedat, id eſt, ut numerationis vicem impleat *ἐν ὑποκρίσει*, & *ὁσίας χάριν* ſive *defunctorie*,
&

& imaginarie, non re ipſa. Ad pompam & oſtentationem commodari poteſt magna vis argenti & auri infecti, & alia eiuſmodi. Oſtenſionis etiam gratia, ſive ut oſtendatur pro numeratione quæ fieri debet, pecunia commodatur, ſed non ad eam oſtenſionem referenda eſt ſignificatio loquutionis illius *dicis gratia*, verũ ad ſimulationem & fictionem numerationis quæ non re ipſa impletur, ſed defunctorie, & *ὁσίας χάριν*, vel *dicis gratia*. Quod vulgo in noſtro idiomate Gallico, *par maniere d'acquit*, id eſt, per modum defungendi, ſive defunctorie. Barbari dicunt, *pro forma*. Qui vero guſtum & ſpecimen præbere vult eius quod eſt plene acturus vel dicturus, & qui ex particula oſtenſa vel data totum quale futurum ſit ſignificare, is δείγματος ἕνεκα id facere dicitur. Et δεῖγμα idem quod guſtus vel ſpecimẽ. Qua in ſignificatione nullo modo locum haberet illud antiquum *dicis gratia*. Gloſſæ: *δεῖγμα, exemplum, ſpecimen*. Græcis, γεύματος χάριν, & δείγματος χάριν idem. Inde & δεῖγμα locus in Piræo ubi mercatores mercium ſuarum ſpecimen & δεῖγμα proponebant. Vt qui frumentum vendunt, pugillũ plenum vel ſcutellã ex eo monſtrantã.

Qui

Qui vinũ nunc apud nos vendere volunt, prius in calice vitreo curant per plateas circumferendum, ut de colore ſpectetur, & de guſtu cognoſcatur ab obviis quale ſit. Qui fruſtulum ex panno vendibili exhibent quo texturæ ſubtilitas indicetur, δείγματος χάριν id oſtendunt, non dicis gratia. At illa quæ apud poëtam *ſpargit latices ſimulatos fontis Averni*, non δείγματος ἕνεκα eos ſpargit, ſed ὁσίας, & νόμου χάριν. Et ſic de aliis, ex quibus perſpicitur differentia harum loquutionum δείγματος χάριν, & ὁσίας χάριν, vel *dicis gratia*. Apud Varronem lib. v. de L. L. ubi antiquæ huius loquutionis *dicis cauſa* meminit, vulgo ita legitur: *Hinc antiqua illa dicitur in imo dicis cauſa.* Pro his *in imo*, coniicit Advocatus ſcriptum fuiſſe in *mimo*, ut fuerit gloſſema & interpretamentum adiectum ab aliquo τοῦ *dicis cauſa.* Sed ſollemnis hæc illius hariolandi ratio. Ridiculum eſt, quod vult *in mimo* interpretamentum eſſe illius loquutionis *dicis cauſa.* Præterea falſum eſt, quod ait, *dicitur in imo* ſcripturam eſſe veterum exemplarium, cum, teſte Turnebo, veteres libri ibi habeant *dicuntino*. Non poſſe autem hæc verba gloſſema eſſe ab aliquo adiectum τοῦ *dicis*

cis cauſa, oſtendit ipſe Varro, cum dicit, *Hinc antiqua illa, dicuntino, & dicis cauſa.* De duobus igitur loquutus eſt, non de uno.

CAP. XVIII.

Aliquot leges explicatæ, & à corruptela Pariſienſis Advocati vindicatæ. Archigubernus. Fiduciarium munus iudicandi. Quid ſit fiducia, fiduciaria hæreditas, venditio, opera. Semel vel in ſemel ſolvere idem quod in aſſem. Sequi bona, ſequi perſonam, ſequi nuptias. Idem in his ſequi quod eligere.

NOSTER Advocatus nihil aliud habet artis præter hariolatoriam, ut gloſſemata comminiſcatur quæ non ſunt, & ſic textum legum mutilet ac deformet. Simili truncatione verorum nec ægrorum membrorum, tanquam ſi partes eſſent adſcitæ ex gloſſemate, dehoneſtavit leg. XLVI. D. ad S. C. Trebellianum. Thema legis hoc eſt. Seius Saturninus fiduciariam hæreditatẽ reliquit Valerio Maximo, à quo petiit, ut filio ſuo Seio Oceano, cum ad annos ſedecim perveniſſet, hæreditatem reſtitueret. Seius ille Oceanus, priuſquam eam ætatem attigiſſet, mortuus eſt. Man-

Manlius Seneca qui Seii Oceani avunculũ ſe dicebat, petiit hæc bona, quaſi iure proximitatis ad ſe pertinentia. Cõtra Valerius Maximus hæres fiduciarius ea ſibi ideo vindicabat, quia is, cui iuſſus erat reſtituere hæreditatẽ intra tempus quod à teſtatore conſtitutum fuerat reddendæ, deceſſerat. Quæſtio igitur fuit, ad quem ea hæreditas pertineret, utrum ad hæredem fiduciarium, quia non impleta eſſet conditio, defuncto eo cui debebat ex teſtamento reſtitui intra diem reſtituendæ præfinitam, an ad illum ad quẽ cætera defuncti bona iure proximitatis eſſent devoluta. Reſpondit Iavolenus, *fiduciariam hæreditatem ad eum pertinere ad quem cætera bona Oceani pertinuerint*. Reddenda ipſi ratio fuit talis reſponſi. Nam ut thema propoſitum eſt, potius videbantur bona ei tribui debere cui hæreditas fiduciaria relicta eſſet, tunc demum reſtituenda filio teſtatoris ſi ad annos ſedecim perveniſſet. Cum autem non impleverit iſtius ætatis ſpatia, quæ conditio erat adpoſita reſtituendæ hæreditati, hæredi fiduciario eam tradendam, ius & ratio ſuadebant. Contrarium cenſuit Iavolenus. Qua igitur ratione motus? Eam ſubiungit in hæc verba:

Quoniam dies fideicommiſſi vivo Oceano ceſſit. Quæ tamen expungenda cenſet Advocatus, tanquam adiecta à gloſſatore. Cum omnino neceſſaria ſint ad ſententiam reſponſi à Iavoleno dati cõſtituendã: rationẽ utpote continentia, cur ita reſponderit. Et fallitur Advocatus, cum putat, ſequentibus verbis apud Iavolenum aliam ab eodem adferri & quidem ſubtiliorem, nempe quia etſi dies reſtitutioni adpoſita eſſet, non idcirco tamen erat adpoſita, ut ad eum demum diem fiduciarius hæres bonis frueretur, ſed ut tutela videretur ei permiſſa potius quam fideicommiſſum relictum. Hæc enim ratio pendet à ſuperiore. Deberi hæreditatem fiduciariam ei dicit Iavolenus ad quem cætera bona defuncti pertinerent, utpote proximum, non hæredi fiduciario tametſi deceſſiſſet Oceanus intra præfinitum ætatis tempus, diemque reſtituendæ hæreditati conſtitutam. Cur hoc? *Quoniam vivo Oceano dies fideicommiſſi ceſſit.* Mirum hoc videretur. Nam quomodo ceſſiſſe putaretur fideicommiſſi dies vivente Oceano, qui obiit priuſquam attigiſſet annum ſedecimum, quod tempus fuit præfinitum à teſtatore reſtituendæ hæreditati fiduciariæ? Id explicat Iavolenus

lenus in continenti ſubiectis his verbis: *Scilicet ſi prorogando tempus ſolutionis, tutelam magis hæredi fiduciario permiſiſſe quam incertum diem fideicommiſſi conſtituiſſe videatur.* Hanc demum igitur valere rationem ſignificat, quod dies fideicommiſſi vivo Oceano ceſſerit, ſi hoc animo tempus præfinierit teſtator ſedecim annorum, ut permitteret tutelam hæredi fiduciario, non ut diem fideicommiſſo prorogaret. Quocunque igitur tempore obiiſſet poſt mortem teſtatoris Oceanus eius filius, tempus fideicommiſſi ceſſiſſe cenſeretur, quia hæc mens fuit teſtatoris, non ut ſub conditione temporis fideicommiſſo conſtituti hæreditas filio reſtitueretur, ſed ut uſque ad illud tempus quod præfinierat eius reſtitutioni, fiduciarius hæres tutelam filii gereret. Prior igitur hæc ratio fuit cur hæreditas deberetur proximo hæredi reliquorum bonorum Oceani potius quam fiduciario, quoniam Oceanus deceſſiſſet intra conſtitutum fideicommiſſo diem, quia dies eius ceſſiſſet vivo Oceano. Ita autem demum ceſſiſſe diem fideicommiſſo putandum eſſe ſcribit Iavolenus, ſi tempus reſtitutionis ideo prorogavit teſtator, ut *fiduciario hæredi tutelam potius permitteret,*

quam ut in certum diem fideicommiſſum conſtitueret. Sic enim legenda ſunt ultima hæc verba in reſponſo Iavoleni: *Scilicet ſi prorogando tempus ſolutionis, tutelam magis hæredi fiduciariam permiſiſſe quam in certum diem conſtituiſſe videatur.* Non enim incertus dies conſtitutus à teſtatore, ſed certus, nempe ſedecim annorum terminus. In hac porro lege Seius Saturninus vocatur *Archigubernus*, voce ex Græco & Latino compoſita, ut illa ætate mos erat, multas ita componi. Nam Latini *gubernum* pro gubernaculo dixere, & apud Lucretiũ aliquot locis *guberna* ſunt gubernacula. Inde *archigubernus* qui Græcis ἀρχικυβερνήτης. Ita *boloveras veſtes* fecerunt, quæ totæ ex vero colore, id eſt, purpureo. Ita *pſeudofores* dixere pro Græco ψευδόθυρον. Sed de his alibi. Voluit Advocatus & aliam legem ſequenti capite corrigere. Ea eſt XXI. D. Quando dies legatorum vel fideicommiſſorum cedat. Sed non feliciorem habuit ſucceſſum quam in aliis. Scribit ibi Paulus, ſi dies adpoſita legato non ſit, præſens deberi, aut confeſtim ad eum pertinere cui datum eſt. Adiecta die, quamvis longa ſit, ſi certa eſt, veluti, calendis Ianuariis centeſimis, diem quidem

quidē legati ſtatim cedere, ſed ante diem peti non poſſe. *At ſi,* inquit, *incerta,* (nempe adpoſita ſit) *quaſi, cum pubes erit, cum in familiam nupſerit, cum magiſtratum inierit, cum aliquid demum, quod ſcribendo comprehendere ſit commodum, fecerit, niſi tempus conditiove obtigit, neque res pertinere, neque dies legato cedere poteſt.* In his verbis nihil video difficultatis, *quod ſcribendo cōprehendere ſit commodum.* Correctiones aliorum non moror, *ſcribenti* emendantium, aut *commodum* interpretantium ei cui legatur ſcilicet. Nihil iſti viderunt. Et cæcus omnino fuit Advocatus, cui placet corrigi, quod *ſcribendo comprehendere ſit incommodum.* Si ita hodie legeretur in Digeſtis, ego putarem, emendandum ſicut in vulgatis ſcribitur. Nihil enim verius aut ſincerius illa lectione. Aliquot conditiones recenſet nominatim Paulus in diem incertam collatas, cum pubes erit, cum in familiam nupſerit, cum magiſtratum inierit, deinde addit, tædio plurium, & quaſcunque alias ſimiles ſcribendo comprehendere libitum fuerit, aut commodum ei qui rem legaverit. *Commodum ſit*, id eſt, viſum ſit, placuerit, libuerit, ſibi commodum duxerit. Ex commodo ſuo & voluntate conditiones adſcribunt

alteri has vices mandare ducendi exercitus quæ ipſi mandatæ ſunt à ſummo imperatore. Quare? Quia ipſe *fiduciariam operam obtinet*, ut loquitur Cæſar, lib. II. de bello civili. *Fiducia* veteribus iuriſconſultis atque etiam aliis auctoribus claſſicis hypothecæ nexus eſt, quæ inter contractus refertur in quibus fidem alterius ſequimur aut idē aut tantundem recepturi. Inde *fiduciatus* vel *fiduciarius* ſervus pignori datus & obligatus. In rem fiduciæ obligatam plenum ius non habet creditor, ſed ad tempus habet ſibi obligatam, ubi pecunia ſibi ſoluta fuerit, ei à quo accepit, reſtituendam. Quodcunque ſimiliter alterius fidei committimus, poſtea recipiendum, aut ei reſtituendum cui mandaverimus, *fiduciæ* nomen habet. Nam *fiducia* à *fidus*, *πιςός*. Vnde & *fiduncului* in Gloſſis etiam *ὁ πιςός*. Inde & *fiduciaria* venditio, & *fiduciaria* hæreditas, & alia eiuſmodi. Sic *fiduciarium imperium*, *fiduciarium munus*, quod ab altero à quo commiſſum eſt ac delegatum pendet. Ita Legatus Imperatoris fiduciarium imperium, non merum nec plenū, ſed obnoxium, & propterea quale accepit non ipſe poteſt alii dare. Eodem modo & iudex delegatus ab alio iudice ſummo,

ſummo, fiduciario munere iudicandi fruitur, nec illud alteri poteſt mandare. Solus ille qui à principe datus eſt iudicis porro dandi poteſtatem habet. Nam quaſi ſacra vice iudicat, & poteſt vices ſuas alteri cõmittere qui fiduciariũ id ab ipſo munus habebit. Capite ſequenti IX non meliorem operam navavit corrigendæ leg. V. D. ſeparationibus. Seperationes decreto permittebat Prætor creditoribus ex his cauſis. Aliquis debitorem habuit Seium: hic deceſſit: hæres ei extitit Titius. Hic non eſt ſolvēdo: bona eius venduntur. Creditores Seii, bona eius ſibi ſufficere dicunt: debere pariter creditores Titii cõtentos eius bonis eſſe. Et ſic quaſi duorum fieri bonorum venditionem. *Poſſe enim fieri ut Seius quidem ſolvendo fuerit, potueritque creditoribus ſuis vel ita ſamel, & ſi non in aſſem in aliquid tamen ſatisfacere: admiſſis autem commixtiſque creditoribus Titii minus ſint conſequuturi, quia ille non eſt ſolvendo, aut minus conſequantur, quia plures ſunt. Hoc eſt igitur æquiſſimũ, creditores Seii, deſiderantes ſeparationem, admitti, impetrareque à prætore ut ſeparatim quantum cuiuſque creditoribus præſtetur.* Hæ ſunt cauſæ ſeparationis quam prætor creditoribus dabat. In huius legis verbis

& imaginarie, non re ipſa. Ad pompam & oſtentationem commodari poteſt magna vis argenti & auri infecti, & alia eiuſmodi. Oſtenſionis etiam gratia, ſive ut oſtendatur pro numeratione quæ fieri debet, pecunia commodatur, ſed non ad eam oſtenſionem referenda eſt ſignificatio loquutionis illius *dicis gratia*, verũ ad ſimulationem & fictionem numerationis quæ non re ipſa impletur, ſed defunctorie, & ὁσίας χάριν, vel *dicis gratia*. Quod vulgo in noſtro idiomate Gallico, *par maniere d'acquit*, id eſt, per modum defungendi, ſive defunctorie. Barbari dicunt, *pro forma*. Qui vero guſtum & ſpecimen præbere vult eius quod eſt plene acturus vel dicturus, & qui ex particula oſtenſa vel data totum quale futurum ſit ſignificare, is δείγματος ἕνεκα id facere dicitur. Et δεῖγμα idem quod guſtus vel ſpecimẽ. Qua in ſignificatione nullo modo locum haberet illud antiquum *dicis gratia*. Gloſſæ: δεῖγμα, *exemplum, ſpecimen*. Græcis, γεύματος χάριν, & δείγματος χάριν idem. Inde & δεῖγμα locus in Piræo ubi mercatores mercium ſuarum ſpecimen & δεῖγμα proponebant. Vt qui frumentum vendunt, pugillũ plenum vel ſcutellã ex eo monſtrantã.

Qui

Qui vinũ nunc apud nos vendere volunt, prius in calice vitreo curant per plateas circumferendum, ut de colore ſpectetur, & de guſtu cognoſcatur ab obviis quale ſit. Qui fruſtulum ex panno vendibili exhibent quo texturæ ſubtilitas indicetur, δείγματος χάριν id oſtendunt, non dicis gratia. At illa quæ apud poëtam *ſpargit latices ſimulatos fontis Averni*, non δείγματος ἕνεκα eos ſpargit, ſed ὁσίας, & νόμου χάριν. Et ſic de aliis, ex quibus perſpicitur differentia harum loquutionum δείγματος χάριν, & ὁσίας χάριν, vel *dicis gratia*. Apud Varronem lib. v. de L. L. ubi antiquæ huius loquutionis *dicis cauſa* meminit, vulgo ita legitur; *Hinc antiqua illa dicitur in imo dicis cauſa*. Pro his *in imo*, coniicit Advocatus ſcriptum fuiſſe in *mimo*, ut fuerit gloſſema & interpretamentum adiectum ab aliquo τοῦ *dicis cauſa*. Sed ſollemnis hæc illius hariolandi ratio. Ridiculum eſt, quod vult *in mimo* interpretamentum eſſe illius loquutionis *dicis cauſa*. Præterea falſum eſt, quod ait, *dicitur in imo* ſcripturam eſſe veterum exemplarium, cum, teſte Turnebo, veteres libri ibi habeant *dicuntino*. Non poſſe autem hæc verba gloſſema eſſe ab aliquo adiectum τοῦ *dicis*

cis cauſa, oſtendit ipſe Varro, cum dicit, *Hinc antiqua illa, dicuntino, & dicis cauſa.* De duobus igitur loquutus eſt, non de uno.

CAP. XVIII.

Aliquot leges explicatæ, & à corruptela Pariſienſis Advocati vindicatæ. Archigubernus. Fiduciarium munus iudicandi. Quid ſit fiducia, fiduciaria hæreditas, venditio, opera. Semel vel in ſemel ſolvere idem quod in aſſem. Sequi bona, ſequi perſonam, ſequi nuptias. Idem in his ſequi quod eligere.

NOSTER Advocatus nihil aliud habet artis præter hariolatoriam, ut gloſſemata comminiſcatur quæ non ſunt, & ſic textum legum mutilet ac deformet. Simili truncatione verorum nec ægrorum membrorum, tanquam ſi partes eſſent adſcitæ ex gloſſemate, dehoneſtavit leg. XLVI. D. ad S. C. Trebellianum. Thema legis hoc eſt. Seius Saturninus fiduciariam hæreditatē reliquit Valerio Maximo, à quo petiit, ut filio ſuo Seio Oceano, cum ad annos ſedecim perveniſſet, hæreditatem reſtitueret. Seius ille Oceanus, priuſquam eam ætatem attigiſſet, mortuus eſt. Man-

Manlius Seneca qui Seii Oceani avunculũ ſe dicebat, petiit hæc bona, quaſi iure proximitatis ad ſe pertinentia. Cõtra Valerius Maximus hæres fiduciarius ea ſibi ideo vindicabat, quia is, cui iuſſus erat reſtituere hæreditatẽ intra tempus quod à teſtatore conſtitutum fuerat reddendæ, deceſſerat. Quæſtio igitur fuit, ad quem ea hæreditas pertineret, utrum ad hæredem fiduciarium, quia non impleta eſſet conditio, defunčto eo cui debebat ex teſtamento reſtitui intra diem reſtituendæ præfinitam, an ad illum ad quẽ cætera defuncti bona iure proximitatis eſſent devoluta. Reſpondit Iavolenus, *fiduciariam hæreditatem ad eum pertinere ad quem cætera bona Oceani pertinuerint.* Reddenda ipſi ratio fuit talis reſponſi. Nam ut thema propoſitum eſt, potius videbantur bona ei tribui debere cui hæreditas fiduciaria relicta eſſet, tunc demum reſtituenda filio teſtatoris ſi ad annos ſedecim perveniſſet. Cum autem non impleverit iſtius ætatis ſpatia, quæ conditio erat adpoſita reſtituendæ hæreditati, hæredi fiduciario eam tradendam, ius & ratio ſuadebant. Contrarium cenſuit Iavolenus. Qua igitur ratione motus? Eam ſubiungit in hæc verba:

 Quo-

Quoniam dies fideicommiſſi vivo Oceano ceſſit.
Quæ tamen expungenda cenſet Advocatus, tanquam adiecta à gloſſatore. Cum omnino neceſſaria ſint ad ſententiam reſponſi à Iavoleno dati cōſtituendā: ratione utpote continentia, cur ita reſponderit. Et fallitur Advocatus, cum putat, ſequentibus verbis apud Iavolenum aliam ab eodem adferri & quidem ſubtiliorem, nempe quia etſi dies reſtitutioni adpoſita eſſet, non idcirco tamen erat adpoſita, ut ad eum demum diem fiduciarius hæres bonis frueretur, ſed ut tutela videretur ei permiſſa potius quam fideicommiſſum relictum. Hæc enim ratio pendet à ſuperiore. Deberi hæreditatem fiduciariam ei dicit Iavolenus ad quem cætera bona defuncti pertinerent, utpote proximum, non hæredi fiduciario tametſi deceſſiſſet Oceanus intra præfinitum ætatis tempus, diemque reſtituendæ hæreditati conſtitutam. Cur hoc? *Quoniam vivo Oceano dies fideicommiſſi ceſſit.* Mirum hoc videretur. Nam quomodo ceſſiſſe putaretur fideicommiſſi dies vivente Oceano, qui obiit priuſquam attigiſſet annum ſedecimum, quod tempus fuit præfinitum à teſtatore reſtituendæ hæreditati fiduciariæ? Id explicat Iavolenus

lenus in continenti ſubiectis his verbis: *Scilicet ſi prorogando tempus ſolutionis, tutelam magis hæredi fiduciario permiſiſſe quam incertum diem fideicommiſſi conſtituiſſe videatur.* Hanc demum igitur valere rationem ſignificat, quod dies fideicommiſſi vivo Oceano ceſſerit, ſi hoc animo tempus præfinierit teſtator ſedecim annorum, ut permitteret tutelam hæredi fiduciario, non ut diem fideicommiſſo prorogaret. Quocunque igitur tempore obiiſſet poſt mortem teſtatoris Oceanus eius filius, tempus fideicommiſſi ceſſiſſe cenſeretur, quia hæc mens fuit teſtatoris, non ut ſub conditione temporis fideicommiſſo conſtituti hæreditas filio reſtitueretur, ſed ut uſque ad illud tempus quod præfinierat eius reſtitutioni, fiduciarius hæres tutelam filii gereret. Prior igitur hæc ratio fuit cur hæreditas deberetur proximo hæredi reliquorum bonorum Oceani potius quam fiduciario, quoniam Oceanus deceſſiſſet intra conſtitutum fideicommiſſo diem, quia dies eius ceſſiſſet vivo Oceano. Ita autem demum ceſſiſſe diem fideicommiſſo putandum eſſe ſcribit Iavolenus, ſi tempus reſtitutionis ideo prorogavit teſtator, ut *fiduciario hæredi tutelam potius permitteret,*

quam ut in certum diem fideicommiſſum conſtitueret. Sic enim legenda ſunt ultima hæc verba in reſponſo Iavoleni: *Scilicet ſi prorogando tempus ſolutionis, tutelam magis hæredi fiduciariam permiſiſſe quam in certum diem conſtituiſſe videatur.* Non enim incertus dies conſtitutus à teſtatore, ſed certus, nempe ſedecim annorum terminus. In hac porro lege Seius Saturninus vocatur *Archigubernus*, voce ex Græco & Latino compoſita, ut illa ætate mos erat, multas ita componi. Nam Latini *gubernum* pro gubernaculo dixere, & apud Lucretiũ aliquot locis *guberna* ſunt gubernacula. Inde *archigubernus* qui Græcis ἀρχικυβερνήτης. Ita *holoveras veſtes* fecerunt, quæ totæ ex vero colore, id eſt, purpureo. Ita *pſeudofores* dixere pro Græco ψευδόθυρον. Sed de his alibi. Voluit Advocatus & aliam legem ſequenti capite corrigere. Ea eſt XXI. D. Quando dies legatorum vel fideicommiſſorum cedat. Sed non feliciorem habuit ſucceſſum quam in aliis. Scribit ibi Paulus, ſi dies adpoſita legato non ſit, præſens deberi, aut confeſtim ad eum pertinere cui datum eſt. Adiecta die, quamvis longa ſit, ſi certa eſt, veluti, calendis Ianuariis centeſimis, diem quidem

quidē legati ſtatim cedere, ſed ante diem peti non poſſe. *At ſi*, inquit, *incerta*, (nempe adpoſita ſit) *quaſi, cum pubes erit, cum in familiam nupſerit, cum magiſtratum inierit, cum aliquid demum, quod ſcribendo comprehendere ſit commodum, fecerit, niſi tempus conditiove obtigit, neque res pertinere, neque dies legato cedere poteſt.* In his verbis nihil video difficultatis, *quod ſcribendo cōprehendere ſit commodum.* Correctiones aliorum non moror, *ſcribenti* emendantium, aut *commodum* interpretantium ei cui legatur ſcilicet. Nihil iſti viderunt. Et cæcus omnino fuit Advocatus, cui placet corrigi, quod *ſcribendo comprehendere ſit incommodum.* Si ita hodie legeretur in Digeſtis, ego putarem, emendandum ſicut in vulgatis ſcribitur. Nihil enim verius aut ſincerius illa lectione. Aliquot conditiones recenſet nominatim Paulus in diem incertam collatas, cum pubes erit, cum in familiam nupſerit, cum magiſtratum inierit, deinde addit, tædio plurium, & quaſcunque alias ſimiles ſcribendo comprehendere libitum fuerit, aut comdum ei qui rem legaverit. *Commodum ſit*, id eſt, viſum ſit, placuerit, libuerit, ſibi commodum duxerit. Ex commodo ſuo & voluntatę conditiones adſcribunt

qui aliquid ſub conditione legant, & in diem incertam vel certam, prout id ſibi commodum eſſe arbitrantur. Vide vero quam minuta omnia vel uſque ad pulviſculum collegerit Advocatus, cum iſtum librum Emendationũ & Obſervationum concinnandi impetum cepit. In leg. VIII. D. de collatione, verba Papiniani ſic leguntur, *Nonnunquam prætor variantem non repellit, & conſilium mutantis non aſpernatur.* Recte Cuiacius ex Baſilicis emendavit, & *conſilium mutantem non aſpernatur*, quia Græce verterunt τὸν μεταμελόμενον. Ut ſubtilitatem ſuam oſtendat Advocatus, ſcribendum putat, *conſilium mutantes*, quia ſcriptum, inquit, fuerat, *mutanteis*, unde factum *mutantes*. Sed hariolatur plane & hallucinatur. Nam vetus illa ſcriptura temporibus Iuriſconſultorum non amplius erat in uſu. Ennii & Pacuvii ætatem plane redolet. Multo minus uſurpata fuerit eo ſæculo quo compilatæ & conſcriptæ fuere Pandectæ, in quibus plura ex Italico idiomate, quod tunc obtinebat, admixta à librariis fuere. Adeo autem infelix eſt corrector noſter Advocatus, ut ſi quid illi forte fortuna & aliud cogitanti exciderit quod tolli poſſit, id conſtanter tueri non valeat,

valeat, ſed ambiguus ad peiora revolvatur. Non dubium eſt quin leg. v. Cod. de Iudiciis, in verbis Gordiani ſcribendum ſit, *cum ipſe fiduciario munere fungatur.* Pro quo editur vulgo, *iudiciario munere.* Nos ita pridem ita emendandū iudicavimus & notavimus in Codice noſtro. Forte in mentem etiam incidit hæc correctio Advocato, ſed ſub finem capitis dubitat an vulgata præferenda ſit, *quia inter munera & λειτυργίας eſt etiam iudicandi munus.* Atqui de illo munere iudicandi quod eſt inter λειτυργίας hic non agitur, ſed de eo munere quod ſuſtinent iudices ab alio iudice delegati. Quibus incumbit iudicandi munus ex λειτυργίᾳ non delegantur ab alio iudice, ſed ex λειτυργίᾳ, id onus ipſis iniungitur. Iudex autem qui delegat alium. ſive princeps ſit, ſive aliquis maiorum iudicum, poteſt quem velit ad hoc munus eligere, eique iudicandi munus delegare. Dicit igitur Gordianus, à iudice iudicem delegatum iudicis dandi poteſtatem non habere, *cum ipſe fiduciario munere fungatur.* Poteſt imperator in bello vel ſummus dux legatum eligere, cui munus imperandi in exercitu ſe abſente deleget. Iſte legatus fiduciario munere & opera fungitur, nec ipſe poteſt

Digitized by Google

alteri has vices mandare ducendi exercitus quæ ipſi mandatæ ſunt à ſummo imperatore. Quare? Quia ipſe *fiduciariam operam obtinet*, ut loquitur Cæſar, lib. II. de bello civili. *Fiducia* veteribus iuriſconſultis atque etiam aliis auctoribus claſſicis hypothecæ nexus eſt, quæ inter contractus refertur in quibus fidem alterius ſequimur aut idē aut tantundem recepturi. Inde *fiduciatus* vel *fiduciarius* ſervus pignori datus & obligatus. In rem fiduciæ obligatam plenum ius non habet creditor, ſed ad tempus habet ſibi obligatam, ubi pecunia ſibi ſoluta fuerit, ei à quo accepit, reſtituendam. Quodcunque ſimiliter alterius fidei committimus, poſtea recipiendum, aut ei reſtituendum cui mandaverimus, *fiduciæ* nomen habet. Nam *fiducia* à *fidus*, πιστός. Vnde & *fidunculus* in Gloſſis etiam ὁ πιστός. Inde & *fiduciaria* venditio, & *fiduciaria* hæreditas, & alia eiuſmodi. Sic *fiduciarium imperium*, *fiduciarium munus*, quod ab altero à quo commiſſum eſt ac delegatum pendet. Ita Legatus Imperatoris fiduciarium imperium, non merum nec plenū, ſed obnoxium, & propterea quale accepit non ipſe poteſt alii dare. Eodem modo & iudex delegatus ab alio iudice ſummo,

ſummo, fiduciario munere iudicandi fruitur, nec illud alteri poteſt mandare. Solus ille qui à principe datus eſt iudicis porro dandi poteſtatem habet. Nam quaſi ſacra vice iudicat, & poteſt vices ſuas alteri cõmittere qui fiduciariũ id ab ipſo munus habebit. Capite ſequenti IX non meliorem operam navavit corrigendæ leg. v. D. ſeparationibus. Seperationes decreto permittebat Prætor creditoribus ex his cauſis. Aliquis debitorem habuit Seium: hic deceſſit: hæres ei extitit Titius. Hic non eſt ſolvẽdo: bona eius venduntur. Creditores Seii, bona eius ſibi ſufficere dicunt: debere pariter creditores Titii cõtentos eius bonis eſſe. Et ſic quaſi duorum fieri bonorum venditionem. *Poſſe enim fieri ut Seius quidem ſolvendo fuerit, potueritque creditoribus ſuis vel ita ſamel, & ſi non in aſſem in aliquid tamen ſatisfacere: admiſſis autem commixtiſque creditoribus Titii minus ſint conſequuturi, quia ille non eſt ſolvendo, aut minus conſequantur, quia plures ſunt. Hoc eſt igitur æquiſſimũ, creditores Seii, deſiderantes ſeparationem, admitti, impetrareque à prætore ut ſeparatim quantum cuiuſque creditoribus præſtetur.* Hæ ſunt cauſæ ſeparationis quam prætor creditoribus dabat. In huius legis ver-

 bis

bis ſupraſcriptis, *potueritque creditoribus ſuis vel ita ſemel, & ſi non in aſſem, in aliquid tamen ſatisfacere*, repperit Advocatus quod non ad guſtum ſuum faceret, & putat ſcripſiſſe Ulpianum, *vel in aſſem, vel ſi non in aſſem*. Nihil opus iſta hariolatione. Quod ſemel ſolvitur, *ex aſſe* ſolvitur. Nam quod non ex aſſe ſolvitur, per partes & pluries ſolvi neceſſe eſt, non ſemel. Hinc *aſſem*, pro *ſemel* etiam poſuerunt. Atque ita optimæ Gloſſæ interpretantur: *As*, αὐτὰς, ἀργύειον, ἅπαξ. Sed & apud Hyginum *aſſe* pro ſemel ſæpe ponitur, *aſſe quattuor*, ſemel quattuor. Putaverim tantum ſcribendum, *potueritque creditoribus ſuis, vel inſemel, vel ſi non in aſſem, in aliquid tamen ſatisfacere*. Inſemel pro ſemel, ut *inſecus*, *inante*, *inſuper*, *inſimul*. *Inſemel ſatisfacere* idem eſt quod in aſſem, & ἐξ ὁλοκλήρου, quia, ut dixi, ſemel ſolvitur quod in aſſem ſolvitur. In fine legitur, *ut ſeparatim quantum cuiuſque creditoribus præſtatur*. Quæ non carent vitio. nec enim conſtat ex hac conſtructione ſenſus. Puto ſcribendum, *Hoc eſt igitur æquiſſimum, creditores Seii deſiderantes ſeparationem, audiri, impretrareque à prætore ut ſeparetur in quantum cuiuſque creditoribus præſtetur*. Vel, *ut ſeparetur id quantum cuiuſque credi-*

creditoribus præſtetur. Legem quintam D. eodem, quæ Pauli eſt, vitioſam & gloſſemate inquinatam arbitratur Advocatus in his verbis, *Cum enim ſeparationem petierunt, receſſerunt à perſona hæredis, & bona ſecuti ſunt, & quaſi defuncti bona vendiderunt, quæ augmenta non poſſunt recipere.* Quæſtio vel thema huius legis, an, ſi ex alia cauſa Titius hęres Seii acquiſierit, non admittantur hæreditarii creditores. Ait Paulus, quod ſi proprii hæredes creditoris ad ſolidum pervenerint, id quod ſuperfuerit tribuendum eſſe hæreditariis, quoſdam putaſſe. Et Papinianum notat qui in ea fuerit ſententia. Sibi id non videri dicit, & rationem addit, cum ſeparationem petierunt creditores defuncti, receſſiſſe à perſona hæredis, & bona ipſa ſequutos eſſe quæ in hæreditate fuerant, *& quaſi bona defuncti vendidiſſe, quæ augmenta non poſſunt capere.* Advocatus putat, hæc verba, *& quaſi defuncti bona vendiderunt,* ab inepto interprete adiecta fuiſſe, qui interpretari voluerit, *ſequuti ſunt.* Quaſi *vendiderunt* poſſit eſſe gloſſa & interpretamentum huius verbi *ſequuti ſunt.* Quis unquam audivit, *ſequi bona* idem eſſe quod vendere bona? Sed prodigioſe ſtultum eſt quod addit, illum gloſſatorem de ſectionibus inaudi-

inaudiviſſe aliquid, unde & monſtrum illud interpretationis confinxerint. Monſtrum hoc potius eſt hariolationis, ſed ſollemnis Advocato. Quod ille aliquis interpres aliquid de ſectione bonorum inaudiverat, ideo *ſequuti ſunt*, expoſuit *vendiderunt*. Scilicet *ſequi bona* alicuius idem eſt quod ſectionem eius bonorum facere, atque ea vendere. Sic igitur legit, *cum enim ſeparationem petierunt, receſſerunt à perſona hæredis, & quaſi bona defuncti ſequuti ſunt*. Particulam autem *quaſi* ideo additam eſſe à Paulo hariolatur, quia verbum *ſequi* de perſonarum fide & *obligatione potius dicatur quam de corporibus inanimatis*. Quod eſt maxime ridiculum & ineptum. Qui caſtra ſequuntur, qui lucrum ſequuntur, qui prædam ſequuntur, res inanimatas ſequi certum eſt. Ergo & eos *quaſi ſequi* dicēdum eſt, non abſolute ſequi. *Nuptias ſequi* pro contrahere legitur in leg. XXXIV. ℣. ult. D. de ritu nuptiarum. Quæ dicit apud poetam, *Video meliora proboque, deteriora ſequor*, non de perſonis intelligit. Et ſane ſi ratio ipſi afferenda eſſet cur *ſequi* magis convenire videatur perſonis, quam rebus inanimatis, ſatis æſtuaret bonus vir. Aeque igitur *ſequi bona* dicitur, qui ea eligit, ut ex

ut ex iis ſuum cõſequatur, quam qui perſonam. Quomodo etiam corrigit, vix poteſt eius ratio conſtare. *Et quaſi defuncti bona ſequuti ſunt, quæ augmenta non poſſunt recipere.* Certe falſum eſt, bona defuncti non poſſe recipere augmentum, ſi ſimpliciter id intelligatur, & abſolute. Nam ſi ſint in fœnore poſita, ex uſuris poſſunt incrementum recipere. Si in agris collocata, ex reditu agrorum: ſi in familia, ex operis ſervorum. At ſi bona vendita ſint, non amplius poſſunt augmentum recipere. Et hic de bonis agitur à creditoribus venditis. Nam ſimul atque impetrarant ſeperationẽ creditores defuncti, bona eius vendenda curabant. Omnino igitur retinenda illa verba, & *defuncti bona vendiderunt*, ut ſit verum quod ſequitur, *quæ augmẽta non poſſunt recipere.* Sed illud *quaſi* in mendo cubat. Nec audio interpretes, qui additũ iſtud *quaſi* notãt, quia bona defuncti improprie dicũtur defuncti, cum defunctus habere bona nõ poſſit. Qui perſonã hæredis non elegerũt, ſed bona defuncti, nẽpe hæreditarii creditores, ſi hæredis creditoribus ſatisfactum ſit, & aliquid ſuperſit, id eis tribuendum eſſe, non exiſtimavit Paulus, quia à perſona hæredis receſſerunt, ut bona defuncti ſequeren-

querentur, qui & ea vendiderunt, quæque vendita augmentum non poſſunt recipere. Non igitur ipſi amplius quid neque ex hæreditate defuncti neque ex hæredis bonis expectare poſſunt. Qui perſonam hæredis ſequuti ſunt, id eſt, elegerunt, ſi quæ illi perſonæ hæreditas obvenerit, inde ſatisfieri poteſt creditoribus qui eam elegere. Et perſona quæ ſolvendo non eſt, poteſt fieri ſolvendo, & bona eius augmentum recipere. Etiam bona defuncti, niſi ſi vendita fuerint, ut dixi, poſſunt amplificari ex fœnore pecuniæ, ex operis ſervorum, ex reditibus agrorum. At vendita non poſſunt creſcere. Sic igitur ſcribendus totus locus minima mutatione, *Cum enim ſeparationem petierunt, receſſerunt à perſona, & bona ſequuti ſunt; & quia bona defuncti vendiderunt, quæ augmenta non poſſunt recipere.*

CAP. XIX.

Tranſpoſitionem nullam eſſe paragraphorum in leg. VIII. *D. de inofficioſo teſtamento. Neque in leg.*LXIV.*D.ad Sc.Trebellianum. Explicata lex* XXXI. *D. eodem.* De *conditionibus impoſſibilibus, turpibus, & difficilibus. Ferendi nominis conditio an impoſſibilis vel difficilis.*

TRuncationes, mutilationes, tranſpoſitiones, & hariolationes, medicinæ ſunt quas locis legum ſanis tanquam affectis facit Pariſienſis Advocatus. Si medicus eſſet, non aliter ægros ſuos curaret quam urendo, ſecando & luxando. Quippini? Cum etiam ſervum communem ſecari velit inter plures, & hanc ſectionem civilem interpretetur, quæ recepta non eſt niſi in his quæ talem diviſionem ac partitionẽ natura ſua poſſunt recipere. Hic paragraphos legis VIII.D. de inofficioſo Teſtamento quaſi luxatos & parum cohærentes reſtituere conatus eſt, quibus non opus erat tali vexatione. Sic ſatis bene ſe habent ut vulgo ſunt collocati. Iam hoc videamus. In ea lege paragraphus tertius cum ſequentibus ita incipit;

III. *Pa-*

III. *Papinianus lib.* 11. *Reſponſorum ait, contra Veterani patrisfamilias teſtamentum eſſe inofficioſi querelam, etſi ea ſola bona habuit quæ in caſtris quæſierat.*

IV. *Si quis in militia fecerit teſtamentum, & intra annum poſt militiam deceſſerit, dubito. An, quia ad hoc uſque temporis iure militari teſtamentum eius valet, querela inofficioſi ceſſat? Et poteſt dici querelam inofficioſi ceſſare.*

V. *Sed nec impuberis filii mater inofficioſum teſtamentum dicet, quia pater & hoc fecit, & ita Papinianus reſpondit. Nec patris frater, quia filii teſtamentum eſt. Ergo nec frater impuberis, ſi patris non dixit. Sed ſi in patris obtentum eſt, nec hoc valebit, niſi ſi pro parte patris reſciſſum eſt. Tunc enim pupillare valet.*

VI. *Si quis mortis cauſa filio donaverit quartam partem eius quod ad eum eſſet perventurum, ſi inteſtatus paterfamilias deceſſiſſet, puto ſecure eum teſtari.*

VII. *Si quis impuberi filio ſubſtituit, ſecundas tabulas faciendo, non ob hoc admittemus ipſum impuberem ad inofficioſi querelam.*

Hoc ordine legũtur in Pãdectis iſti paragraphi. Notat Advocatus, priores duos, tertium & quartũ, bene habere, & ordinẽ eſſe clarũ. Sed quæſo, inquit, quomodo quintus cohęret quarto? Definitum eſt tertio

tertio contra veterani patrisfamilias teſtamentum admitti inofficioſi querelam, etſi contra militis teſtamentum non admittatur, quia veteranus non eſt amplius miles. Paragrapho quarto adiicitur exceptio teſtamẽti quod quis fecit dũ eſſet miles, ac deinde militia miſſus intra annũ miſſionis obiit. Hoc teſtamentum valet intra annum iure militari, poſt annum à militia non valet. Sequitur deinde quintus paragraphus: *Sed nec impuberis filii mater inofficioſam teſtamentum dicit.* Dictiones, inquit, iſtæ, *ſed nec*, referuntur ad alia quæ pręceſſerũt, & quibus neceſſario cohęrẽt. Ulpianus, qui iſtos paragraphos ex Papiniani reſponſis collegit, non alium ordinem in his digerendis ſervavit, quã ut de militis teſtamento prius diceret, deinde adderet de privatorum teſtamentis quæ querelam inofficioſi pariter admitterent, aut nõ admitterent. In quarto paragrapho ſcripſit, ceſſare inofficioſi querelam adverſus eius teſtamentum quod militiæ tempore factum erat, cum teſtator militia miſſus intra annum obiiſſet. Cum igitur in hoc paragrapho dixerit, ceſſare inofficioſi querelã, ſatis, quod ſequitur, cohęrere prioribus visũ eſt, de alio teſtamẽti genere, in quo ſimiliter inofficioſi quere-

la ceſſaret: *Sed nec impuberis filii mater inofficioſum teſtamentum dicit, quia pater ei hoc fecit.* Nihil mutandum eſt in ſcriptis auctorum nec tranſponendum ſine magna cauſa, præcipue ſi veterum librorum auctoritas non ſuffragetur. Vidi multas Criticorum pares tranſpoſitiones in aliis auctoribus ſimiliter hariolantiũ, quos omnes falſos eſſe mihi conſtat, in Horatio, in Manilio, in Propertio, & aliis. Sed hæc levia præ aliis peccatis quæ paſſim in mutilandis & truncandis legibus admittit Advocatus. Alia lex eſt, quam male tranſpoſitam cum putavit, ipſe potius mente fuit tranſpoſita. Ea eſt LXIII. π. VII. D. Ad Sc. Trebellianum. Huius hoc thema eſt. Hæres ſub conditione inſtitutus, & reſtituere hæreditatem iuſſus, ſi conditio nec difficultatem, nec turpitudinem ullam haberet, nec impendiũ aliquod, parere conditioni cogitur, adire hæreditatẽ, & ita reſtituere. Si vero turpis ſit aut difficilis cõditio, aperte iniquum eſſe dicit Iuriſconſultus Gaius, eum cogi explere talem conditionem alterius gratia, ſed & remitti eam ab initio viſum eſſe. Rationem ſubdit, his verbis: *Plus enim tribui à prætore ei qui fideicommiſſum petat, quam teſtator voluit, abſurdum eſt. Vti-*

Vtique autem teſtator, niſi expleta ſit conditio, neque ſcriptum hæredem ad hæreditatem vocavit, neque per hunc illi voluit reſtitui hæreditatem. Iam non dico quam hæc bene cohæreant cum præcedentibus. Sed cum ſuo loco non poſita eſſe credat Advocatus, videndum eſt an melius aptari poſſint, & ſubnecti illis quibus ea accommodat. Sic enim reiicit hanc periodum poſt ſequentes paragraphos VIII. *Si dandæ pecuniæ conditio adſcripta eſt hæredi, debet ei offerre pecuniam, is qui poſcit fideicommiſſum, ut hæreditatem impleta conditione poſſit adire.* Pro ratione deinde ſubiicienda putat verba illa quæ paulo ante produximus: *plus enim tribui à prætore ei qui fideicommiſſum petet quam teſtator voluit abſurdum eſt.* Quomodo hæc convenient? Teſtator appoſuit conditionem hæredi ſcripto pecuniæ dandæ, ut hæreditatem ſuam adire poſſet, non ei cui hæreditatem reddi voluit. Prætor autem conditionem illam ab ipſo fideicommiſſario impleri ſtatuit, nec cogi vult hæredem ei parere niſi pecuniam ipſi offerat fideicommiſſarius. Non igitur hac ratione plus tribuitur à prætore ei qui fideicommiſſum petit quam teſtator voluit. Immo minus. Nam teſtator hanc condi-

tionem adſcripſit hæredi, ut certam pecuniæ ſummam daret, ſi hæreditatem adire vellet, prætor autem eam pecuniam offerri ei à fideicommiſſario ſancit, ut impleat conditionem, & ſic adeat hæreditatem, reſtituatque ei qui fideicommiſſum petit. Videtur ſentire hic Caius, omnimodo explendam eſſe conditionem à teſtatore adſcriptam, ſive ab hærede, ſive à fideicommiſſario, ſive in dando poſita ſit, ſive in faciendo. Sic enim ſcribit: *Vtique autem teſtator niſi expleta ſit conditio, neque ſcriptum hæredem ad hæreditatem vocavit, neque per hunc illi voluit reſtitui hæreditatem.* Quod ad hæredem autem attinet ſub conditione inſtitutum, iubendum eum eſſe dicit conditioni parere, ſi neque difficultatem habeat, neque turpitudinem, neque impendium. Si habeat impendium, id eſt, ſi danda pecunia ſit, non eſt cogendus hæres eam dare, ſed qui fideicommiſſum petit, offerre illam hæredi debet, ut conditionem impleat. Si turpis aut difficilis ſit conditio, non eſt cogendus hæres eam explere alterius gratia, & remitti eam ſolere idem dicit. An fideicommiſſario quoque remittitur? Dubito. Et quæ ſubiicit, contrarium videntur ſignificare:

Plus

Plus enim tribui à prætore ei qui fideicommiſſum petit quam teſtator voluit, abſurdum eſt. Tribui ei hæreditatem niſi conditione expleta noluit teſtator, ut ea quæ protinus adiecit, oſtendunt. Ergo eam ipſe fideicommiſſarius explere debet, niſi hæres ſatisfacere velit. Hoc eſt plane quod dicit Marcianus, leg. XXXI. D. eodem, ſi hæres inſtitutus ſub conditione nolit ei parere & adire, ſi in dando ſit, offerente pecuniam fideicommiſſario ſic conditioni parere cogitur: Si in faciendo ſit, recuſante eodem factũ adimplere, *licentia dabitur fideicommiſſario ſecundum imitationem dationis factum implere, & tunc neceſſitas imponetur hæredi hæreditatem adire.* Sed Advocatus poſt Fabrum putat, adiecta hæc eſſe verba, vel à Triboniano, vel ab antiquiſſimo aliquo gloſſatore. *Si facti autem eſt conditio, recuſante hærede, licentia dabitur fideicommiſſario ſecundum imitationem dationis factum implere, & tunc neceſſitas imponitur hæredi adire hæreditatem.* Ego vero illis aſſenſum præbere vix queo. Et quod barbara hæc dicit eſſe Advocatus, *ſecundum imitationem dationis,* Latine & recte ea dici opinor. Quid enim in his barbari, *ſecundum imitationem dationis,* id eſt, ad exemplum dationis? Quod

ad rem ipſam attinet, non video cur magis conditionem quę in dando poſita eſt, implere debeat fideicommiſſarius quam eam quæ in faciendo conſiſtit. Nec moror ineptam argutiam, dicentium, Fideicommiſſarium non poſſe pro hærede pecuniam dare ſi ſub conditione dandæ pecuniæ inſtitutus eſt, ſed eam debere ſuppeditare ut conditioni ſatisfaciat. Vbi pecunia danda eſt, ad implendam conditionem à teſtatore adſcriptam, quis eam implet niſi qui dat? Hæres, ſi turpis, aut difficilis, aut impendioſa conditio adpoſita ſit, non cogitur eam implere in gratiam alterius, id eſt, eius qui fideicommiſſum petit. Si ad eam implendã quæ in pecunia danda conſiſtit, fideicommiſſarius pecuniã tenetur ſuppeditare, quidni debeat & difficilem explere ſi nolit ei parere hæres? Immo vel turpem. Nam fieri poteſt, ut turpis ſit conditio in perſona hæredis, quæ talis non habeatur in perſona fideicommiſſarii. Sed & difficilis aliqua cõditio videri poſſet ſi hæres eã cogeretur adimplere, quæ facilis ſit fideicommiſſario. Si enim, ut loquitur Gaius, neque ſcriptum hæredem ad hæreditatem vocavit teſtator, neque per hunc fideicommiſſario reſtitui voluit, niſi

niſi expleta conditione, non intereſſe credidit prætor per quem expleretur, ſive in faciendo, ſive in dando exigatur. Recuſante autem utramque hærede cum maxime interſit fideicommiſſarii, ei pareri, ut hæreditatem nanciſcatur, ipſe potius ei ſatisfacere tenetur, ſi hæres non cogatur. Nec obſtat quod aiunt Doctores, conditiones quæ in faciendo conſiſtunt impleri debere *in forma ſpecifica*, nec alium pro alio eas implere poſſe. Quod colligunt ex leg. XLIV. D. de conditionibus, & demonſtrationibus. Diverſum quippe thema illius legis, nec quæ ibi de dando dicuntur, accommodari poſſunt conditioni dandæ pecuniæ ſub qua hæres inſtitutus eſt. Hic hæres dare iubetur, illic hæredi debet dari. Qui hæredi dare iuſſus eſt, non poteſt niſi ipſi hæredi dare. Ideo ſi ſervus alienus inſtitutus eſt, hæres qui ei dare iuſſus eſt, non poteſt domino dare, ſed ipſi ſervo debet. Et ratio ibi redditur, *quia quæ facti ſunt, non tranſeunt ad dominum*. Datio facti eſſe cenſetur. At in hærede inſtituto ſub conditione dandæ pecuniæ, ea conditio non in facto, id eſt, in faciendo, poſita dicitur, ſed in dando. Et utrumque diſerte & expreſſe di-

diſtinxit Marcianus dicta leg. XXXI, conditionem facti, id eſt, in faciendo conſiſtentem, & conditionem dandi, vel in dando poſitam. Qui dare iuſſus eſt hæredi, debet illi dare, nec poteſt alii. Qui inſtitutus eſt hæres ſub conditione dandi, non dare ipſe cogitur, & ſi nolit parere conditioni, prætor eam illi remittit. Tunc fideicommiſſarius debet ei offerre pecuniam, ut impleta conditione poſſit adire & reſtituere. Nihil refert ad implendam conditionem dandi à teſtatore adpoſitam, utrum pecuniam det hæres, an fideicommiſſarius. Ergo nihil etiam refert, utrum fideicommiſſarius, an hæres facti conditionem impleat, ſi omnimodo implenda eſt, idque imitatione & exemplo pecuniæ dationis. In eo cui dandum eſt, non poteſt alii dari quam ei cui iuſſum eſt dari. Qui ſervo alieno inſtituto dare iuſſus eſt, non poteſt domino dare. Magna igitur in his differentia eſt. Conditionũ autẽ ſub quibus aliquis inſtitui poteſt hæres, qui hæreditatem ex Trebelliano reſtituere debeat, aliæ ſunt turpes, aliæ difficiles, aliæ impendioſæ, aliæ impoſſibiles. Quod attinet ad impoſſibiles, earum rationem non habebat prætor, ut patet ex leg. dicta

ctaxxxi. D. eodem. *Cateræ*, inquit, *conditiones, quæ non ſunt in poteſtate hæredis, ad officium prætoris non pertinent.* Id eſt, pro nullis habebantur, ut conſtat ex leg. 111. D. de conditionibus, & demonſtrationibus: *Obtinuit, impoſſibiles conditiones teſtamento adſcriptas pro nullis habendas.* Perperam Advocatus *impoſſibiles* interpretatur, ad quas implendas non debet hæres cogi, licet alioquin faciles ſint, non turpes, & in poteſtate eius poſitæ, ut illa eſt *ferendi nominis*. Quæ etiam una erat earum conditionum quas prætor exigebat, cum aliæ eſſent quas remittere ſolitus erat. Gaius leg. qua ſupra, D. eodem, π. x. *Si vero nominis ferendi conditio eſt, quam prætor exigit, recte quidem facturus videtur, ſi eam expleverit: nihil enim mali eſt, honeſti hominis nomen adſumere: nec enim in famoſis & turpibus nominibus hanc conditionem exigit prætor.* Putabat tamen Iulianus, ſi hæres recuſaret nomen ferre, remittendam ei eſſe conditionem. Rationē cur remitti debeat, hanc adiicit de ſuo Advocatus, quæ nunquā alicui veteri Iuriſconſulto veniſſet in mentem. *Nam*, inquit, *etſi non eſt turpis conditio, eſt tamen difficilis, immo impoſſibilis: ſiquidem non poteſt iure cogi, ut nomen ſuū mutet, & aliud adſu-*

mat. Ne inter difficiles quidem conditiones reponi hæc debet, nedum inter impoſſibiles. Impoſſibiles ad prætoris officium nihil pertinebant, & pro nullis habebantur. Difficiles remittebat prætor. Hãc vero nominis ferẽdi conditionẽ prętor exigebat, ut diſerte ibi dicit Caius. Nec ergo difficilis ei viſa, nec impoſſibilis. Quod Iulianus cẽſuit, remittendã eſſe hanc conditionẽ hæredi, ſi recuſaret nomẽ ferre, hoc nõ facit, ut difficilis aut impoſſibilis videatur. Sed in idiomate noſtro, cũ aliquid recuſamus, ut potentiſſimam credamur habere rationem non faciendi quod poſcimur, dicere urbane ſolemus, impoſſibile nobis eſſe id facere, dare, aut ſuſcipere. Frontis ad urbanæ deſcendit præmia Advocatus, qui impoſſibilem conditionem ait eſſe nominis ferendi, quæ tota tamen poſita eſt in poteſtate eius qui recuſat. Cæterum hanc ferendi nominis conditionem ex illis eſſe, quæ, recuſantę implere hærede, permitti debeat fideicommiſſario, non puto. Nam ex affectu proficiſcitur. Et, qui vellet hæredem nomen ſuum ferre teſtator, non alium vellet.

CAP.

CAP. XX.

Lex Vlpiani ex D. de donationibus inter virum & uxorem explicata. Imperite ea accepta ab Advocato Pariſienſi. Quid ſit contrahere ſocietatẽ præſtituto fine. Qualis ſocietas fuerit donationis cauſa contracta. Quid ſit finis pretii.

PEſſIME, ut magis nequiter non potuerit, interpretatus eſt Advocatus legẽ XXXII. π. XXIV. D. de donationibus inter virum & uxorem, in his verbis: *quæ tamen in commune tenuerunt, ſine præſtituto revocanda non ſunt.* Quæ quidem verba peſſime ait accepiſſe cęteros interpretes, cum ipſe itidẽ nihil in illis viderit, nec quid voluerit Vlpianus ullo modo aſſequutus ſit. *Hoc autem*, inquit, *volebat Vlpianus: ſi contracta re vera erat ſocietas, etſi alter pauca, alter magnas opes in ſocietatem contuliſſet, quomodo donatio facta videbatur eius, quod ex inæquali collatione fiebat lucri, non ideo revocandam ſocietatem, ſed ad præſtitutum finem deducendam, id eſt, ad æqualitatem, ut quod excedit, ab altero collatum ſit extra ſocietatem.* Tot verba nollem perdere quot iſte in vanum effudit, ut oſtenderet, ſe nihil prorſus intellexiſſe, neque in hac lege

lege Vlpiani, neque omnino in ſocietate quæ fiebat donationis gratia. Si percepiſſet, quæ conditio fuerit illius ſocietatis, quæ inſtituebatur donationis gratia, & quam leges vetuerunt, in tam abſurdam & ineptam verborum Vlpiani interpretationem non ſe præcipitaſſet. Ergo, ut hæc eius ſententia eſt, omnis ſocietas, quæ cauſa donationis interponitur, valere debet, ſi modo æquales partes conferant qui ſocietatem coierunt. Et inter virum quoque, & uxorem huiuſmodi valitura eſt ſocietas, ſi ad æqualitatem deducatur utrimque. Quod eo modo fieri poſſe putat, ſi, quod excedit ab altero collatum, ſit extra ſocietatem. Quæ eſt mera hariolatio, quæ nullum in iure habet fundamentum, & nulla ratione aut auctoritate ſubnixa eſt. Neſciſſe qualis eſſet ſocietas quæ contraheretur donationis cauſa, verba eius initio cap. XXI, poſita abunde fidem faciunt. Sic enim ſcribit: *Donationis cauſa ſocietatem recte non contrahi*, definiebat Ulpianus, leg. V. π. ult. D. pro ſocio. Atque ius illud vulgatum eſſe, id eſt, commune, & inter quaſlibet perſonas receptũ dicebat Lex cum hic ſtatus eſſet, XXXII. π. Si inter. D. de donationibus inter virum

virũ & uxorem. *Cuius definitionis*, inquit, *cauſa eſt manifeſta. Cum enim ſocietas conſtat ex ſociorum collatione, ſive alius operam, alius pecuniam conferat, ſive uterque pecuniam, damni & lucri participes futuri: ſane ſi quis nihil omnino confert, cum eo contrahi non videtur ſocietas. Sed ſi non valet ut ſocietas, nonne valebit ſaltem ut donatio?* Videtur ſentire, talem ſocietatem in qua alter nihil omnino confert, non pecuniam, non operam, nec induſtriam, eam eſſe quam Iuriſconſultus dixit donationis cauſa contrahi. Et cum nullam eſſe huiuſmodi ſocietatem unamimiter leges Romanæ definiant, ſaltem valere tanquam donationem noſter Advocatus opinatur, & hanc fuiſſe Accurſii ſententiam. De Accurſio neſcio quid ſenſerit, ſed illud ſcio, nullam ſocietatẽ contrahi ſolitam donationis cauſa, quin hoc ipſum in contrahenda ſocietate exprimeretur. Alioquin non eſt ſocietas donationis cauſa, niſi, eam in hunc finem, & ex ea cauſa inſtitui, in contrahenda ſocietate expreſſim dicatur. Si coeatur autem talis ſocietas, ut alter lucrum tantum, alter damnum ſentiat, quamvis lucrum ab una parte ſit, ab altera damnum, non tamen eam eſſe ſocietatem donationis cauſa, patet ex leg.

XXIX.

XXIX. π. 11. D. pro ſocio, *ubi Ariſto refert, Caſſium reſpondiſſe, ſocietatem talem coiri non poſſe, ut alter lucrum tantum, alter damnum ſentiret, & hanc ſocietatem Leoninam ſolitam appellari.* Quæ ſocietas alia videri poſſit ex ſententia Advocati, donationis cauſa magis contracta, quam hæc? Non tamen eſt. Quia ſocietatis, quæ donationis cauſa coitur, alia ratio eſt. Poteſt etiam ita coiri ſocietas, ut alter nullam partē damni habeat, lucrũ vero commune ſit, ut ait lex eadem, π. 1. D. eodem. Quam tamen ita demum valere Sabino placuit, ſi tanti ſit opera, quanti damnum eſt: *Plerumque enim tantam eſſe induſtriam ſocii, ut plus ſocietati conferat quam pecunia, item ſi ſolus naviget, ſi ſolus peregrinetur, periculum ſubeat ſolus.* Si igitur ea conditione fit ſocietas, ut unus nihil conferat induſtriæ in ſocietatem, nihil pecuniæ, nullum inde damnum ſentiat, & lucri partem ferat, per ſe nulla eſt talis ſocietas, nec vero ſic contrahi poteſt. Ne donationis quidem cauſa valere poteſt, cum nulla donatio fieri poſſit per ſocietatem huiuſmodi. Nec inter donationum genera ullum numerant Iuriſconſulti quod per ſocietatem celebratur. Si valeret talis donatio, quæ finis eſſet ſocietatis ex ea

cau-

cauſa contractæ, cum finis valeat, etiam dicendum eſſet ſocietatem valiturã quæ hoc propoſitum haberet donandi. Sed ſocietas donationis cauſa contracta non fuit talis, ut eam imaginantur fuiſſe hariolatores Advocati. Ita contrahebatur donationis cauſa ſocietas, ut in perpetuum, id eſt, ad vitæ tempus coiretur, & omnium bonorum, ſic, ut ſuperſtes defuncto ſocio bona cõmunia ſolus haberet titulo donationis mortis cauſa. Quod diſerte ſcribitur leg. xxxv. π. D. v. de mortis cauſa donationibus: *Si quis ſocietatem per donationem mortis cauſa inierit, dicendum eſt nullam ſocietatem eſſe.* Sed nec valet tanquam donatio huiuſmodi ſocietas, quia cum nulla ſit ſocietas propter donationem inita, nec donatio quæ pro fine eſt tali ſocietati, valere poteſt. Non aliam fuiſſe ſocietatem quæ cauſa donationis iniri dicebatur, iam planum faciam ex ea ſocietate cauſa donationis quę inter virum & uxorem prohibetur, lege ſupraſcripta, π. xxiv. D. de donationibus inter virum & uxorem. Ibi ſcribit Vlpianus, nullam dari pro ſocio actionem in huiuſmodi ſocietatibus cauſa donationis contractis, nec inter cæteros, quia nulla eſt ſocietas quæ cauſa donatio-

tio-

tionis interponatur. Idcirco nec inter virum & uxorem valere talem ſocietatem, nec talem donationem, quia vulgatũ ſit ius ac commune, tales ſocietates nullas eſſe, nec inter virum & uxorem, nec inter cæteros. Ea igitur erat ſocietas omnium bonorum, & ad vitæ tempus contracta, & ſub conditione donationis cauſa mortis, ita ut qui ex duobus ſociis ſuperſtes eſſet, communia bona ſolus poſſideret. Hanc fuiſſe illius ſocietatis quæ donationis cauſa coibatur, rationem, & conditionem, ſtatumque, conſtat ex iis quæ ſcripſit Vlpianus in eadem lege. Vbi enim dixit, ſi inter virum & uxorem ſocietas donationis cauſa contracta ſit, iure vulgato nullam eſſe, addit, *quæ tamen in commune tenuerunt ſine præſtituto, revocanda non ſunt.* Ita enim diſtinguenda hæc ſunt verba, non ut vulgo interpunguntur, *quæ in commune tenuerunt, ſine præſtituto revocanda non ſunt.* Mens horum verborum hæc eſt. Quorum bonorum ſocietatem inierant, & in commune tenuerant vir & uxor, ſine præſtituto, id eſt, præfinito tempore, ea revocanda non ſunt: Id eſt, eorum ſocietas non eſt nulla. Ergo ſi certorum bonorum ſocietatem contraxerint vir &

mu-

mulier, & ad tempus, ſive tempore præſtituto, non poteſt ea ſocietas videri contracta donationis cauſa, atque ideo valet. Quæ enim ad tempus coitur ſocietas, nō videtur donationis cauſa coiri. Nam finito tempore quod præſtitutum eſt, finitur & ſocietas, & uterque quod in ſocietatem attulit, vel contulit, recipit, & partem bonorum quam habuit in communione, actione pro ſocio petit. Poterat quidem & in perpetuum coiri ſocietas, id eſt, ut interpretatur lex prima, D. pro ſocio, *dum vivunt* : & morte diſſolvebatur ea ſocietas, citra donationem tamen. Quæ vero donationis cauſa contrahebatur, & omnium bonorum fuit, & ad vitæ tempus, ut poſt mortem ſocii, ſuperſtes ſocius bona communia haberet titulo donationis per ſocietatem factæ, vel ex cauſa ſocietatis. Cum nulla ſit talis ſocietas, nec inter virum & uxorem, nec inter cæteros homines, licita autem ſit ac valeat inter virum & uxorem quæ in partem bonorum contrahitur, & præſtituto fine, id eſt, præſtituto tempore quo finiri debeat, ex horum comparatione liquet, donationis cauſa interpoſitam ſocietatem, & univerſorum bonorum eſſe, & ad mortis uſ-

que tempus, cum poſt mortem alterius ex ſociis locum haberet donatio per talem ſocietatem facta. Prodigioſe autem inſcita eſt atque inepta expoſitio verborum Ulpiani, *præſtituto fine*, quam commentus eſt Advocatus, de ſocietate ad *præſtitutum finem deducenda*, id eſt, æqualitatem, ut quod excedit ab altero collatum ſit extra ſocietatem. Quis illum præſtituit finem? An hic mos fuit in ſocietatibus, ut non aliter contraheretur, niſi exæquatione bonorum facta? Lectus titulus pro ſocio contrarium docebit. An ius fuit, ubi pars bonorum alterius excederet, ut in ſocietatē id tantum conferretur quod æquale eſſet bonis alterius ſocii? In omniū bonorum ſocietate, *& hæreditas, & legatum, & quod donatum erat, aut quaqua ratione acquiſitum, communioni adquirebatur*, ut conſtat ex leg. XLIII. D. pro ſocio. An æqualitas inter ſocios hoc modo ſervari poterat aut debebat? Vt probet, *præſtitutum finem* idem eſſe quod modum præſtitutum intra quem valeat ſocietas æqualitate ſervata, ſic *finem pretii* dicit apud Papinianum idem eſſe quod quantitatem, leg. LXIII. π. ult. de evictionibus. Quid ſimile? Hic *finis* non eſt modus præſtitutus,

tutus, ut dixi, ſed tempus præfinitum ſocietatis, vel finis præſtitutus ſocietati, quo nimirum finiri debet ſocietas. Apud Papinianum lege ab Advocato citata, *finis pretii* non eſt quantitas, ſed finitio, & determinatio. Ὁρίζειν τὴν τιμὴν Græci dicunt ſtatuere pretium, ponere, determinare, & ὁρίζειν τίμημα. Vnde τίμημα ὡρισμένον apud Harpocrationem. Ergo *finis pretii* eſt, ὁρισμὸς τῆς τιμῆς, vel finitio. *Scilicet ut, melioris vel deterioris agri facti cauſa, finem pretii, quo fuerat tempore diviſionis æſtimatus, deminuat vel excedat.* Finis pretii eſt, taxatio pretii ac definitio. Hinc *finire* pro taxant apud Pompeium Feſtum. *Taxat*, inquit, *verbum ponitur in iis quæ finiuntur, quoad tangi liceat. In litibus quoque arbitriove, cum præſcribitur quoad ei ius ſit ſtatuendi, taxatio dicitur quæ fit certæ ſummæ.* Ergo qui taxat pretium, finit pretium & finem pretii facit.

CAP. XXI.

Lex IV. D. *de re militari, aliquot locis emendata & explicata. Gratioſum Latine dici qui gratia pollet ac favore. De militum privilegiis ac prærogativa. Quid ſit in eadem lege ordo iudicationis. De exauctoratione militum, an ſemper cum ignominia proceſſerit. A militia removeri dicti, qui ignominiæ cauſa cingulo militiæ exuebantur, & dimittebantur.*

TOTUM ferme ius percucurrit Advocatus, ut hinc inde quæ ipſi aliquando ſomnianti vel hariolanti in mentem neſcio quo afflatu inciderant emendationes, ex libri margine ſumptas, ubi eas adnotaverat, in obſervationum & emendationum centonem tranſlatas, in ἀϛοχίας ſuæ ſpecimen nobis proponeret. Iam ſumus in titulo Pandectarum de re militari. Ex eo titulo unicam emendationem nobis ſuppeditavit, eamque retulit in cap. XXII. Obſervationum. Lex eſt IV. quam ibi emendare aggreſſus eſt. Quam felici exitu, ſpectandum. Ita ſcriptus habetur legis illius π. V. [illegible]. *Non omnis qui litem habuit, & ideo militaverit, exauctorari iubetur, ſed qui eo animo*

animo militiæ ſe dedit, ut ſub obtentu militiæ pretioſiorem ſe adverſario faceret. Voluit primo interpretari vulgarem iſtam lectionem *pretioſiorem*, qua voce fortaſſean expreſſerit Menander dictionem Græcam τιμιώτερον, & ex ſequenti, φοβερώτερον. Nullam ego video in his conſequentiam, ut quicunque fuerit τιμιώτερος, carior, pretioſior, honoratior, is etiam ſit terribilior, & magis formidabilis. Quod alii repoſuerunt *præciſiorem*, quaſi duriorem & intractabiliorem, recte fateor hoc ab Advocato improbari. Quid ipſi demum placeat videamus. Perſuaſit ſibi ſcriptum fuiſſe à Menandro *ſpecioſiorem*. Qua quidem dictione affirmat nullam hoc loco potuiſſe adhiberi commodiorem. Quod ſit probat ex leg. c. D. de verborum ſignificatione, his verbis: *Specioſas perſonas accipere debemus clariſſimas perſonas utriuſque ſexus.* Certe *ſpecies* pro dignitate & ἀξιώματι etiam accipitur Latinis, & *ſpecioſus* idem qui ἀξιωματικός. Non propterea tamen huic loco ac commodã hanc dictionem eſſe arbitror. De eo ſermo eſt, qui nomen militiæ dedit quod litem haberet, ut litis haberet exitum favorabiliorem, propter privilegia quæ militibus daban-

tur litigantibus. Ea multis memorat Iuvenalis Satyra ultima, quæ legenda eſt tota, ſcire aventi, quantus fuerit militum favor, gratia, privilegia quanta, & quanta deniq; prærogativa militis qui negotium haberet cum privato. Vel gregarius miles his omnibus fruebatur commodis quæ ibi narrantur à Satyrico. Qui igitur ſe militiæ dedit, de gregario milite is in ea lege debet accipi. At miles gregarius non admodum ſpecioſus nec cum clariſſimis perſonis comparandus, ut vocem *ſpecioſus* interpretatur Iuriſconſultus. Non dubito à Triboniano, ſuppoſitam fuiſſe hanc dictionem in lege Arriii Menandri pro eo quod ſcripſerat auctor, *ut ſe gratioſiorem adverſario faceret.* Tẽpore Iuſtiniani nõ amplius erat in uſu vox Latina *gratioſus* eo ſenſu quo purior eam Latinitas uſurpavit atque antiquior. Hoc enim ubique propoſitũ videtur habuiſſe in cõſarcinandis Pandectis, ut voces antiquiores ac Latiniores, & iam exoletas uſitatis mutaret quãvis minus Latinis. Quod poſſet multis exemplis probari. *Gratioſus* igitur is dicebatur qui in maiore erat gratia ac favore. Hinc *miſſio gratioſa*, quæ per favorem obtenta eſt, nondum confecto legi-

timo temporeſtipendiorum. Livius lib. XLIII. *Et quorum ante emerita ſtipendia gratioſa miſſio ſibi viſa eſſet.* Et paſſim in iure, & apud alios auctores claſſicos, *gratiam* pro favore poni, neminem latet. Hinc *gratioſa* ſententia *gratioſa* auctio, emptio, in iure, ſicut iam ab aliis notatū. Hinc *gratioſus*, qui gratia pollet & favore apud aliquem. Vt apud Ciceronem, *gratioſum apud Publicanos*, ſecunda in Verrem: *Niſi forte quid gratioſum apud publicanos fuiſſe in ea re ſpes te aliqua conſolatur.* Item apud eumdem in tertio: *Splendidi homines, & aliis prætoribus gratioſi.* Et in ea pro P. Quinctio ſtatim initio: *P. Quinctius cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ ſunt, cum adverſario gratioſiſſimo contendat.* Ita prorſus milites *gratioſiores* cum pagano litigantes. Quam gratioſi fuerint milites præ paganis una quam dixi Satyra Iuvenalis oſtendet, vel in his verſibus:

--- citius falſum producere teſtem
Contra paganum poſſit, quam vera loquentem,
Contra fortunam armati, contraque pudorem.

Non eſt dubium igitur, quin ſcripſerit Arrius in prædicta lege: *Qui eo animo ſe*

militiæ dedit, ut ſe gratioſiorem adverſario ſuo faceret. Pro quo repoſuit Tribonianus, *pretioſiorẽ.* Niſi quis velit imperito librario id adſcribere. Sequuntur apud Arriũ verba quæ etiam provocarunt hariolationem Advocati, quia non potuit aliter ea intelligere: *Nec tamen facile indulgendum eſt extra ordinem iudicationis, qui negotium ante habuerunt, ſed ſi in tranſactione recidit.* In his quærit quid ſit *facile* Advocatus. *Quid eſt facile? Interpretabatur,* inquit, *ipſe, vel gloſſator potius aliquis, aut ipſe etiam Tribonianus, extra ordinem iudicationis, id eſt, non niſi cauſa cognita.* Hæc ſunt indigna Advocato, qui ſe iuriſperitum facit, & unum quidem de celeberrimis. Primũ quis gloſſator adeo ineptus, quãlibet fingere ineptũ liceat, qui potuerit hic *facile* interpretari *extra ordinẽ iudicationis?* Deinde quis hæc verba queat accipere ut ſonant, pro *non niſi cauſa cognita*? Præterea neque gloſſa hæc neque textus ita expoſitus, quidquam faciunt ad ſententiam Arrii quã locus ille poſtulat. Dixerat Arrius, non omnes qui litem habent, & militam ſequuti ſunt, exauctorandos eſſe, ſed eum qui eo animo militiæ ſe dedit ut ſub obtentu militiæ ſe faceret gratioſiorem adverſario. Addit, non tamen

men facile indulgendum eſſe iis qui negotium ante habuerunt, quamvis id extra ordinem iudicationis ſit. Sic enim diſtinguenda eius verba ſunt: *Nec tamen facile indulgendum eſt, extra ordinem iudicationis qui negotium ante habuerunt.* Hoc vult, non facile tamen exauctorationis gratiam illis eſſe faciendam qui ante negotium habuerunt extra iudicationis ordinem. Certus ordo fuit quo cauſæ aliæ poſt alias iudicandæ in ſeriem diſponebantur, & recipiebantur. Quod etiam hodieque fit. De quo ordine iudicationis notavit nonnulla Salmaſius in libro de modo uſurarum. Iuvenalis in Satyra de privilegiis militum: *Expectandus erit qui lites incboat annus.* Extra ordinem iudicationis, cauſa vel lis eſſe dicitur quæ non eſt in ordine ac ſerie cauſarum iudicandarum. Quamvis autem negotium habuerit ante miles quod in ordine iudicationis non ſit, ſi tamen propter illud negotium militiæ nomen dedit, exauctorari iubere ait Arrium, nec illi gratiam eſſe faciendam exauctorationis. Hoc eſt quod dicit, non facile illi indulgendum eſſe, non facile præſtandam indulgentiam ac veniam exauctorationis. Hic plane ſenſus eſt illius loci. Quæ ſequuntur,

tur, etiam corrupta ſunt apud eumdem Arrium, quæ fruſtra corrigere tentavit Cauſidicus. Sic vulgo leguntur, *Sed ſi in tranſactione recidit, indulgendum.* Omnino reſcribendum: *Sed ſi id tranſactione decidit, indulgendum.* Indulgendum illi de exauctoratione, ſi id negotium quod ante habuit extra ordinem iudicationis, tranſactione deciderit. *D* & *R* ſæpe in veteribus libris invicem permutantur. Horatius:

--- & poſt deciſa negotia campo.

Certe hæc emendatio, longe minus à veſtigiis vulgaræ ſcripturæ recedit, quam quæ ab Advocato excogitata eſt: *Sed ſi in tranſactionem rei cecidit.* Sic errat ille longiter, cum ſcribit: *vix exauctorationem uſurpari quotidiano uſu ſine aliqua nota.* Hic exauctorantur qui ſe militiæ dederant propter litem, ſed ſine infamiæ nota. *Exauctorare* ſimpliciter eſt, auctorationis ſacramento ſolvere. Milites auctorati ad militiam erant ſacramento quod dicebant. Quocumque modo liberarentur illo ſacramento, ſive honeſta miſſione, ſive ignominioſa, ſive etiam cauſaria, vel gratioſa, *exauctorari* dicebantur. Quod contrarium eſt *auctorari*. Hinc ſolent auctores, cum de exauctoratione ignominio-

minioſa agitur, id explicare ut plurimum verbo aliquo adiecto quo ſignatur ignominia. Ut idem Arrius Menander leg. XXIX. D. de liberali cauſa. Qui de libertate ſua litigans, *necdum ſententia data, militiæ ſe dedit, in pari cauſa cæteris ſervis habendus eſt, nec exonerat eum, quod pro libero habeatur in quibuſdam, & licet liber apparuerit, exauctoratur, id eſt, militia remotus caſtris eiicitur.* Tolli vult iſta verba Advocatus, *id eſt, militia remotus*, quæ non ſunt, inquit, Menandri ſed gloſſatoris. Immo Menandri eſſe præſto. Sed Advocatus antiquum hic ſuum obtinet, ut pro gloſſamentis habeat quæ nihil minus ſunt. Quia exauctoratio non ſemper ignominiam infert, ſed tum demum cum fit ignominiæ cauſa, ideo Arrius, *exauctoratur*, hic interpretatus eſt, militia removetur ac caſtris eiicitur. Hoc enim proprie verbum in his militibus ſolitum uſurpari, qui, cum ignominia exauctorabãtur, à caſtris vel à militia vel ab exercitu *removeri* dicebãtur, ut *ſenatu moveri* quos cenſor notans ſenatu eiiciebat. Cæſar cũ Avienum ignominioſe exauctoraret, ita in eum de ſuggeſtu convocatis legionum tribunis centurionibuſque pronuntiavit. *C. Aviene, quod in Italia milites populi Ro-*

Romani contra remp. inſtigaſti, rapinaſque per municipia feciſti, ob eas res ignominiæ cauſa ab exercitu meo te removeo. Apud Hirtium de bello Africano. Sine ignominia exauctorari ſolitos qui ſacramento militari ſolverentur Tacitus ſatis diſerte teſtatur in Annali I. his verbis: *Miſſionem dari vicena ſtipendia meritis: Exauctorari qui ſena dena feciſſent, ac retineri ſub vexillo cæterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis.* Verum de his alibi.

CAP. XXII.

Lex XIV. *D. de contrahenda emptione expoſita. Materiam à qualitate in ea videri diverſam. Non erratur in qualitate ubi error eſt in parte materiæ ſeparata ab altera. Inauratum ab aureo qualitate diſcerni. Lex* XXI. *D. de actionibus empti explicata.*

Lex eſt XIV. D. de cõtrahenda emptione. Vlpianus in ea proponit quid dicendum ſit, aut quid iuris ſit, ſi in emptione contrahenda in materia & qualitate contrahentes erraverint, tã venditor quam emptor. *Quid tamen dicemus,* inquit, *ſi in materia & qualitate ambo errarunt? Vt puta ſi & ego me vendere aurum putarem, & tu emere cum æs eſſet.* In his verbis

legis

legis explicandis, *materia & qualitate*, hærent interpretes. Vulgo *materiam* & *qualitatem* pro eodem hic accipi notant. Quod diſplicet Advocato Pariſienſi, & merito. Ipſe vero ita legendum cenſet, ut verba quæ ſequuntur, *ut puta ſi & ego me vendere aurum putarem, & tu emere, cum æs eſſet*, pertinere putet ad eos qui erraverant in materia. Quæ vero iis ſubiecta ſunt. *Vt puta cohæredes viriolam qua aurea dicebatur, pretio exquiſito uni hæredi vendidiſſent, eaque inventa eſſet magna ex parte ærea*, ad eos referri debere qui errabant in qualitate. Non errabant omnino, inquit, in materia, quia auri aliquid inerat, ſed errabant in qualitate, quia auream putabant totam, quæ ex parte tantum aurea erat forma exteriore decepti. Qui ita ſcribit, eum, qualitas quid ſit, ignoraſſe contenderim. Etſi enim in parte tantum errarunt ambo contrahētes, qui putarunt, viriolam eſſe auream totam, cum ex magna parte ærea, in materia tamen erraſſe dicendi, non in tota quidem, ſed in eius parte. Nam partem eam quam credebant eſſe auream cum reliqua, ea fuit ærea. Hæc pars ærea non facit qualitatem corporis, ut nec illa aurea. Si ita mixtæ eſſent, ut unum corpus confuſum ex u-

tra-

traque exiſteret, tum ſane in qualitate erraret, qui hoc corpus pro aureo acciperent. Ex auro quidem eſſet, ſed adulterato, & multo ære mixto. Hoc qualitatatem auri efficit, non puri ſed κεκραμένης, & ære temperati. Sic qui aurum vendit quod non perfecte excoctum eſt ac repurgatū, pro puriſſimo auro & obryzo, qui id emit in qualitate errat. Tale quippe non eſt quale à ſe emi exiſtimat. Hic caſus eſt de qualitate in leg. x. D. eodem, ubi Paulus dicit, ſi aurum quidem fuerit, *deterius autem quam emptor exiſtimaret, emptionem valere.* Quare? Quia in nec materia nec in ſubſtantia ſit erratum, ſed in qualitate. Sic argentum Pariſienſe factum pro Alamannico argento, quod eſt deterioris notæ, ſi quis emeret, in qualitate erraret non in materia. In parte vero materiæ errat, non in qualitate, qui viriolam emit pro aurea tota, quæ partim aurea erat, partim ærea. Quomodo igitur ea expedienda in ſupraſcripta lege, *ſi in materia & qualitate ambo erraru̇nt?* Ulpianus ſine dubio hæc diſcrevit, nec materiam cum qualitate confudit. Quod enim ſequitur, *ut puta ſi & ego me vendere aurum putarem, & tu emere cum æs eſſet,* in his verbis in genere propoſuit ſpecimen ſive

exem-

exemplum eorum contrahentium qui in materia errarunt. Speciale protinus ſubiicit exemplum eiuſdem erroris in viriola vendenda commiſſi ab utroque contrahentium. *Vt puta*, inquit, *cum cohæredes vinolam quæ aurea dicebatur pretio exquiſito uni hæredi vendidiſſent, eaque inventa eſſet magna ex parte ærea.* Idem hoc thema in ſpecie propoſitum, quod ante generatim poſuit in anro vendito pro ære. Idque conſtat manifeſtiſſime ex reſponſo eiuſdem. Si enim ſimpliciter & abſolute de errore qui fit circa materiam intellexiſſet, non de eo caſu qui ſubiectus eſt in viriola vendita pro aurea tota quæ eſſet ex parte ærea, non quaſi dubitans propoſuiſſet, *quid dicemus ſi in materia ambo errarunt*? Quis enim ambigat quin dicendum ſit, in tali errore quo aurum pro ære venditur, nullam eſſe venditionem? Quod autem reſpondet venditionem eſſe conſtare cum ambo in materia errarunt, ut puta cum & venditor aurum ſe vendere, & emptor emere putaret, de ea ſpecie quæ ſtatim ab eo ſubiecta eſt, id accipiendum. Viriola, quæ aurea dicebatur, uni cohæredum impenſo pretio vendita eſt: iſte cohæres alii externo porro vendidit eam pro aurea tota, qui

&

& talem credidit quæ poſtea ærea magna ex parte inventa eſt. *Venditionem*, inquit Vlpianus, *eſſe conſtat*. Quid ita? Quia etſi in materia ambo errarunt, non tamen error ille fuit in tota ſubſtantia eius, ſed in parte tantum. Nam auri aliquid habuit. Aliter reſpondiſſet, ſi tota ærea eſſet inventa Cæterum ita in materia errarunt, ut non in tota error extiterit ſed in parte. Præterea ambo errarunt. Nam ſi venditor ſciſſet, æream eſſe ex parte quam pro aurea tota venderet, fraudi eius ac dolo non eſſet impune qui alterum fallere voluit. Non minus erravit venditor quam emptor. Ipſe pro aurea emerat à cohæredibus, & exquiſito quidem pretio, ut emerat, vendidit. Nec erratum eſt in toto, ſed in parte materiæ. Subiungit ſtatim Vlpianus: *Nam ſi inauratum aliquid ſit quod aureum putem, valet venditio.* Hæc verba ad qualitatem plane referenda, de qua legis initio, cum quærendum propoſuit, quid iuris eſſet, ſi in materia & qualitate ambo erraſſent. Prius de materia explicavit, poſito themate de viriola pro aurea vendita quæ ex parte erat ærea. Ad poſterius quod attinet de qualitate, nunc exponit, his verbis: *nam ſi inauratum aliquid ſit, quod ego au-*

aureum putem, valet venditio. Qualitate diſcernitur inauratum ab aureo: χρυσοῦν & χρυσωτόν: Aes purum & æs inauratum. Ideo & venditionem talẽ valere reſpondet Vlpianus, quia erratum tantum ſit in qualitate. Addti, *ſi autem æs pro auro venierit, non valet.* Id eſt, ſi in materia tota errarunt, adeo ut quod totũ eſſet ęreum pro toto aureo venditum foret & emptum. Perperam Advocatus errorem vendentis & ementis viriolam pro aurea tota quæ eſſet ex parte ærea, eundem facit cum errore ementis vinum acidum pro non acido, & aurum deterius pro obryzo. Quæ enim ſimilitudo eſt corporis ex duabus diverſis ſubſtantiis & ſeparatis compoſiti, & corporis quod totum eadem qualitate præditum eſt? In vino acido non ſunt duæ partes ſeparatæ, vini puri & vini aceſcentis, quæ ſeparari queant. Nec in auro aut argento deterioris notæ duæ inſunt partes auri aut argenti, una boni, altera peſſimi. In his duobus error eſt circa qualitatem, non circa materiam. Non eſt tale vinum quale ſe emere emptor putavit, tale argẽtum quale ipſi venditor venditavit, In eo vero quod eſt partim aureum partim æreum, ſi pro aureo toto vendatur, error eſt in parte

 mate-

materiæ, non in qualitate. Cum in parte igitur tantum materiæ diſſenſus eſt vel error, non in tota, æque valet venditio atque quum in qualitate errarunt contrahentes emptionem. *Qualitatem* in leg. XIV. ſupraſcripta Cuiacius interpretatur pro differentia ſubſtantiæ, utputa materiæ vel formæ, atque ita, inquit, Scyphus æreus & ſcyphus aureus, differunt ſubſtantia, materia, qualitate. Immo ſi eiuſdem formæ ſunt, differunt tantum ſubſtantia & materia, non qualitate. Alia quidem eſt æris quoque qualitas, alia auri, ſi natura utriuſque metalli ac proprietas ſpectetur, ſed quomodo Iuriſconſulti accipiunt vocem *qualitatis*, eadem corpora eiuſdem materiæ & formæ, qualitate nihilominus invicẽ diſtãt, ut ſcyphus aureus ab aureo. Etſi enim per omnia pares ſint & eiuſdẽ materię, ſi alter ex auro puriſſimo factus ſit, alter ex auro minus puro, qualitate cenſentur differre. Duo ſint vini dolia per vindemiam ex eodẽ muſto impleta: ſi unum ex his acuerit, qualitate divertit ab altero, quod ſincerum manſit. In utroque vino eadẽ *ὕλη* eſt ſive ſubſtãtia, non eadẽ qualitas. Illud quod acidum continebat ſi quis pro altero vendidiſſet, quia error

in qua-

in qualitate, non in ſubſtantia fuit, valebat venditio, ut habetur in leg. IX. D. de contrahenda emptione. Verum ut valida ſit talis venditio, debet conſenſus in corpore ipſo intervenire. Ut in dolio vini quod vænale eſt, ſi acidum ſit vinum quod in eo continetur, & ego in corpus conſenſi, quamvis putarim vinum eſſe ſincerum, venditio valet. Si vero alterum pro altero ſuppoſuerit venditor, acidũ pro non acido, quia in corpus non conſenſi, venditio nulla eſt. Dicit Vlpianus leg. II. D. eodem, *alioquin quid dicemus, ſi cæcus emptor fuit? vel ſi in materia erratur? vel in minus perito diſcernendarum materiarum? In corpus eos conſenſiſſe dicemus? Et quemadmodum conſenſit, qui non vidit?* Sic enim legendum. Non conſentit qui non videt & cæcus eſt. Cæcus eſt autem minus peritus diſcernendarum materiarum. Sed iſta cæcitas mentis vel ſenſuum in diſcernenda materia vitiat venditionem, non ea nocet quæ in dignoſcenda qualitate nihil videt. An ad errorem in qualitate diſcernenda pertinet cum quis, verbi gratia, acernã menſam vel nucinam nigro infectam pro ebenina emit? Ita videtur ſentire Paulus leg. XXI. ⁊. II. D. de actionibus empti, *veluti ſi menſas*

 quaſi

quaſi citreas emat quæ non ſunt. In materia non erratur, nam lignum eſt, ſed in qualitate, cum citreum putatur quod alterius eſt generis. Sed numquid dici poteſt, ebenum vel citrum videri alterius eſſe materiæ quam lignum aliud vilius? Nam in pretio immane diſcrimen eſt. Tale autem lignum, ut eſt citrum vel ebenum, magis diſtat à viliore aliquo ligno, ut eſt acer vel robur, quam plumbum à ſtagno, vel ſtagnum ab argento, vel æs ab auro. Hæc metalla ſunt, ut illa ligna. Marmor à molari lapide non magis differt, quam citrum à ligno querneo. Qui ex molari lapide factam columnam pro marmorea emeret, non erraret in materia ſcilicet. nam utrunque lapis eſt. Quantum tamen diſcrimen inter vulgarem lapidem & marmor? Tantum ſane eſt inter lignum citreum & vulgare. Ad pretium quod attinet, non maior eſt aurei ſcyphi & ęrei quam citreę menſæ & nucinæ, quam columnę ex pretioſiſſimo marmore aut ex vulgari lapide, differentia. Qualitatis ligni differẽtia videretur potius poſita in eodẽ genere ligni quod tempeſtive cæſum eſſet & non tempeſtive, quod carioſum & ſincerum, denique quod viride & ſiccum. Ad opera enim maximo diſcri-
mine

mine conſtat utrum adhibeatur viride & recens cæſum an longa vetuſtate duratum, utrum putrefactum an integrum. Sed hæc viderint quorum intereſt iſta melius ſcire. Peculiaris autem opinio eſt Pauli ab Vlpiano hac in re diſſidentis, ut in aliis, cum in corpore conſentiamus, de qualitate autem diſſentiamus, emptionem eſſe, & tamen venditorem teneri omnino quanti intereſt non eſſe deceptũ. Simpliciter quippe promuntiavit Vlpianus, ubi in qualitate cõtrahentes errarũt, nihilominus valere venditionem. Si valet venditio, vix videtur teneri venditor debere quanti intereſt non eſſe deceptũ. Ruſus ſi valet emptio, ut lectio Florentinarum Pandectarum ſuadet, quæ caret negatione, ubi de qualitate diſſenſerunt cum in corpore conſentirent, in valida emptione non eſt cauſa cur teneatur venditor ob damnumquod ſenſit emptor ex errore quo deceptus eſt in qualitate rei emptæ. Cuiacius ad Titulnm de verborum obligationibus leg. XXII. notavit, in Florentino negationẽ deeſſe, librarii mendo potius quam mendacio auctoris. Nam ſi tollatur, inquit, hoc paragrapho dicit, licet emptio valeat, cum erratum eſt in qualitate rei, ta-

men ex empto eſt actio, æque prudenter, ac ſi quis diceret, licet utile ſit mutuum quod dedi, tamen mihi competit ex mutuo. Licet homo ratione ſit præditus, rationem tamen habet. Ego vero non uſquequaque hæc ſimilia eſſe puto quæ in comparatione ab illo afferuntur. Emptionem eſſe cum in corpore conſenſus ſit, licet de qualitate diſſenſus ab utroque contrahentium intervenerit, liquet ex leg. XIV. D. de contrahenda emptione, quæ Vlpiani eſt. Nec alia fuit hac de re ſententia Pauli, ut patet ex leg. X. D. eodem, ubi dicit, emptionem valere, ſi aurum quidem fuerit, deterius autem quam emptor exiſtimarit. Circa qualitatem hic error exiſtit. Nec mirum porro, iuriſconſultos illos ſenſiſſe, errorem qualitatis & diſſenſum ſuper ea non vitiare emptionem, cum Marcello placuerit, emptionem & venditionem eſſe ſi in corpus conſenſum foret quamvis in materia erratum eſſet, ut diſerte habetur in leg. IX. D. eodem. Quod merito quidem ibi improbat Vlpianus, ſed tamen de qualitate non dubitat, ut nec Paulus, quin diſſenſio circa eam atque error vel utriuſque contrahentis non vitiet emptionem. Recta igitur eſt ſcriptura

ptura Florentini Corporis, quæ negationem non habet in leg. Si ſterilis, XXI. D. de actionibus empti, quam perperam Advocatus citavit ex Titulo Locati. Emptio igitur eſt, cum in corpore conſenſerunt emptor & venditor, tametſi in qualitate diſſenſerint & in eo ambo errarint, ut vult Paulus prædicta lege. Hæc eadem Vlpiani eſt ſententia, ſed nullam actionem dat emptori adverſus venditorem. Paulus è contrario actionem vult eſſe ex empto quanti interſuit emptoris non eſſe deceptum, id eſt, non aliud pro alio emiſſe. Quod ſi leve damnum ex ea re ſenſiſſet emptor, negligendum foret, & actionem nullam haberet. Sed cum ex diſſenſu qualitatis plerumque tam certam & immanem iacturam patiatur, ut error in materia non maiorem poſſit parere, æquum viſum eſt Iureconſulto Paulo, actionē dari emptori quanti interſit non fuiſſe deceptum, quālibet emptio teneat. Valet illa quidē, quia non vitiatur errore ac diſſenſu circa qualitatē, ſed quia tantum ſæpe importat damnum emptori hic error, ut non maius ſentiret ſi in materia erraſſet, ideo actio cōpetit. Exemplū quod adducit Paulus de citreis mēſis, id oſtēdit, *veluti ſi*

menſas quaſi citreas emit quæ non eſſent. Qui ęs pro auro emeret, qui error eſt in materia, non magis deciperetur, nec maiùs damnũ faceret. Quingẽtis millibus nummum aliqua citrea menſa emebatur, ut illa quam Tullius hoc pretio comparavit, Ex alio ligno vel pretioſiſſimo vix mille nummis conſtaret. Cum purpuræ color in uſu erat, & quidem adeo carus, ut contra argentum libra eius emeretur, ſi quis pallium emiſſet colore quidem tinctum purpureo, ſed non ex murice, cum putaret eſſe Tyrio fucatum, in qualitate quidem tantum erraſſet, non in materia, nec in corpore, plus tamen detrimenti inde ſentiret quam ſi vas ſtanneum pro argenteo emiſſet. De mutuo utili quod adduxit Cuiacius ſimile non eſt. Vbi utile eſt mutuum, nulla ex mutuo danda actio ei qui nihil ex eo damni ſentit. Ex errore vero qualitatis patet ex iis quæ diximus, quanta fraus intercedere poſſit & quam damnoſa emptori. Hæc ratio movit Paulum, ut putarit dandam eſſe actionem emptori quanti intereſt non eſſe deceptum, quamvis emptioni non officiat quominus valeat, error in qualitate.

CAP.

CAP. XXIII.

De ſupellectile fuſe tractatur. Eius definitio. Quomodo ab argento ſic proprie dicto diſtinguatur. Argentum ſupellectilis. Argentum factum, argentum, & argentea vaſa, Synonyma eſſe. De abaco, delphica & miniſterio, & argentario. Leges de ſupellectile explicatæ.

QVantus ſit in critica noſter Advocatus, iam oſtendimus, & adhuc oſtendam. Nunquam niſi ferro armatus ad illius divæ ſacraria accedit, nec illi ſacra facit niſi hoſtiis mutilatis. Lex eſt XVII. π. IV. D. de auro argento legato, ubi Vlpianus ita ſcribit, quemadmodum habent libri vulgati; *Sed ſi infectū legatum, quod eius ita ſactū eſt, ut eo quod ad rem comparatum eſt, non poſſis uti ſine refectione, quodque ab eo patrefamllias infecti numero fuerat, id videturle gatume eſſe*. Ad hæc verba, uti ea citavit, ſcribit Advocatus, tolle iſta, *quod ad rem comparatum eſt.* Nihil aliud ſcit dicere niſi *tolle*, & tota eius critica in ſecando & tollendo poſita eſt. Ego vero ea non tollo, ſed retineo. Sequitur ratio eius ex hariolatione ſollēnis, Verba iſta, inquit, *quod enim ita factum*

eſt, minus clare interpretatus aliquis fuerat, *quod ita comparatum eſt*, unde conflata illa, *quod ad rem comparum eſt.* Quaſi vero verba iſta, *quod ita comparatum eſt*, poſſint eſſe pro interpretamento horum, *quod eius ita factum eſt.* Hariolatio eſt. Vnico pronomine paululum immutato reddideris lucem huic loco & integritatem. Scribe igitur, & crede ita auctorem ſcripſiſſe, *Quod eius ita factum eſt, ut eo quam ad rem comparatum eſt non poſſis uti ſine refectione.* Quod aurum, inquit, ita factum eſt, ut eo non poſſis uti quam ad rem comparatum eſt ſine refectione in cenſum infecti cedet, ſi etiam paterfamilias infecti numero habeat. Latinam hanc eſſe loquutionem nemo in auctoribus Latinis, verſatus negaverit nec exempla proferre opus eſt. *Vt eo quam ad rem comparatum eſt, non poſſis uti*, poſitum eſt pro, *ut eo ad quod comparatum eſt*, aut *quem ad uſum comparatum eſt, non poſſit uti.* Si ita ſcripſiſſet auctor, nemo mendoſum putaret. Nec ergo mendoſum, *ut eo buam ud rem comparatum eſt non poſſis uti.* Auri infecti nomine contineri ait, etiam illud quod ita factum eſt, ut eo quem ad uſum vel quam ad rem comparatum fuit, uti nemo poſſit ſine refectione. Nam facti

facti argenti nulla ratio eſt, nec ullus reſpectus, ſi nullus ſit uſus. Haud ſcio cur in illo capite Obſervationum, idem Advocatus citans verba ex Paule ſententiarum lib. III. Tit. VI. ita ea produxerit, *Auro legato, maſſas tantum deberi. Vaſa enim quæ proprio nomine ſeparantur, legato non cedunt.* In omnibus enim libris atque editionibus ita legitur, *Argento legato, maſſæ tantummodo debebuntur, Vaſa enim quæ proprio nomine ſeparantur legato non cedunt, quia nec lana legata veſtimenta debentur.* Hæc ſane Paulina videntur pugnare cum lege XIX. D. eodem, quæ ita habet, *Cum aurum vel argentum legatum eſt, quidquid auri argentive relictum ſit, legato continetur, ſive factum ſive infectum: pecuniam autem ſignatam eo legato non contineri.* Ut hæc conciliet, putat Cuiacius ad illum Pauli locũ, ex Receptis ſententiis, *quæſtionem eſſe voluntatis.* Immo non eſt voluntatis tantum, ſed uſus. Quærendum enim, quid argenti nomine abſolute poſito communis loquendi ratio intelligere ſolita ſit. Uſus auctorum evincit, *argenti* nomine ſimpliciter ſumpto *factum* deſignari, id eſt, quod in vaſis eſt. Certe ætatis illius ſcriptores quibus vixere Iuriſconſulti, non aliter loquuti ſunt, tam poetæ quam alii.

alii. Vt apud Martialem paſſim.

Argentum atque aurum non ſimplex delphica portat.

Id eſt, argentum atque aurum factum. Idem lib. v.

Quod non argentum, quod non tibi miſimus aurum,
Fictilibus noſtris exoneratus eram.

De argento & auro facto intelligere palam eſt. Tædet plura congerere quæ ubique apud eum occurrunt. Paulus ut ubique eſt Vlpiano contrarius, & in hoc ab eo diſſenſit. Rationem quippe magis ſequendam putavit, quam uſum. Vt enim lana, quæ eſt materia veſtium, legata, veſtimenta non debentur quæ ex lana confecta ſunt, ita argento & auro legato, quod eſt materia vaſorum argenteorum, ipſa vaſa non intelliguntur legata. Vſum reſpexit Vlpianus, quia eo tempore *argenti* nomine plerumque *factum argentum* ſignificatur. Non tamen idem obtinuit apud vetuſtius ſeculum. Auctores enim Latini antiquiores ſemper *argentum factum* & *aurum factum* nominant; ut Græci ἄργυρον κοῖλον. E contrario, cum *argentum* abſolute dicebant, de ſignato intelligere ſolebant. Vnde apud Plautum, *ratio apparet, argentum οἴχεται.* Et paſſim

paſſim apud eundem, *argento præſenti vendere*, *argento numerando præſtituta dies*, *quid eo argento factum eſt*, *credo argento opus eſt*, & ſimilia. Cum argentum legatum eſt, inquit Ulpianus in ea lege, ſignata pecunia non continetur. Atqui tempore Plauti magis videretur ſignata pecunia *argenti* nomine legata, quam argentum factum. Hinc apud Ciceronem in Topicis, *cum argentum quod ſuum eſt legavit uxori paterfamilias*, *quod in arca poſitum eſt deberi dixit*, *non quod eſt in nominibus*. Eo ſæculo argentum magis uſurpabatur de pecunia ſignata quam de vaſis argenteis, ut & Græci cum ἀργύριον dicunt ſæpius de pecunia intelligunt quam de argento facto. Et certe pro Paulo facit quod ab ipſo Vlpiano in ea lege ſubiungitur, *proinde ſi certum pondus auri ſit legatum vel argenti*, *magis quantitas legata videtur*, *nec ex vaſis tanget*. Mirum eſt, argento legato, deberi argentum factum & infectum, auri vel argenti certo pondere legato, vaſa non deberi, id eſt, argentum & aurum factum. Quid intereſt ſi legavero omne argentum quod habeo, aut centum pondo argenti quæ habeo? Illo legato tamen, ſi valet Vlpiani ſententia, debebitur argentum factum & infectum, iſto

iſto, tantum infectum. Quod diximus ſupra, *argenti* nomine eam ætatem factum argentum proprie deſignaſſe, id etiam liquet ex Celſo leg. VII. D. de ſupellectile, ubi ex Tuberone definitionẽ ſupellectibus adfert eiuſmodi, *Tubero hoc modo demonſtrare ſupellectilem tentat, inſtrumentum quoddam patrisfamilias rerum ad cottidianum uſum paratarum, quod in aliam ſpeciem non caderet, verbi gratia, penus, argentum, veſtem, ornamenta, inſtrumenta agri aut domus.* Quo loco vox *argenti* non eſt accipienda in genere, ut putavit Advocatus, tam de argento in maſſa, aut in lamina, quam de facto & ſignato. Ineptùm quippe eſt cenſere, à Iuriſconſulto intelligi argentum infectum vel ſignatum, cum dixit, ſupellectilem eſſe inſtrumentum patrisfamilias rerũ ad cottidianum uſum paratarum, quod in aliã ſpeciem caderet, veluti penum, argentum, veſtem, & cæ-rea. Ergo argentũ hac in ſpecie intelligendum de facto, quod *argenti* nomine proprie & κατ' ἐξοχὴν tunc appellabatur. Cum nullius enim ſit uſus argentũ infectum vel in maſſam conflatum, fruſtra diſtinguitur à ſupellectile quæ paratur ad uſum cottidianum patrisfamilias. Argentum etiam ſignatum vel pecunia numerata

merata ad alterius etiam generis uſum pertinet quam ut itidem queat ſupellectilis nomine centinet. Ergo *argentum* ea lege apud Celſum de ſolo argento facto debet explicari. Quod argentum factum cum etiam uſum quotidianum præbeat patrifamilias, non tamen in ſuppellectile eſt, ut nec penus, nec veſtimenta, nec inſtrumenta agri aut domus, nec ornamenta. Hæc omnia enim in uſu ſunt quotidiano patrisfamilias, haud minus quam ſupellex, non tamen eius nomine cenſentur, quia ſui generis ſeparatum nomen habent, à quibus diſcernitur ſupellex, ut diſerte dicitur apud Alfenum leg. VI. D. eodem. *Supellectilis eas res eſſe puto, quæ ad uſum communem patrisfamilias paratæ eſſent, quæ nomen ſui generis ſeparatim non haberent.* Id eſt, quæ *argenti* nomine ſpeciatim non dicerentur, non penus, non veſtis, non ornamentorum, non inſtrumentorum agri aut domus. Quod Celſus *argentum* abſolute dixit. *argentum factum* appellavit leg. I. D. eodem; *ſupellex domeſticum patrisfamilias inſtrumentum, quod neque argento aurove facto vel veſti adnumeratur.* De argento igitur ſolo facto ea argenti appellatio, quod à ſupellectile ſeparatur, intelligenda eſt. Advocatus autem nu-

gatur

gatur, cum ſcribit, de argento in maſſa dubium non eſſe, nec de argento ſignato: neutram enim argenti ſpeciem eſſe, in ſupellectile, de argento facto dubitari. Immo nullo modo dubitatur. Hæc enim definitio eſt ſupellectilis, à Iuriſcõſultis ſignanter omnium conſenſu firmata, ſupellectilem eſſe inſtrumentum domeſticarum rerum ad uſum communem patrisfamilias paratarum, quæ nec in argenti facti ſpeciem & appellationem cadant, nec penus, nec veſtis, nec ornamentorum, nec inſtrumentorum agri aut domus. Non dubitarunt ergo de argento facto an ſit in ſupellectile, cum tam expreſſe & definite à ſupellectilis cenſu ſegregarunt, *argentum factum* vel etiam *argentum* proprie dictum, ut in lege XXVI. π. II. D. de auro & argento legato. *Argento legato non puto ventris cauſa habita ſcaphia contineri, quia argenti numero non habentur.* Idem Vlpianus leg. XIX. D. eodem. *Lectus plane argenteus, vel ſi qua alia ſupellex argentea fuit, argenti appellatione non continetur, ſi numero argenti habita non eſt.* Hoc eſt plane quod ſcripſit Celſus ex Tuberone in definitione ſupellectilis, ſupellectilem eſſe quod

argen-

argentum non ſit, nec penus, & cætera. Quærit Advocatus quid ſit, *habere in argenti numero*. Id explicat ex eodem Vlpiano, *quod non eſt in ſupellectili, ſed in argentario*. Sic enim ſcribit Iuriſconſultus in eodem ꝑ. lectum. *Vt in iunctura argentea ſcio me dixiſſe, quod non in argentario paterfamilias reponebat*. Obſcurum per obſcurius interpretatus eſt, immo rem minime obſcurā explicavit per non intellectū ipſi ſibi vocabulū. Nam quid eſt *Argentarium*? Quid proprie hoc nomine nuncuparunt Latini? Aut quid intellexit Ulpianus? Melius fortaſſe ſcribatur, *quod non in Argentaria paterfamilias reponebat*. Ita vocavit Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ auctor, in Pambo, Latinam vocem in Græca oratione uſurpans, ὅτι προσήνεγκεν αὐτῷ ἀργεντάριαν τριακοσίων λιτρῶν ἀργύρου. *Obtulit ipſi Argentariam ex trecentis argenti libris.* Ita enim loquebantur, Argentariā ſe habere tot librarum argenti. Lampridius in Alexandro Severo: *Et quum argentum in miniſterio plus ducentis libris non haberet, nec plures miniſtros, argentum & miniſtros ante quando paſcebat, accipiebat ab amicis*. At *argentaria* ſive *argentum* miniſterii Melanæ matronæ Romanæ ditiſſimæ trecentarum erat librarum. Argen-

 ti li-

ti libras xxxii. Africanus ſenior hæredi reliquit. Frater eius Allobrogicus pondo millies habuit. Livius Druſus Tribunus plebis xi. millia pondo. Cum *Argentaria* igitur vocatur, intelligitur menſa quæ argentum ſuſtinet. An *Delphica*, quæ eadem cum abaco? *Miniſterium* etiam appellabatur, ut alii iam docuerunt. Et fortaſſean *Argentarium* ſimiliter cum dicitur, ſubaudiendum *miniſterium*. Hinc & argentum in *miniſterio* habere ſe dicebant, ut in *argentario*. Vt in loco Lampridii ſupra citato. Idem auctor ibidem: *Ducentarum librarum argenti pondus miniſterium eius nunquam tranſiit.* Optimæ Gloſſæ: *Delphica*, Μινιστέριον. Eædem, *Abacus Delphica*, Μινιστέριον. ὡς Ἰγκβενάλιος. Reſpicit locum Iuvenalis ex Sat. iii. ut iam notatum eſt eruditiſſimis Criticis:

--- urceoli ſex,
Ornamentum abaci.

In Delphica autem menſa, vel abaco qui erat ex marmore, argentum factum cuius uſus erat in convivio exponebatur. Inde & miniſtrabatur ad menſam. Ex quo & *miniſterium* illi menſæ, ſive Delphicæ, ſive abaco, ſi forte, nomen hæſit. Viri docti, qui putant *Repoſitorium* apud Plinium

niũ idem eſſe cum Abaco, vel Delphica, valde falſi ſunt. *Repoſitorium* Plinii idem eſt cum eo cuius mentio fit in cœna Trimalcionis apud Petronium, de quo conſulendi interpretes. Nec hilum adiuvat hanc opinionem quod Vlpianus ait in lege XIX. quam nunc exponimus, non repoſitam eſſe iuncturam argenteam in argentario à patrefamilias. Id enim ſignificat, non in argentario habitam, nec numeratam in argento, vel argenti numero repoſitam. At *Repoſitorium* inſtrumentum fuit ligneum in quo in ipſa menſa vaſa argentea reponebantur. Græci ἐγγυθήκην appellarunt, & ἀγγοθήκην, Latini *incitegam*. Huius generis *Repoſitorii* mentio fit leg. XIX. π. X. D. de auro argento legato, & inter vaſa reponitur quæ aliquid ſuſtinent. Plinius alio loco *Repoſitoriorum* meminit quæ lignea dicit fuiſſe, & rotunda, cum *Delphicæ* marmoreæ fuerint. Repoſitoriis argentum addi ſolitum ætate Feneſtellæ ex eodem refert, noviſſimo Tiberii principatu. Sua ætate porro, & teſtudinata in uſum veniſſe. *Argentarium* tamen in lege Vlpiani Baſilicorum interpretes pro loco, in quo recondebatur *argentum miniſterii*, acceperunt. Sic enim reddide-

menſas quaſi citreas emit quæ non eſſent. Qui æs pro auro emeret, qui error eſt in materia, non magis deciperetur, nec maius damnũ faceret. Quingẽtis millibus nummum aliqua citrea menſa emebatur, ut illa quam Tullius hoc pretio comparavit. Ex alio ligno vel pretioſiſſimo vix mille nummis conſtaret. Cum purpuræ color in uſu erat, & quidem adeo carus, ut contra argentum libra eius emeretur, ſi quis pallium emiſſet colore quidem tinctum purpureo, ſed non ex murice, cum putaret eſſe Tyrio fucatum, in qualitate quidem tantum erraſſet, non in materia, nec in corpore, plus tamen detrimenti inde ſentiret quam ſi vas ſtanneum pro argenteo emiſſet. De mutuo utili quod adduxit Cuiacius ſimile non eſt. Vbi utile eſt mutuum, nulla ex mutuo danda actio ei qui nihil ex eo damni ſentit. Ex errore vero qualitatis patet ex iis quæ diximus, quanta fraus intercedere poſſit & quam damnoſa emptori. Hæc ratio movit Paulum, ut putarit dandam eſſe actionem emptori quanti intereſt non eſſe deceptum, quamvis emptioni non officiat quominus valeat, error in qualitate.

CAP.

CAP. XXIII.

De ſupellectile fuſe tractatur. Eius definitio. Quomodo ab argento ſic proprie dicto diſtinguatur. Argentum ſupellectilis. Argentum factum, argentum, & argentea vaſa, Synonyma eſſe. De abaco, delphica & miniſterio, & argentario. Leges de ſupellectile explicatæ.

QVantus ſit in critica noſter Advocatus, iam oſtendimus, & adhuc oſtendam. Nunquam niſi ferro armatus ad illius divæ ſacraria accedit, nec illi ſacra facit niſi hoſtiis mutilatis. Lex eſt XVII. ꝟ. IV. D. de auro argento legato, ubi Vlpianus ita ſcribit, quemadmodum habent libri vulgati; *Sed ſi infectũ legatum, quod eius ita ſactũ eſt, ut eo quod ad rem comparatum eſt, non poſſis uti ſine refectione, quodque ab eo patreſamllias infecti numero fuerat, id videturle gatume eſſe*. Ad hæc verba, uti ea citavit, ſcribit Advocatus, tolle iſta, *quod ad rem comparatum eſt.* Nihil aliud ſcit dicere niſi *tolle*, & tota eius critica in ſecando & tollendo poſita eſt. Ego vero ea non tollo ſed retineo. Sequitur ratio eius ex hariolatione ſollẽnis. Verba iſta, inquit, *quod enim ita factum*

eſt, minus clare interpretatus aliquis fuerat, *quod ita comparatum eſt*, unde conflata illa, *quod ad rem comparum eſt*. Quaſi vero verba iſta, *quod ita comparatum eſt*, poſſint eſſe pro interpretamento horum, *quod eius ita factum eſt*. Hariolatio eſt. Vnico pronomine paululum immutato reddideris lucem huic loco & integritatem. Scribe igitur, & crede ita auctorem ſcripſiſſe, *Quod eius ita factum eſt, ut eo quam ad rem comparatum eſt non poſſis uti ſine refectione*. Quod aurum, inquit, ita factum eſt, ut eo non poſſis uti quam ad rem comparatum eſt ſine refectione, in cenſum infecti cedet, ſi etiam paterfamilias infecti numero habeat. Latinam hanc eſſe loquutionem nemo in auctoribus Latinis, verſatus negaverit nec exempla proferre opus eſt. *Vt eo quam ad rem comparatum eſt, non poſſis uti*, poſitum eſt pro, *ut eo ad quod comparatum eſt*, aut *quem ad uſum comparatum eſt, non poſſit uti*. Si ita ſcripſiſſet auctor, nemo mendoſum putaret. Nec ergo mendoſum, *ut eo buam ud rem comparatum eſt non poſſis uti*. Auri infecti nomine contineri ait, etiam illud quod ita factum eſt, ut eo quem ad uſum vel quam ad rem comparatum fuit, uti nemo poſſit ſine refectione. Nam facti

facti argenti nulla ratio eſt, nec ullus reſpectus, ſi nullus ſit uſus. Haud ſcio cur in illo capite Obſervationum, idem Advocatus citans verba ex Paule ſententiarum lib. III. Tit. VI. ita ea produxerit, *Auro legato, maſſas tantum deberi. Vaſa enim quæ proprio nomine ſeparantur, legato non cedunt.* In omnibus enim libris atque editionibus ita legitur, *Argento legato, maſſæ tantummodo debebuntur, Vaſa enim quæ proprio nomine ſeparantur legato non cedunt, quia nec lana legata veſtimenta debentur.* Hæc ſane Paulina videntur pugnare cum lege XIX. D. eodem, quæ ita habet, *Cum aurum vel argentum legatum eſt, quidquid auri argentive relictum ſit, legato continetur, ſive factum ſive infectum: pecuniam autem ſignatam eo legato non contineri.* Ut hæc conciliet, putat Cuiacius ad illum Pauli locũ, ex Receptis ſententiis, *quæſtionem eſſe voluntatis.* Immo non eſt voluntatis tantum, ſed uſus. Quærendum enim, quid argenti nomine abſolute poſito communis loquendi ratio intelligere ſolita ſit. Uſus auctorum evincit, *argenti* nomine ſimpliciter ſumpto *factum* deſignari, id eſt, quod in vaſis eſt. Certe ætatis illius ſcriptores quibus vixere Iuriſconſulti, non aliter loquuti ſunt, tam poetæ quam alii.

alii. Vt apud Martialem paſſim.

Argentum atque aurum non ſimplex delphica portat.

Id eſt, argentum atque aurum factum. Idem lib. v.

Quod non argentum, quod non tibi miſimus aurum,
Fictilibus noſtris exoneratus eram.

De argento & auro facto intelligere palam eſt. Tædet plura congerere quæ ubique apud eum occurrunt. Paulus ut ubique eſt Vlpiano contrarius, & in hoc ab eo diſſenſit. Rationem quippe magis ſequendam putavit, quam uſum. Vt enim lana, quæ eſt materia veſtium, legata, veſtimenta non debentur quæ ex lana confecta ſunt, ita argento & auro legato, quod eſt materia vaſorum argenteorum, ipſa vaſa non intelliguntur legata. Vſum reſpexit Vlpianus, quia eo tempore *argenti* nomine plerumque *factum argentum* ſignificatur. Non tamen idem obtinuit apud vetuſtius ſeculum. Auctores enim Latini antiquiores ſemper *argentum factum* & *aurum factum* nominant; ut Græci ἄργυρον κοῖλον. E contrario, cum *argentum* abſolute dicebant, de ſignato intelligere ſolebant. Vnde apud Plautum, *ratio apparet, argentum οἴχεται*. Et paſſim

paſſim apud eundem, *argento præſenti vendere*, *argento numerando præſtituta dies*, *quid eo argento factum eſt*, *credo argento opus eſt*, & ſimilia. Cum argentum legatum eſt, inquit Ulpianus in ea lege, ſignata pecunia non continetur. Atqui tempore Plauti magis videretur ſignata pecunia *argenti* nomine legata, quam argentum factum. Hinc apud Ciceronem in Topicis, *cum argentum quod ſuum eſt legavit uxori paterfamilias, quod in arca poſitum eſt deberi dixit, non quod eſt in nominibus*. Eo ſæculo argentum magis uſurpabatur de pecunia ſignata quam de vaſis argenteis, ut & Græci cum *ἀργύριον* dicunt ſæpius de pecunia intelligunt quam de argento facto. Et certe pro Paulo facit quod ab ipſo Vlpiano in ea lege ſubiungitur, *proinde ſi certum pondus auri ſit legatum vel argenti, magis quantitas legata videtur, nec ex vaſis tanget*. Mirum eſt, argento legato, deberi argentum factum & infectum, auri vel argenti certo pondere legato, vaſa non deberi, id eſt, argentum & aurum factum. Quid intereſt ſi legavero omne argentum quod habeo, aut centum pondo argenti quæ habeo? Illo legato tamen, ſi valet Vlpiani ſententia, debebitur argentum factum & infectum,

iſto, tantum infectum. Quod diximus ſupra, *argenti* nomine eam ætatem factum argentum proprie deſignaſſe, id etiam liquet ex Celſo leg. VII. D. de ſupellectile, ubi ex Tuberone definitionē ſupellectibus adfert eiuſmodi, *Tubero hoc modo demonſtrare ſupellectilem tentat, inſtrumentum quoddam patrisfamilias rerum ad cottidianum uſum paratarum, quod in aliam ſpeciem non caderet, verbi gratia, penus, argentum, veſtem, ornamenta, inſtrumenta agri aut domus.* Quo loco vox *argenti* non eſt accipienda in genere, ut putavit Advocatus, tam de argento in maſſa, aut in lamina, quam de facto & ſignato. Ineptùm quippe eſt cenſere, à Iuriſconſulto intelligi argentum infectum vel ſignatum, cum dixit, ſupellectilem eſſe inſtrumentum patrisfamilias rerū ad cottidianum uſum paratarum, quod in aliā ſpeciem caderet, veluti penum, argentum, veſtem, & cærea. Ergo argentū hac in ſpecie intelligendum de facto, quod *argenti* nomine proprie & κατ' ἐξοχὴν tunc appellabatur. Cum nullius enim ſit uſus argentū infectum vel in maſſam conflatum, fruſtra diſtinguitur à ſupellectile quæ paratur ad uſum cottidianum patrisfamilias. Argentum etiam ſignatum vel pecunia numerata

merata ad alterius etiam generis uſum pertinet quam ut itidem queat ſupellectilis nomine centinet. Ergo *argentum* ea lege apud Celſum de ſolo argento facto debet explicari. Quod argentum factum cum etiam uſum quotidianum præbeat patrifamilias, non tamen in ſuppellectile eſt, ut nec penus, nec veſtimenta, nec inſtrumenta agri aut domus, nec ornamenta. Hæc omnia enim in uſu ſunt quotidiano patrisfamilias, haud minus quam ſupellex, non tamen eius nomine cenſentur, quia ſui generis ſeparatum nomen habent, à quibus diſcernitur ſupellex, ut diſerte dicitur apud Alfenum leg. VI. D. eodem. *Supellectilis eas res eſſe puto, quæ ad uſum communem patrisfamilias paratæ eſſent, quæ nomen ſui generis ſeparatim non haberent.* Id eſt, quæ *argenti* nomine ſpeciatim non dicerentur, non penus, non veſtis, non ornamentorum, non inſtrumentorum agri aut domus. Quod Celſus *argentum* abſolute dixit. *argentum factum* appellavit leg. I. D. eodem: *ſupellex domeſticum patrisfamilias inſtrumentum, quod neque argento aurove facto vel veſti adnumeratur.* De argento igitur ſolo facto ea argenti appellatio, quod à ſupellectile ſeparatur, intelligenda eſt. Advocatus autem nugatur

gatur, cum ſcribit, de argento in maſſa dubium non eſſe, nec de argento ſignato: neutram enim argenti ſpeciem eſſe in ſupellectile, de argento facto dubitari. Immo nullo modo dubitatur. Hæc enim definitio eſt ſupellectilis, à Iuriſcõſultis ſignanter omnium conſenſu firmata, ſupellectilem eſſe inſtrumentum domeſticarum rerum ad uſum communem patrisfamilias paratarum, quæ nec in argenti facti ſpeciem & appellationem cadant, nec penus, nec veſtis, nec ornamentorum, nec inſtrumentorum agri aut domus. Non dubitarunt ergo de argento facto an ſit in ſupellectile, cum tam expreſſe & definite à ſupellectilis cenſu ſegregarunt, *argentum factum* vel etiam *argentum* proprie dictum, ut in lege XXVII. ꝥ. II. D. de auro & argento legato. *Argento legato non puto ventris cauſa habita ſcaphia contineri, quia argenti numero non habentur.* Idem Vlpianus leg. XIX. D. eodem. *Lectus plane argenteus, vel ſi qua alia ſupellex argentea fuit, argenti appellatione non continetur, ſi numero argenti habita non eſt.* Hoc eſt plane quod ſcripſit Celſus ex Tuberone in definitione ſupellectilis, ſupellectilem eſſe quod argen-

argentum non ſit, nec penus, & cætera. Quærit Advocatus quid ſit, *habere in argenti numero.* Id explicat ex eodem Vlpiano, *quod non eſt in ſupellectili, ſed in argentario.* Sic enim ſcribit Iuriſconſultus in eodem ff. lectum. *Vt in iunctura argentea ſcio me dixiſſe, quod non in argentario paterfamilias reponebat.* Obſcurum per obſcurius interpretatus eſt, immo rem minime obſcurã explicavit per non intellectũ ipſi ſibi vocabulũ. Nam quid eſt *Argentarium*? Quid proprie hoc nomine nuncuparunt Latini ? Aut quid intellexit Ulpianus? Melius fortaſſe ſcribatur, *quod non in Argentaria paterfamilias reponebat.* Ita vocavit Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ auctor, in Pambo, Latinam vocem in Græca oratione uſurpans, ὅτι προσήνεγκεν αὐτῷ ἀργενταρίαν τριακοσίων λιτρῶν ἀργύρου. *Obtulit ipſi Argentariam ex trecentis argenti libris.* Ita enim loquebantur, Argentariã ſe habere tot librarum argenti. Lampridius in Alexandro Severo: *Et quum argentum in miniſterio plus ducentis libris non haberet, nec plures miniſtros, argentum & miniſtros ante quando paſcebat, accipiebat ab amicis.* At *argentaria* ſive *argentum* miniſterii Melanæ matronæ Romanæ ditiſſimæ trecentarum erat librarum. Argenti li-

niũ idem eſſe cum Abaco, vel Delphica, valde falſi ſunt. *Repoſitorium* Plinii idem eſt cum eo cuius mentio ſit in cœna Trimalcionis apud Petronium, de quo conſulendi interpretes. Nec hilum adiuvat hanc opinionem quod Vlpianus ait in lege XIX. quam nunc exponimus, non repoſitam eſſe iuncturam argenteam in argentario à patrefamilias. Id enim ſignificat, non in argentario habitam, nec numeratam in argento, vel argenti numero repoſitam. At *Repoſitorium* inſtrumentum fuit ligneum in quo in ipſa menſa vaſa argentea reponebantur. Græci ἐγγυθήκην appellarunt, & ἀγγοθήκην, Latini *incitegam*. Huius generis *Repoſitorii* mentio fit leg. XIX. π. X. D. de auro argento legato, & inter vaſa reponitur quæ aliquid ſuſtinent. Plinius alio loco *Repoſitoriorum* meminit quæ lignea dicit fuiſſe, & rotunda, cum *Delphicæ* marmoreæ fuerint. Repoſitoriis argentum addi ſolitum ætate Feneſtellæ ex eodem refert, noviſſimo Tiberii principatu. Sua ætate porro, & teſtudinata in uſum veniſſe. *Argentarium* tamen in lege Vlpiani Baſilicorum interpretes pro loco, in quo recondebatur *argentum miniſterii*, acceperunt. Sic enim reddide-

 runt.

runt: Τῷ ληγάτῳ τοῦ ἀργύρου, οὔτε ἡ ἀργυρο-κλίνη, οὔτε ἄλλος τῆς οἰκοσκευῆς ἄργυρος περι-ελέχεται, εἰ μὴ καὶ ταῦτα ὁ διαθέμενος εἶχεν ἐν ἀριθμῷ ἀργύρου. Οὐδὲ ὁ τῶν μυλῶν κόσμος, ὅτι μὴ ἐν τῷ ἀργενταρίῳ ἀπόκειται. *Legato argenti non continetur lectus argenteus, neque aliud argentum ſupellectilis, niſi hoc teſtator in numero argenti habuerit. Sed nec iunctura mularum argentea, quoniam in argentario non reponitur.* Certe illud *argentum*, quod hoc nomine ſic proprie vocabatur, in Abaco ſive Delphica exponebatur, non reponebatur. Nec uſum eius noverant patresfamilias niſi cum aliquod epulum ſollemne celebrarent. Alio tempore repoſitum ac reconditum ſervabatur, vel in arca quæ inde dicta eſt abſolute *Argentaria* Palladio, vel in armario, quod *Argẽtarium* Vlpiano dicitur. Vt ut ſit, habere in argentario, vel argentaria, vel in argẽti numero, vel in miniſterio, ſive Delphica, ſive Abaco idẽ eſſe aliquis ſuſpicetur. Sed animadvertendum eſt in primis, *argentum* proprie & ſtricta ſignificatione appellari vaſa omnia argentea quæ ad Delphicam vel Abacum pertinebant, quæque in *Argentario* reponebãtur. Quod ſatis probatũ eſt illis auctorũ teſtimoniisque attulimus, & pluribus adhuc probari poſſet, ſi opus foret.

foret. Nihil enim magis obvium. Lampridius in Alexandro Severo: *Iudices cum promoveret, exemplo veterum, ut & Cicero docet, & argento & neceſſariis inſtruebat.* Per *argentum* intelligit vaſa menſæ an Delphicæ? argentea: per *neceſſaria* veſtem, mancipia, & equos muloſque. Sequitur: *ita ut & præſides provinciarum acciperent argenti pondo vicena.* An de eodem argento accipi debet, quod in miniſterio habebatur, & in argentario, & quod ad convivia in Abaco ſive Delphica exponi ſolebat? De quo apud auctorem Rhetoricæ ad Herennium lib. IV. cap. VI. De Notatione: *Perſpicit argentum quod erat expoſitum; viſit triclinium ſtratum.* Expoſitum nempe in Abaco, vel Delphica. Cicero ipſe *argentum* appellat quod dabatur ex publico magiſtratibus cum poteſtate in provinciam aut legationē proficiſcentibus, & de argenteis Delphicæ vaſis intelligenda ex lib. IV. in Verrē: *Videte maiorum diligentiam. Neminem qui cum poteſtate aut legatione in provinciam eſſet profectus tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum, dabatur enim de publico: aut veſtem, præbebatur enim legibus.* Addit & de mancipiis quæ etiam de publico præbebantur. Nihil dicit de ſupellectile. Non

ergo ea præbebatur ex publico. Et Alexander Severus qui voluit morem priſcum revocare, iudicibus in provinciam proficiſcentibus, dabat argentum, id eſt, vaſa menſæ, veſtem, equos, mulos, coquos, non ſupellectilem. Et leg. VII. D. de ſupellectile: *Labeo ait originem fuiſſe ſupellectilis quod olim his qui in legationem proficiſcerentur locari ſolerent quæ ſub pellibus uſui forent.* Notandum, *locari* dicere. At argentum & veſtis, & mancipia, non ſolebant locari, ſed dari de publico, & propria aſſignari, ut veſtem, & argentum depoſita adminiſtratione non redderent, mulas vero equos, mulos, & muliones cocoſque cæteraq; mancipia reſtituerent publico. Sic argentum illud quod in legationem vel ad regendam provinciam euntibus dabatur, à veſte ſeparabatur, & ſupellectile; ut etiam Iuriſconſulti docent diſtingui. Publice alia locari ſolebant quæ ituris in provinciam legationis vel poteſtatis cauſa præbebantur, erantque mancipes qui ea redimebant. Et ita accipienda quæ Labeo dixit de origine vocis *ſupellectilis*. Quod ait, *quæ ſub pellibus uſui forent,* hoc ideo, quia præſides iter in provinciam facientes olim ſub pellibus agebant,

bant, id eſt, ſub tabernaculis è pellibus factis. Vnde & *pellium* nomine pecuniam de publico accipiebant etiam poſtquam deſierunt nimirum ſub pellibus agitare. Eæ *tentoriæ pelles* dicebantur, quas olim in ſpecie accipiebant. Inde ergo *ſupellectilis* origo eidem Labeoni, quod eius uſus foret ſub pellibus, ad legationem vel adminiſtrationem provinciæ ituris. *Vaſarium* apud Ciceronem contra Piſonẽ appellatur, quod accipiebant iidẽ præſides provinciarum. Utrum pro argento, ſive vaſis argenteis menſæ, an pro tota ſupellectile, an vero pro utroque? Atqui Cicero ipſe in Verrem ſcribit, datum ipſum illi de publico *argentum*, non pecuniam, *vaſarii* nomine. Sed forte illud antiquum fuerit: poſtea etiam pro vaſis argenteis, ſive pro argento, pecuniã ex ærario attributam acceperint. Sic enim ſcribit, Oratione in Piſonem: *Nonne ſeſtertium centies & octagies, quod quaſi vaſarii nomine in venditione mei capitis adſcripſeras, ex ærario tibi attributũ Romæ in quæſtu reliquiſti?* Non tanta tamẽ ſumma pro argento vel vaſis argenteis dabatur provinciarum rectoribus. Ideo dixit *quaſi vaſarii nomine*. Non enim vere pro vaſario data eſt illa pecunia Piſoni in provinciam

ituro, ſed quod ſub profectionem ipſam eam ſummam ex ærario in venditione capitis Ciceronis adſcriptam & attributam Romæ in quæſtu reliquit, invidioſe dicit, *quaſi vaſarii* nomine accepiſſe. Nō dubium tamen, quin *vaſarium* illud dictum ſit à vaſis & utenſilibus ſuppellectilis, nō ab argento, ſive argenteis vaſis, quæ de publico præſidibus provinciarū dabantur in ipſa ſpecie. Nam & *vaſa* pro ſupellectile. Unde *vaſa conclamare*, in militia, ubi *vaſa* pro ἀποσκευῇ, ſive ſupellectile & inſtrumento militari. Inde *vaſarium* de omnibus rebus neceſſariis, & ſupellectile quæ locabatur publice præbenda ituris in provinciam præſidibus, qui vaſarii nomine interdum pecuniam ipſam accipere ſolebant. Vaſa igitur abſolute σκεύη, vel ἔπιπλα, vel οἰκοσκευή. Unde *vaſarium* quod pro vaſis dabatur præſidibus. *Argentum* ab hoc diverſum quod illis in ſpecie dari ſolebat. *Vaſa* autem differunt, & *vaſa argentea*. Hæc *argenti* nomine ſic proprie dicti veniebant. *Vaſa* autem abſolute appellata de ſupellectile. Sic *vaſa argentea* & *vaſa* diſtinguuntur in leg. XIX. π. IX. & X. D. de auro argento legato. *Vaſorum* quippe *argenteorum* nomine argentum factum,

ctum, quod & *argentum* dicebatur, & à ſupellectile ſeparabatur, ex Quinto Mucio Vlpianus contineri ſcribit. Sequente paragrapho dicit idem, cui vaſa legata ſunt, non ſolum ea contineri quæ aliquid in ſe recipiant, ſed ea quæ aliquid ſuſtineant, & ideo ſcutellas, promulſidaria & repoſitoria contineri. Interdũ tamẽ & κατ' ἐξοχὴν, vaſa de argenteis accipiuntur, cum id nimirũ intelligitur. Auctor Rhetoricæ ad Herennium, loco ante citato, *Sannioni puero negotium dederat ut vaſa, veſtimenta, pueros corrogaret*. Paulo poſt, *argentum* appellat. *Nuntiat interea puer argentum repeti: pertimuerat enim qui cõmodarat.* Valerius lib. II. cap. IV. refert ſenatu motum Cornelium Rufinum in cenſura Fabricii Lucini, *quod decem pondo vaſa argentea cõparaſſet.* De huiuſmodi vaſis accipiendũ ad ſunt quæ ad miniſteriũ vel delphicã comparata erant. Non enim licuit cuiquã priſcis & ſeveris Reipublicæ tẽporibus ultra decẽ pondo in *argento* vel *argenti numero* habere, ut loquuntur Iuriſconſulti. Valerius ideo motum fuiſſe Cornelium ait, quod decẽ pondo emiſſet. Licuit vero decem pondo argenti in miniſterio habere, non ultra decem. Et ſic corrigendum puto in Vale-
 rio:

rio : *quod ultra decem pondo.* Nam Plutarchus dixit ὑπὲρ δέκα λίτρας cum eamdem hiſtoriam narraret in vita Syllæ, ut iam notavit hic doctiſſimus Advocatus. Et vocavit ἄργυρον κοῖλον. Quomodo Græci ſolent appellare *argentum factum* Latinorum. Vetuſtiſſimæ Gloſſæ manu ſcriptæ quæ ſeparatis capitibus de ſupellectile, de penu, de veſte, & de argento tractant, ſive de vaſis argenteis delphicæ ſervientibus, *argentum* etiam ſimiliter appellant, & *vaſcella*. Sic enim habent, περὶ ἀργυρῶν, de *argenteis*. Hic titulus eſt. Deinde ſequuntur omnium vaſorum quę ex argento fieri ſolerent, & quæ in miniſterio abaci habebantur, appellationes. Sed prius poſuit earum auctor nomen generale *argenti*, quo illa omnia vaſa nuncupabantur. *Argentum*, ἄργυρος. *Vaſcella*, σκεύη. Ab opere deinde ſubiicit & cælaturæ genere. τορευτὰ, *tornata*, ξυστρωτὰ, *ſtriglata*. γεγλυμμένα, *cælata*. Idem igitur, *argentum*, *argentum factum*, & *argentea vaſa*. Sed quamdiu nulla ſupellex cognita fuit argentea, tunc *argentum* ſic abſolute poſitum idem fuit cum *argento facto*. Quia nullum eo tempore *argentum factum*, vel ἐν σκεύεσι πεποιημένον, ut Græci expreſſere Latinam loquutionem, in uſu fuit; quin

quin menſæ uſibus & miniſterio accommodaretur. Nulla tunc difficultas aut ambiguitas hæſit definientibus ſupellectilē eſſe quod nec argentum eſſet, nec penus, nec veſtis, nec ornamentum, nec inſtrumentum agri aut domus. Nullum quippe tum cognitum fuit *argentum factum*, vel *argentum in opere*, ut poſterior ætas dixit, quod non menſæ vel abaco attribueretur, quia ſupellex illa tempeſtate nulla erat argentea. Vbi vero & plura utenſilia ſupellectilis ex argēto fieri cœpta, tum *argenti facti* Latinis extenſa eſt ſignificatio. Nam *factum* omnino dicitur quod in quodcumque vaſis genus & omnia utenſilia arte & opere convertitur. Et cum olim *argenti*, & *argenti facti*, eadem eſſet notio, de argento, quod comparatum erat ad uſum ac miniſterium abaci, ubi etiam ſuppellex ex argento fieri cœpit, *argenti facti* latior extitit acceptio, & ab eo tempore *argentum* abſolute poſitum de miniſterii argento dici obtinuit, & *argenti facti* nomine appellatum eſt quidquid omnino ex argento confectum eſſet, ſive ad ſupellectilem, ſive ad aliarum rerum uſum. Hinc apud Iuriſconſultos, *ſupellex* ab *argento* diſtinguitur, quamvis & in ſupellectile mul-

multa ſint utenſilia argentea, quæ *argenti facti* appellatione licet comprehendere. Hinc in *argenti numero* haberi dicũt quę nõ ad alios uſus eſſent argẽtea vaſa quã abaci, vel miniſterii. Hinc expreſſim ſcripſit Vlpianus leg. cũ aurũ xix. de auro argento legato, *Lectum argenteũ, vel ſi qua alia ſupellex argentea fuit, argenti appellatione non contineri.* At lectus argenteus, & alia argentea ſupellex, ut & iunctura argentea mularum, *argenti facti* nomine continebantur. Niſi cui placeat reſtringere ſignificationem argenti facti ad vaſa ipſa quæ Græci κοῖλα ἀργύρου notione indigetant. Atque ita videtur Mucius intellexiſſe leg. xxv. D. eodem. *Q. Mucius libro ſecundo iuris civilis ita definit, argentum factum vas argenteum videri eſſe.* Plane κοῖλον ἄργυρον Græcorum, per *vas argenteum* deſignavit. At lectus argenteus, non eſt κοῖλος ἄργυρος Græcorum, nec *vas argenteum* Latinorum. Nec iunctura quoque argentea mularum in idem nomen poteſt cadere. At ne ſic quidem *argentum factum* idem fuerit cum *argento* abſolute & κατ' ἐξοχὴν dicto, ut iſtud vocabulum Iuriſconſulti accepere. Nam in ſupellectile multa etiam vaſa & utenſilia argentea, quibus κοίλου ἀργύρου appellatio aptari

po-

poteſt, ut pelves argenteæ, aquiminalia argentea, & alia quæ luxus in ſupellectilem invexit, ex argento poſtmodum fieri ſolita. Olim ſæculo ſeveriore, nec craterem nec ullum omnino vas argenteum in ſupellectili fuit, ut ſcribit Paulus leg. 111. π. ult. D. de ſupellectile legata, *ſed craterem argenteum non eſſe in ſupellectili, nec ullum vas argenteum, ſecundum ſæculi ſeveritatem nondum admittentis ſupellectilem argenteam.* Ergo tum nullus ἄργυρος κοῖλος erat in ſupellectile, quia nullum vas argenteum inerat. Nec argentum proinde factum ullum eo ſęculo auſteriore notum extitit, niſi quod ad miniſterium abaci pertineret. Sed cum tria tantum genera argenti ab auctoribus recenſeantur, *infecti*, *facti* & *ſignati*, ſi facti nomine vaſa tantum argentea & κοῖλος ἄργυρος Græcorum comprehenditur, in quod genus horum caſuri ſunt lecti argentei, iuncturæ mularum argenteæ, & ſimilia quæ nec *vaſa* dici poſſunt, nec κοίλα ἀργύρεα nomine cenſeri? Non *infecti* appellatione tenebuntur. nam factum eſt. non *ſignati*, quæ pecunia eſt. Certe ad facti genus, velit nolit Mucius, erunt referendi. Sic latiſſima *argenti facti* ſignificatio eſſe cœpit poſtquam ſupellectilem

ctilem ex argento luxus invexit. *Argenti* vero propria & ſpecialis appellatio manſit in argenteis vaſis abaco vel delphicæ deſtinatis. Nunc videndum qua in re ſit obſcuritas π. ult. leg. 111. D. de ſupellectile legata, quam Advocatus ibi imaginatus eſt reperiri. *Quod ibi*, inquit, *de ſæculi ſeveritate dicitur*, nondum admittentis ſupellectilem argenteam, ad aliud ſæculum pertinet. Nec poſtrema iſta præcedentibus ſatis cohærent: *Hodie propter uſum imperitorum, ſi in argento relatum ſit candelabrum argenteum, argenti eſſe videtur. Et error facit ius.* Ex his concludit, aliquid deeſſe in verbis Pauli. Quod autem, inquit, poſtremis verbis id videtur ſignificare, etſi candelabrum argenteum ſit in ſupellectile, imperitos tamen ſæpius non diſtinguere inter legatum argenti, & legatum ſupellectilis, atque id cum ita ſit, ſi in argenti legato candelabrum argenteum comprehenſum ſit, etſi ſit in ſupellectili, eo tamen legato contineri, mentem Pauli ne in ſomniis quidem vidit, nec vigilans eam aſſequutus eſt. Nihil deſit in illo paragrapho ad integritatem ſententiæ. *Non intereſſe*, dicit Paulus, *cuius materiæ ſint res quæ ſunt in ſupellectili.* Hoc de ſæculo ſuo ait. Olim cum nul-

nulla eſſet ſupellex aurea, nec argentea, nec ex ebeno, ut certa utenſilia ſupellectilis fuere, id eſt, quæ ſupellectili proprie attribuerentur, ita etiam materia certa fuit ex qua ſupellex fieret. Fictilis tantum tunc erat, aut vitrea, aut lignea aut ærea, ut dicitur in leg. VII. D. eodem. Non ex ebore neque ex teſtudine, nec argento, nec auro, nec ex gemmis, ut poſtea luxus invenit, fiebat. Nunc cum illas materias in ſupellectile facienda & comparanda admiſerit, non eſt quærendum ex qua materia fiat ſupellex, nec intereſt cuius ſint materiæ res quæ ſunt in ſupellectile, utrum aureæ ſint an argenteæ an eboreæ, ebeninæ vel citreæ, vel ex teſtudine. Hoc tantum reſpiciendum, an eæ res eiuſmodi ſint quæ proprie ſupellectili attribui debeant. Quamvis etiam argenteam ſupellectilem luxurioſum ſæculum receperit, non tamen omnia quæ ex argento fiunt, ſupellectilis videri poſſunt. Multa quippe ad aliud genus pertinent, quamvis earum materia communis ſit cum rebus ſupellectilis. Ut crater argenteus, & vaſa argentea, non ſunt in ſupellectili quamvis ex ea materia fiant, quam in ſupellectilem luxuria invexit. Forma ipſa abnuit eſſe illa in

ſupel-

ſupellectile quæ ad argenti ſic propriè dicti cenſum & numerum referenda ſunt, ut craterem, & vaſa argentea. Supra autem oſtendimus, *vaſa argentea*, & *argentum*, de eodem uſurpari, de vaſis nempe quæ propria eſſent abaci, & à ſupellectile diſcernerentur. Superiore paragrapho ſcripſerat idem Paulus, lectos inauratos, & inargentatos atque gemmatos, in ſupellectile numerari, non eſſe dubitandum. *Vſque adeo*, inquit, *ut idem iuris ſit, & ſi tota argentea vel aurea ſint*. Subiicit deinde, *nec intereſt cuius materiæ ſint res quæ ſunt in ſupellectili*. Sed intereſt cuius ſint formæ & uſus, ut ſupellectili poſſint attribui. Ideo nec crater nec ullum vas argenteum in ſupellectili. Quia ſæculum ſeverius nullum vas admiſit argenteum in ſupellectilem, id eſt, in inſtrumentum uſus quotidiani. Pro *ſecundum* malim etiam legere *dicundam*. Sic enim ſenſus ratio poſtulat: *Sed craterem argenteum non eſſe in ſupellectili, nec ullum vas argenteum dicendum, ſæculi ſeveritate nondum admittentis ſupellectilem argenteam*. Manifeſto etiam mendo laborant ſicut edita ſunt, *ſed craterem argenteum, non eſſe in ſupellectili, neque ullum vas argenteum, ſecundum ſæculi ſeveritatem*. Cum ſæculum

eſſet

eſſet ſeverius, nullum admittebat vas argenteum in ſupellectile, nec utenſile. Si quod vas argenteum tunc fuerat, id à ſupellectilis rebus ſeparabatur, ut crateres, ſcyphi, & alia eiuſmodi. Ab ea ſeveritate priſca exemplo prodito ne nunc quidem crateres & vaſa argentea, ſupellectilis ſunt, quamvis iam ſupellex argentea paſſim habeatur, ſed in lectis, menſis, pellibus, & aliis, quæ olim ex argento non fiebant, quia ad ſupellectilem pertinebant. Quæ vero apud ſæculum prius ex argento fiebant, quia ſupellectilis non erant, ne nunc quidem in ſupellectile cenſentur, quamlibet ſupellex argentea uſu recepta ſit. Eadem Celſi mens eſt leg. VII. D. eodem, cum dixit, *ſpecies potius rerum quam materiam intueri oportere, ſupellectilis potius, an argenti, an veſtis ſint.* Formam potius igitur & ſpeciem rerum inſpiciendam eſſe dicit quam materiam, ut ſciatur an ad ſupellectilẽ pertineant, poſtquam ſupellex ex argento quoque fieri & haberi cœpta eſt. Exempli gratia: Lectus olim ſupellectilis fuit, nec argenteus erat, ut poſtea lectos argenteos luxus excogitavit. Ergo lectus quamvis argenteus in ſupellectile manſit, nec in *argenti* numero habitus eſt. Candelabra olim

non fiebant argentea. Quare? Quia in ſupellectile erant. Poſtea facta ſunt ex argento. In ſupellectile ergo manſerunt. Idem de ſcaphiis dicendum, quibus onus ventris excipiebatur. Ita de aliis. E contrario crateres & ſcyphi & alia vaſa argentea antiquitus habebantur, ſed in ſupellectile non erant, quia ſeveritas ſæculi nullum vas argenteum recipiebat. Ne nunc quidem poſt admiſſam ſupellectilem argenteam, ea in ſupellectile numerabuntur, ſed ſubſiſtent in numero *argenti*, cui & olim adſcripta fuere. Hæc cum ita ſint, & tam Celſus quam Paulus non materiam in ſupellectile ſed ſpeciem rerum conſiderandam eſſe conſenſiant, non promiſcue & communiter omnis materia in ſupellectile recepta eſt, Paulus contra hanc regulam imperitorum uſum facere ſubiungit. Candelabrum argenteum quod ex regula ſuperius propoſita debet eſſe ſupellectilis, quia nulla olim candelabra ex argento fiebant, nonnulli imperiti in *argenti* numero reponebant, cum aliis vaſis argenteis quæ in *Argentaria*, non in ſupellectile cenſebantur. Quid igitur dicendum de tali candelabro quod imperitus paterfamilias non in ſupellectile propter uſum quoti-

quotidianum, ſed in argento propter materiam repoſuerit? Reſpondet Iuriſconſultus: Si in argento relatū ſit candelabrum argenteum à patrefamilias, quamvis ſupellectilis potius ſit ob speciē quæ attribuenda eſt ſupellectili, argenti tamen eſſe videtur, & error facit ius. In argenti numero habuit ob materiam. Ergo argenti ſit, ut voluit paterfamilias, non ſupellectilis, ut eſſe oportuit. His explicatis facile intelligitur, quid voluerit Celſus in leg. VII. eodem, ubi Tubero ſupellectilem id eſſe definit, *quod in aliam ſpeciem non cadit, ut verbi gratia, penum, argentum, veſtem, inſtrumenta agri, aut domus.* Quibus verbis ſtatim hæc ſubnectit, *Nec mirum eſt, cum moribus civitatis, & uſu rerum appellationem eius mutatam eſſe. Nam fictili, aut lignea, aut ætrea, denique ſupellectile utebantur. Nunc ex ebore atque teſtudine & argento: iam ex auro etiam atq; gemmis.* Quæ verba non cohærere præcedentibus putat Advocatus, & deeſſe aliquid ſibi perſuadet. Quia enim argentum exemerat Tubero à ſupellectile verbis pręcedentibus, videtur, inquit, correctū id verbis quæ deſunt, correctum autē, non quod Tubero falſus eſſet, ſed quod mutatis moribus eſſet ſupellex iā argentea, at-

que etiam aurea & gēmea, quod ait Celſus. Immo mutatio illa morum & uſus in ſupellectile argentea uſurpanda nullam impoſuit neceſſitatem corrigendi quod in definitione ſupellectilis dixerat, eſſe inſtrumentum quoddam patrisfamilias rerum ad quotidianum uſum paratarum, *quod in aliam ſpeciem non caderet, ut puta penum, argentum, veſtum*, & cætera. Nec omnino quidquam deeſt in verbis Celſi quo ſuam definitionem ſupellectilis emendare debuerit Tubero. Reliqui omnes Iuriſconſulti eadem demonſtratione uſi ſunt in ſupellectile definienda. Ut Pomponius leg. 1. D. eodem, *ſupellectilem eſſe inſtrumentum, quod neque argento facto, neque veſti adnumeretur*. Nam ſupra oſtendimus, *argentum* abſolute poſitum, & *argentum factum*, idem eſſe Iuriſconſultis ſtrictiori notione appellatum, de argento quod in abaco vel delphica ad oſtenſionem & ornamentum exponebatur. Si quod argenteum utenſile in ſupellectile tum fuit, mutatis moribus & remiſſa ſeveritate priſci ſæculi, id argento ſic proprie dicto non adnumerabatur, nec in eam ſpeciem cadebat. Olim non ſpecie ſolum, ſed & materia ſupellex ab *argento* abaci diſtinguebatur.

Nulla

Nulla enim tum ſupellex argentea fuit. Nihilominus & ſpecie tum quoque differebant vaſa quæ ſupellectilem conſtituebant ab his quæ in *aagentaria* vel *argentario* reponebantur. Alterius uſus & formæ quippe fuere vaſa abaci vel *miniſterii*, quam utenſilia ſupellectilis. Vtcunque ex eadem materia utraque facta haberentur, diverſum tamen uſum præbebant, & alia forma aliaque appellatione cenſebantur. Non omnes argentum ſive argentea vaſa habuere quibus abacum ornarent, ſed fictilibus eum onerabant. Ea tamen fictilia diverſi generis atque uſus erant à fictibilibus quibus ſupellex conſtabat. Auſonius:

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regem

Atque abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.

Samia illa vaſa quibus abacum onerabat Agathocles, fictilia erant è Samia terra, & aliam formam uſumque habebant ab his quibus cœnabant. Hæc enim eſcaria & potoria fictilia, quæ in ſupellectili numerabantur non ad ornandum abacum deſtinabantur. Paulus leg. 111. D. de ſupellectile legata, *Vitrea eſcaria & potoria in ſupellectili ſunt, ſicut fictilia.* Lãces, paropſides, patinę, diſci, alia eſcaria vaſa,

 ſupel-

ſupellectilis fictilia, quæ in menſa cui accumbebatur poni ſolebant, non in abaco. Potoria etiam vaſa & calices, & alia eiuſmodi, ſive fictilia eſſent, ſive vitrea, in menſa ipſa conſtituebantur cui edendi gratia adſidebant vel accumbebant, non in abaco. Supellex autẽ poſtquã facta eſt quoque argentea pro vitrea & fictili, vaſa eſcaria & potoria ex argento ſupellectili acceſſerunt, non argẽto abaci, quod *argẽtum* proprie dicebatur. Unde & Paulus ſupraſcripta leg. III. non ſolum fictilia & vulgaria ſupellectilis legato contineri dixit, ſed etiam quæ in pretio magno ſunt, *ut pelves argenteas, & aquiminalia argentea*. De aquiminali autem vel aquiminario argenteo dubitatum eſt utrum in argento potorio an eſcario eſſet. Et quid mirum? Eſcaria cedere *argento*, Caſſius ſe reſpondiſſe dicit apud Pomponium leg. XXI. π. II. de auro argento legato. Eadem Vlpiani ſententia leg. XIX. π. XII, D. de auro argento, ubi etiam dubitatum ait de aquiminario an eſcarii argenti legato contineretur, & addit, putare ſe, contineri. *Nam & hoc propter eſcam paratur.* Ergo vaſa potoria & eſcaria in ſupellectile, non minus ac fictilia. Speciem enim, non materiam, in ſupelle-

ctile ſpectandam eſſe, Iuriſconſultis placuit. Et diſerte Celſus in hac lege quam nunc explicamus, *Speciem potius rerum quam materiam intueri oportere, ſupellectilis, an argenti, an veſtis ſint.* Paulus eodem Titulo leg. III. aperte poſuit, non intereſſe cuius materiæ ſint res quæ ſunt in ſupellectile, ſed intereſſe nimirum cuius ſint ſpeciei. Ideo craterem argenteum non eſſe in ſupellectile, quia ſpecies ſit, quæ ſupellectili non tribuitur. Cum igitur eſcaria vaſa & potoria fictilia ſupellectili cedant, cur eadem argentea non cedent? Ita enim ſcribitur in leg. VIII, quæ Modeſtini eſt, D. eodem. Quidam uxori legaverat domum cum iure ſuo omni, & inſtrumento & ſupellectili. Quæſitum eſt an videretur & argentum eſcale & potorium legato contineri. Reſpondiſſe ſe ait Modeſtinus, ſi quod in ſupellectili eſſet argentum, deberi. *Eſcale autem vel potorium argentum non deberi, niſi hoc quoque teſtatorem ſenſiſſe legatarius doceret.* Hoc reſponſum mihi valde videtur mirum. Cum enim conſtet ex Paulo leg. III, eſcaria & potoria fictilia & vitrea in ſupellectili eſſe, eadem argentea ſupellectili quoque cedere debent, quandoquidem ex regula iuris non mate-
 riam,

ria, ſed ſpecies, conſideranda ſit, utrum res ſit ſupellectilis, an argenti, an veſtis. Præterea idem Paulus etiam eſcaria vaſa vel potoria argentea, ut ſunt aquiminalia, ſupellectili adſcribēda ibidem docet. Illud item vero verius eſt, *eſcaria vaſa* non peritnere ad abacum, nec eadem quamlibet argentea ſint, in argentario reponi ſolita, nec in numero *argenti* habita, ut *argentum* proprie ſumitur de miniſterii vel Delphicæ argento. Vix poſſit etiam conciliari Vlpianus cum Paulo, cū ille pelves argenteas ex Quinto Mucio *argenti facti* legato contineri velit, & à ſupellectile ſeparari, hic vero pelves argenteas ſupellectili accenſeat leg. III. D. de ſupellectile legata. Verba Vlpiani ex leg. XIX. π. IX. D. de auro argento legato: *Argento facto legato Quintus Mucius ait vaſa argentea coutineri, veluti parapſidas, acetabula, trullas, pelves, & his ſimilia, non tamen quæ ſupellectilis ſunt.* Hpc ſenſit Mucius, omnia vaſa argentea, cuiuſcumque generis eſſent, exceptis quæ ſupellectili adnumerantur, *argenti facti* nomine contineri. Ergo vaſa & utenſilia argenteæ ſupellectilis *argenti facti* nomine non continebantur. Et hoc eſt quod dicebat Pomponius leg. I. D. de

ſupel-

ſupellectile legata, Supellectilem eſſe domeſticum inſtrumentum patrisfamiliæ *quod neque argento aurove facto vel veſti adnumeretur.* Omne itaque *argentum factum* appellabitur quod aliquam formam in opere ab artifice acceperit, modo non ſit ſupellectilis. Vaſa nimirum omnia argentea, præter illa quæ ſupellectili cedunt. Sed in illis vaſis argenteis quæ Mucius voluit *argenti facti* nomine contineri & proinde extra numerum ſupellectilis eſſe, aliquot recenſet quæ in ſupellectile ab aliis Iuriſconſultis numerantur, ut pelves & trullas. Hæc nominatim in ſupellectile reponit Paulus leg. III. D. de ſupellectile, *vaſa aquaria, pelves, aquiminalia, candelabra, lucernæ, trullæ.* Hæc ex alia materia quam ex argento ſupellectilis erant. Immo etiam argentea, quoniam non materies, ſed ſpecies tantum conſideratur in ſupellectili. Auctor antiquus capite de ſupellectile, quam ἐνδομενίαν appellat, etiam *trullam*, id eſt ζωμήρυσιν, ſub illo titulo recenſet. Vaſa eſcaria & potoria ſupellectilis eſſe cuiuſcumq; materiæ ſint, tradit Paulus leg, III. de ſupellectile. Diſerte id negat Modeſtinus leg. VIII.D. eodem. Mucius etiam apud Vlpianum in eadem

ſententia, qui parapſides & acetabula aliaque his ſimilia accenſet *argento facto* legato, & à ſupellectile ſeiungit. Parapſides autem inter vaſa eſcaria. Ex his conſtat, argentum eſcarium & potorium alios *ſupellectili* attribuiſſe, alios *argento facto*. Certe ſi eſcaria & potoria vaſa ex alia materia ſupellectilis ſunt, etiam argentea ſupellectili adnumerari oportet. Idem Paulus tamen qui leg. III. ſcripſerat, vaſa potoria & eſcaria in ſupellectile eſſe, non ſolum fictilia & vulgaria, ſed etiam quæ in pretio magno ſunt, ut pelves argenteas & aquiminalia argentea, quæ inter omnes convenit eſcario argento cedere, alio loco, ut leg. XXXII. D. de auro argento legato, dicit, *argento potorio vel eſcario legato, in his quæ dubium eſt cuius generis ſint conſuetudinem patrisfamilias ſpectandam eſſe, non etiam in his quæ certum eſt eius generis non eſſe.* Ergo non certum eſſe hic videtur ſentire, ita *argento* adnumerari debere argentum potorium & eſcarium, ut non potius ſpectanda ſit conſuetudo patrisfamilias, utrum in argento an in ſupellectile vaſa argentea & eſcaria habuerit. Non ita tamen intellexiſſe Paulum, ſed contrarium, infra docebimus. Sed hoc ipſum

eſt

eſt tamen quod ſcripſit Modeſtinus leg. VIII. D. de ſupellectili, legato ſupellectilis non contineri argentum eſcale & potorium, niſi hoc quoque teſtatorem ſenſiſſe, hoc eſt, niſi teſtatorem hæc in ſupellectile habuiſſe, legatarius doceret. Dubium igitur ei viſum eſt, utrũ eſcaria vaſa argentea ſupellectili cederent, an argento facto, vel *argento* abſolute dicto: & rem hanc variaſſe pro opinione & uſu hominũ, quorum cõſuetudinem ſpectari oporteret. At quædam ſunt in quibus patrisfamilies ſpectanda non eſt cõſuetudo, nimirũ in his quæ certum eſt, inquit Paulus, eius generis non eſſe. Quæ liquido conſtat non eſſe in Argento. Talia ſunt, lecti argentei, iuncturæ mularum argenteæ. *Sed nec candelabra*, inquit Vlpianus, *nec lucernæ argenteæ vel ſigilla quæ in domo repoſita ſunt, vel imagines argenteæ, argenti appellatione continebuntur.* leg. XIX. D. de auro argẽto legato. Paulus tamẽ ubiq; & in omnibus quę poteſt ab Ulpiano diſſentiens, etiam concedendum putat uſui & conſuetudini imperitorum ſi candelabra argẽtea in *argento* retulerint, ut *argenti* potius ſint quam ſupellectilis, leg. III. D. de ſupellectile. Idem eadem lege ſcripſit, nullum vas argenteum ſupellecti-

lectilis eſſe. Cur igitur pelves argenteas & aquiminalia in ſupellectile repoſuit, quæ omnia conſtat inter vaſa argentea numerari? Diximus ſupra, *vaſa argentea*, & *argentum* abſolute dictum, & *argentum factum*, eſſe ſynonyma. Et Quintus Mucius apud Vlpianum leg. XIX. *argento facto* legato ait, vaſa argentea contineri, exceptis quæ ſupellectilis ſunt. *Argenti* igitur *facti* nomine omnia vaſa argentea continentur, quæ non ſunt in ſupellectile. Quæſtio eſt quę ſint vaſa ſupellectilis, & quæ non ſint. De quibuſdã dubitatur: & in his ſequenda eſt conſuetudo vel uſus vel exiſtimatio patrisfamilias. De aliis certum eſt, cuius generis ſint, aut cuius non ſint. *Argentum factum* ita definiri poſſe ait Vlpianus leg. XXVII. π. penult. D. de auro argento legato, *quod neque in maſſa, neque in lamina, neque in ſignato, neque in ſupellectili, neque in mundo, neque in ornamentis inſit*. Ergo alii *argentum* κατ' ἐξοχὴν & proprie nominant cum ſupellectilem id eſſe quod in *argenti* numero non ſit, definiunt, alii *argentum factum* appellant, Græci καῖλον ἄργυρον, vel ἐν σκεύεσι πεποιημένον, alii *argentum miniſterii*, vel *Delphica*. Ulpianus vocem *miniſterium* ita uſurpavit ut Gloſſæ *mini-*

ſterium

ſterium vel μυιστεῖον, quod *Delphicam* & *abacum* interpretantur. Leg. XIX. *Si cui eſcarium argentum legatum ſit, id ſolum debebitur quod ad epulandum in miniſterio habuit, id eſt, ad eſum & potum.* Si in *miniſterio*, ergo non in ſupellectili. Nam *miniſterium* Gloſſis idem eſt quod *Delphica* vel *abacus*. Falſum igitur quod ſcripſere Iuriſcōſulti, ſpeciē tantū non materiē, intueri oportere ut ſciatur utrum res ſit ſupellectilis an argenti. Ecce enim vaſa eſcaria & potoria fictilia in ſupellectili reponuntur, ut diſerte tradit Paulus leg. III. Eadem vero argentea argento tribuuntur, ut ex Vlpiano & Modeſtino conſtat. Ergo ſola materia in his diſcrimen conſtituit non ſpecies. Alioquin ſi ſpecies, tantum eſſet ſpectata, æque vaſa eſcaria argentea ſupellectili accenſeri oportuit quam fictilia. Hæc fictilia eſcaria quæ ſunt quotidiani uſus non poſſunt ad aliud genus referri quam ad ſupellectilem. Quid enim eſt ſupellex? *Inſtrumentū domeſticum rerum patrisfamilias ad uſum quotidianum paratarū, quod in aliam ſpeciem non cadat, ut verbi gratia, penum, argentum, veſtem, ornamenta, inſtrumenta agri aut domus.* Ex definione, vel demonſtratione potius Tuberonis apud Celſum. Eſcaria vaſa, vel potoria

toria fictilia, non cadunt in ullam talem ſpeciem. Certe non in argentum, nam fictilia ſunt non argentea, non in veſtem, non in penum, non in alia quæ enumeratione ſua comprehendit Tubero. An, ut ante dicebam, alia vaſa fictilia abaci fuere quæ in miniſterio ponerentur, alia ſupellectilis? Abſolute veteres Iuriſconſulti ſupellectilis nomen de his uſurpari proprie voluerunt, quæ in *argenti* ſignificationem non caderent, nec in penum, nec in veſtem, nec in ornamenta, nec in inſtrumenta agri aut domus. Ergo omnia fictilia vaſa, & vitrea, & ærea, & lignea, quorum uſus erat quotidianus, ſupellectilis nomine veniebant olim. Ergo etiam illa fictilia quibus ornabatur abacus in uſu quotidiano, ſupellectili cedebant. Nam, ut dicit Celſus, fictili aut vitrea, aut lignea, aut ærea ſupellectili utebantur veteres priuſquam luxus argenteam ſupellectilem introduxiſſet. Cum autem vitrea eſcaria vaſa & potoria fierent teſte Paulo, ea vaſa vitrea eſcaria ſupellectilis erant, haud minus quam fictilia. Mutatis moribus ubi ea facta ſunt argentea quæ ante erant fictilia & vitrea, appellatio etiam ſupellectilis mutata eſt. Et ea quæ ſupellectili cede-

cedebant, in aliud nomen tranſierunt, in *argenti* nimirum vel *argenti facti* appellationem. Et hoc eſt quod dicit Celſus in lege VII. *Nec mirum eſt, moribus civitatis & uſu rerum appellationem ſupellectilis mutatam eſſe.* Nam quæ fictilia aut vitrea ſupellectilis fuerunt, cœperunt in aliud genus referri, & *argento* proprie & ſpecialiter appellato attribui, poſtquã argẽtea facta ſunt. Manſit tamẽ priſca definitio ſupellectilis, id eſſe quod in aliam ſpeciem non cadit, ut verbi gratia, in argentum, penum & veſtem. Quia ſemper ſi quod argentum erat in ſupellectile, ſeparatum eſt nomine ab *argento* ſic proprie ſumpto, nec in eamdem appellationem *argenti* recidit. Idcirco Iuriſconſulti dixere, ſpeciem potius rerum quam materiam inſpici oportere. Cæterum quoniam ex illa morũ mutatione, ſupellectilem introducentiũ argenteam, magna etiam inceſſit in ſupellectilis rationem mutatio, ſubtractis ex ea plurimis vaſis propter materiam, & argento tranſcriptis, ut eſcariis, & potoriis, aliiſque, errore præcipue imperitorum patrum familiarũ, qui ea quod eſſent argentea in numero potius *argenti* reponebant, eumque errorem etiam ius facere placuit.
Iuris-

Iuriſconſultis, idcirco Celſus hic ſcripſit, *non mirum eſſe, moribus civitatis & uſu rerum appellationem ſupellectilis mutatam eſſe.* Multa quippe, quamdiu fictilia aut vitrea fuere, ſupellectili donata ſunt, quæ ubi ex argento fabricari cœperunt, in argentariam ac miniſterium videntur eſſe tranſlata, ut exempli gratia potoria & eſcaria vitrea. Vnde apud Propertium:

--- vitrique æſtiva ſupellex.

Quod *æſtivum vitrũ* appellat auctor Copę, *æſtivo te prolue vitro.* Quæ ſunt grandia pocula vitrea quibus per ęſtatẽ ſe proluebãt. Adeo autem vitrea vaſa in ſupellectile tã potoria quam eſcaria, ut myrrhina & cryſtallina, quia vitri affinia, in ſupellectile quoque numerarentur, vitro tamen immane quantum pretioſiora. Paulus leg. III. dubitari de his poſſe ait an ſupellectili adnumerari debeant, propter eximium uſum & pretium, concludit tamen, ſed & idem de his eſſe dicendum. Idem quoque lib. III. Receptarum ſententiarum, *Myrrina & cryſtallina, & argentea ac vitrea vaſa, tam eſcaria quam pocularia, legatæ ſupellectili cedere* ait. Ita enim reponi apud eum illo loci debet, *myrrina* & *cryſtallina*, pro *byſſina & cryſtallina.* De argenteis

teis eſcariis, & potoriis, non etiam dubitat quin ſupellectile legata debeantur, ſecundum eam regulam qua ſtatuerunt, non intereſſe cuius ſint materiæ res quæ ſunt in ſupellectile, quia materiam tantum intueri oporteat. Quod in his tam ipſe Paulus quam etiam Servius obtinere voluit de quibus non ambigeretur quin in alieno genere eſſent, ut habetur leg. VII. D. eodem. *Alioquin ſententiam eius qui legaverit adſpici oportere, in quam rationem ea ſolitus ſit referre.* In eo hactenus conveniunt Servius & Paulus, ſed parum concordant in ratione eorum de quibus non ſit ambigendum quin in alieno genere ſint. Non dubitat Paulus, & inter receptas ſententias id refert, ſupellectili adſcribēda eſſe vaſa eſcaria & potoria argentea. At Servius, quem & ſequitur Vlpianus, eſcarium argentū inter ea refert, quæ non ſunt ſupellectilis, & in quorū legato habenda ſit ratio opinionis eius & conſuetudinis qui legaverit. *Verum*, inquit, *ſi ea de quibus non ambigeretur quin in alieno genere eſſent, ut puta eſcarium argentum, aut pænulas & togas, ſupellectili quis adſcribere ſolitus ſit, non idcirco exiſtimari oportet, ſupellectile legata ea quoque contineri. Non enim ex opinionibus ſingulorum,*

ſed ex communi uſu nomina exaudiri deberi. Sic de argento eſcario & potorio tres ſententiæ Iuriſconſultorum diverſæ extitere. Quidã omnino illud adſcribendũ cenſuerunt ſupellectili, ut Paulus. Atque huius verba leg. xxxii. π. ii. D. de auro argento legato, non ita accipienda ſunt, quaſi dixerit, argento potorio legato obſequendum eſſe patrisfamilias conſuetudini & opinioni, quaſique dubium foret cuius generis ſit argentum potorium, ſupellectilis an argenti, ut in tali caſu ſpectari debeat teſtatoris cõſuetudo. Immo ſignificat, eius generis eſſe potorium argentum, ut eo legato non oporteat intueri opinionem & uſum patrisfamilias, quoniam certum ſit, non eſſe *argenti* argentum potorium, ſed ſupellectilis. Alii *argento* adnumerandum citra hæſitationem ſtatuerunt, ut Servius, & Ulpianus, quamlibet paterfamilias in ſupellectile id habere ſolitus ſit, non in *argenti* numero. Alii vero inter illa id repoſuerunt de quibus ambigitur cuius generis ſint, & quamvis magis *argenti* eſſe videantur, indulgendum tamen eſſe exiſtimationi & conſuetudini patrisfamilias, ſi ſolitus ſit in ſupellectile reponere. In his Modeſtinus leg. viii, D. eodem.

dem. Ut meum iudicium interponam, puto veriorem eſſe Pauli ſententiam, ſtatuentis, in ſupellectile eſſe vaſa argentea potoria & eſcaria. Nam ſi de eo inter omnes Iuriſconſultos convenit, non materiam, ſed ſpeciem conſiderari oportere; ut liqueat cuius ſint generis, ſupellectilis, an *argenti*, an veſtis, non dubium eſt, quin eſcarium argentum ſupellectili debeat accenſeri, quia vaſa eſcaria & potoria ex alia materia fictili, ut puta, aut vitrea, in ſupellectile eſſe nemo unquam dubitaverit. Sic parum in ſupellectile definienda ac demonſtranda ſibi conſtiterunt Iuriſconſulti. Quatenus indulgendum foret opinioni & uſui imperitorum, alteri generi adſcribentiũ quod alterius eſſet generis, non ſatis perſpexiſſe videntur. Paulus de candelabro argenteo, ſi in *argenti* ratione relatum ſit, propter uſum imperitorum *argenti* eſſe videri pronuntiat, quia error facit ius. Atqui candelabrum ſupellectilis eſſe extra dubiũ erat, quod ex alia materia eſſet, quam ex argento. Servium hic non haberet adſtipulatorem Paulus, cui Servio ſedit ſententia, non ex opinionibus ſingulorum, *ſed ex communi uſu nomina exaudiri debere*. Ex communi

ni autem uſu conſtabat omne candelabrũ eſſe ſupellectilis. Ergo argenteũ etiã ſupellectilis. Nam materia non facit generis diſcrimen, ſed ſpecies. Tubero vero non aſſentiebatur Servio, & dicebat, parum ſibi liquere de eo quod hic affirmavit. Sequendum ergo ille putabat exiſtimationem & rationem patrisfamilias, ut in quo genere ille referre ſolitus eſſet rem quamcunque, & quo nomine eam appellaret, ita exaudiendam eſſe. *Nam quorſum*, inquiebat, *nomina, niſi ut demonſtrarent voluntatem dicentis? Equidem non arbitror quemquam dicere quod non ſentiat, ut maxime non nomine uſus ſit quo id appellari ſolet.* Ita legendum inſerta negatione, quæ ex affinitate ſequentis ſyllabæ exterminata fuerat. Vulgo enim perperam ſcribitur, *ut maxime nomine uſus ſit quo id appellari ſolet.* Quod contra Tuberonis mentem eſt. *Supellectilis* nomine aliquis legavit quod non erat ſupellex. Quamvis nõ nomine ſuo rem appellaverit, quo ea res ſolet appellari, credendum tamen eſt ita eum ſenſiſſe, ut loquutus eſt, & pro ſupellectile habuiſſe & eſſe voluiſſe, quod tanquam ſupellectilem legavit. Hæc ſententia Tuberonis: quam etſi ratione niti fateatur Celſus, & auctori-

ctoritate eius ſe moveri dicat, non tamen probat. Antequam per luxuriam ſæculi ſupellex argentea admitteretur, pauciſſima vaſa argentea in *argento* numerabantur, eaque potoria ferme tantum. Supra decem libras argenti non licuit cuiquam habere priſcę frugalitatis more. Non quotidiani etiam uſus illud argentum fuit, ſed tum adhiberi ſolitum, cum amicos aut hoſpites ſplendido exciperent convivio. Tunc ad ornamentum abaci ſive menſæ marmoreæ tripedis, quæ *delphica* dicebatur, exponebantur in ea pocula argentea aliquot, ſcyphi, urceoli, cyathi, & alia id genus ad bibendum comparata vaſa. Qui argentum non habebant, fictilibus ornabant poculis aut vitreis abacum, aut ab amicis commodato accipiebant, ut ille apud auctorem Rhetoricæ ad Herennium, excepturus hoſpites, vaſa, veſtimenta & pueros corrogat. *Vaſa* intelligit argentea. Nam ſequitur, *nuntiat interea puer argentum repeti: pertimuerat enim qui commodarat.* Tum ille vanus oſtentator rerum quæ ſuæ non erant, *Apagete*, inquit, *ædes commodavi, familiam dedi, argentum quoque vult. Tametſi hoſpites habeo, tamen utatur licet, nos Samiis delectabimur.* Samia illa fictilia erant

 quo-

quotidiani uſus, argentea conviviorum tantum ſollemnium, & dierum feſtorum. Ergo ad ornamentum & oſtentationem exponebantur in abaco. Quod etiam liquet ex eodem auctore ibidem: *Perſpicit argentum quod erat expoſitum. Viſit triclinium ſtratum, probat.* Cicero in Verrem: *Abaci vaſa omnia, ſicut erant expoſita, abſtulit.* Ideo mutuabantur ab amicis qui non habebant. Tradit Plinius lib. XXXIII. cap. XI, legatos Carthaginenſium dixiſſe, *nullos homines inter ſe benignius vivere quam Romanos. Eodem enim argento apud omnes cœnitaviſſe ipſos.* Currebat argentum per omnes idem, ab uno commodatum. Adeo pauci tunc Romæ fuerant, qui argentum haberent. Lampridius ſcribit in Alexandro Severo, de ipſo: *Et cum argentum in miniſterio plus ducentis libris non haberet, nec plures miniſtros, argentum & miniſtros ante quando paſcebat, accipiebat ab amicis.* Id eſt, quando convivium ſollemne agitabat: quando multos epulo excipiebat. Ad ornamentum igitur potius, & oſtentationē, quā ad uſum quotidianū ille argenti expoſiti in abacis apparatus. Inde & urceolos *ornamentum abaci* appellat apud tenuis fortunę homines Iuvenalis Sat. III.

--- *Vrceoli ſex, Ornamentum abaci.*

In

In abaco ergo exponi ſolebat fere tantũ potorium argentum, aut vaſa ad bibendi præparationem comparata, ut loquitur lex XXI. D. de auro & argento legato, *ubi quærit, utrum in argento potorio id duntaxat ſit in quo bibi poſſit, an etiam id quod ad præparationem bibendi comparatum eſt, veluti colum nivarium, & urceoli,* ſed propius eſſe reſpondet, & hæc quoque ineſſe. In abaco ſive delphica *urceoli* etiam ſtatuebantur, ut diſerte ſcribit Iuvenalis. Eos Paulus in *miniſterio* recenſet leg. III. Receptarum ſententiarum. Horatius de abaco:

--- Et lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet.

Vbi vetus interpres *menſam marmoream* interpretatur, *quam vocant delphicam*. Hic *Lacedæmonius* orbis Iuvenali ex Lacedæmonio marmore, menſa nimirum delphica, quæ poculis & præparatis ad miniſtrandũ vinum vaſis onuſta cum eſſet, ad eam pytiſſabant, & vinum experiebantur ac deguſtabant, quod more deguſtantium cum ore reiicerent, menſam ipſam lubricabant. Vnde illa,

Et Lacedæmonium pytiſmate lubricat orbem.

Vbi *pytiſma* idem quod *pytiſſatio*, ut olim Salmaſius docuit, tametſi multis imperitorum id nondum probare potuerit. Nam πυτίζειν, & διαπυτίζειν eſt liquorem in ore ſumptum, vi expreſſum reiicere, ut ſolent qui vinum probant, & deguſtant. Recte idem vidit in Vitruvio eamdem eſſe vocem reponendam lib. VII. cap. IV. *Ita conviviis eorum, & quod poculis & pytiſmatis effunditur, ſimul atque cadit, ſicceſcit.* Πυτίζειν, & διαπυτίζειν τὸ οἶνον id Græci dicunt, quod comicus Latinus *pytiſſare*. Ideo & *abacum* optimæ aliæ Gloſſæ vetuſtiſſimæque *caliclare* interpretantur à calicibus, & aliis potoriis vaſis ſuſtinendis, capite de ſupellectile. Ἄβαξ, *caliclare*. Ubi ἄβαξ eſt abacus, ut δέλφιξ, *delpibca*. Aliæ Gloſſæ, κυλικεῖον expoſuerunt *caliclare*. Lucianus in Lexiphane δελφίδα τράπεζαν, & κυλικεῖον, idem facit, his verbis: ποτήρια δ᾽ ἔκειτο παντοῖα ἐπὶ τῆς δελφίδος τραπέζης. Ita ſcribendum, non δελφίνιδος, ut vulgo legitur. Δελφὶς τράπεζα, eſt δελφικὴ, Latinorum *delphica*, vel *abacus*. Subiicit ſtatim, κυμβία ἦν, καὶ φιαλίδες, καὶ ποτήρια γραμματικὰ, ὥσπερ μεστὸν ἦν τὸ κυλικεῖον. *Poculorum menſam* vocat Servius. Et notabis ſolis poculis, vel potoriis vaſis,

ſis, abacum inſtrui. In abaco igitur potoria præcipue vaſa collocari ſolita, & ad opum oſtentationem tantum comparata. Pollux lib. XX. cap. XIX. ἔξεστι δὲ τὴν τράπεζαν ἐφ' ᾗ τὰ ἐκπώματα κατάκειται, τρίπουν τράπεζαν εἰπεῖν, ἢ μονόπουν. *Licet menſam in qua pocula collocata ſunt, tripedem vocare, aut monopodium.* Τρίποδες τράπεζαι Latinis *abaci*, & *delphicæ*, μονόποδες autem, retenta Græca voce, *monopodia*. Plinius tam abacos quam monopodia, Manliũ primum ex Aſia devicta Romam intuliſſe ſcribit lib. XXXIV. cap. III. *Triclinia ærata, abacoſque, & monopodia, Cn. Manlium Aſia devicta primũ inveniſſe triumpho, L. Piſo auctor eſt.* Alibi etiam *monopodia*, id eſt, μονόποδας τραπέζας, diſtinguit ab abacis qui τρίποδες. Hinc antiquiores Græci ἀργυρώματα, id eſt, pocula argentea, quæ monopodiis ornandis, & abacis ſive delphicis, deſtinata erant, ἀργυρᾶν κόσμον appellabant. Et qui elegantiori ſermoni ſtudebant, ita malebant appellare, quam ἀργυρώματα, ut teſtatur Athenæus. Cum enim in quadam comœdia ἀργυρώματα pro vaſis argenteis dixiſſet Menander, quẽ non ita accurate loquutum eſſe Critici notabant, addit Athenæus, οἱ δ' ἑλληνίζοντες δεῖν φα-

σιν ἀργυρῶν κόσμον, & *χρυσοῦν κόσμον*, non *χρυσώματα*, & *ἀργυρώματα*, ut quidam dicebãt, & in his Menander. Poſtea paſſim *factum argentum* aliud habuere cõmunis uſus & quotidiani cauſa paratum, *aliud quo non temere utebantur, ſed commodare ad ludos & ad cæteras apparationes ſolebant*, ut eſt in leg. XXVIII. D. de auro argento. Sed cum priſcæ frugalitati rarum eſſet, ut aliquis vel modicum argentum haberet ad abacum ornandum, non quotidiani uſus id fuit, ut dixi, & in poculis paucis, aut miniſtratoriis ad bibendum vaſis conſtabat. Fabricius bellicoſos imperatores plus quam pateram & ſalinum habere ex argento vetabat, referente Plinio lib. XXXIII. cap. XII. Idem ſcribit, propter quinque pondo argenti notatum à cenſoribus triumphalem Romæ Senem. Catus Aelius, ut idem narrat, non aliud habuit argentum ad ſupremum uſq; diem quam duo pocula, quæ L. Paulus ſocer ei ob virtutem devicto Perſeo rege donaſſet. Illis duobus poculis ſuum ornabat abacum. Nec alia, ut dixi, vaſa temere tunc in abaco exponebantur, præter potoria, quæ Græci *ἐκπώματα* vocant, ut ſupra ex Polluce vidimus. Quia ad ornamentum

potius

potius & oſtentationem ponerentur, quam ad uſum, ideo paria poni conſueverant. Agrœcius: *Delphicæ vaſa ſemper paria ſunt. Vnde ipſe Cicero dicebat Scyphorum paria compluria.* Si fictilibus pro argenteis aut vitreis abacum quis inſtrueret, ea quoque ut videtur paria eſſe ſolebant. Vnde & *urceoli ſex Ornamentum abaci*, apud Iuvenalem, tria nempe paria urceolorum. Hinc fictilia quibus cœnabat Agathocles ſeparat Auſonius à fictilibus ſive Samiis quibus onerabat abacum ornamenti gratia. Et ille apud auctorem Rhetoricæ ad Herennium de fictilibus delphicæ dicit, *Samiis delectabimur.* Hæc tamen fictilia etiam in ſupellectile reponebantur. Nec enim aliter potuit aut oportuit fieri. Argentea autem facta ſupellectile, mutatis moribus, mutatio quoque appellationis conſequuta eſt. Tum pleraque ex ſupellectile ad abacum tranſlata, & argentum miniſterii. Cum enim antea ſolis fere poculis ornaretur, quia *argentum* in poculis tantum conſiſtebat, & potoriis vaſis, ideo abacus ſola potoria accipiebat. Vbi tam potoria quam eſcaria ſuppellex facta eſt ex argento, ampliatū eſt miniſterium. Sed & inde illæ dividiæ Iuriſconſul-

ſultorum, dubitantium, utrum eſca rium argentum cederet legato ſupellectilis an *argenti*. Olim nullum eſcarium argentũ, ſed omnia vaſa eſcaria fuere fictilia, & ideo ſupellectilis. Si quod vas ex argento fieret, ea præcipue pocula erant, & abaco inſtruendo & ornando deſtinabantur. Vbi & eſcaria ex argento fabricata ſunt, alii ea cum potoriis coniunxerunt, & abaco vel argento abaci dederunt, alii ſupellectili vindicarunt, quia eſcaria olim vaſa ſuppellectilis, non abaci. Quinetiam Paulus qui vaſa argentea eſcaria & potoria ſupellectili adnumerat, *miniſterii vaſa* ab illis ſe diſcernere ait, id eſt, delphicæ, ſi forte, ſive abaci vaſa. Sic enim ſcribit lib. III. Sententiarum, Tit. VII. *Vaſis argenteis legatis, ea omnia continentur, quæ capacitati alicui parata ſunt, & ideo tam potoria quam eſcaria. Item miniſterii omnia debebantur, veluti urceoli, pateræ, lances, piperatoria. Cochlearia quoque, itemque trullæ, calices, ſcyphi, & his ſimilia.* Ita omnino emendari debet ille locus, ubi depravate excuſum eſt, *miniſteria omnia*. Vocat *miniſterii omnia vaſa* quæ in miniſterio ſunt. Ergo vaſorum argenteorum latius patet penes Paulum appellatio quam *miniſterii* vel *abaci*. Et *miniſterium* diximus appellatum

quod

quod *argentarium* Vlpiano. At Paulo vaſa eſcaria & potoria argentea ſupellectilis ſunt, non *argenti* ſic proprie dicti quo abacus ornabatur, nec *argentarii*, ut ea vox Vlpiano uſurpatur. Profecto & Plinius *abaci vaſa* à vaſis eſcariis diſtinguit, lib. XXXVII. cap. II. *Eadem victoria primum in urbem murrina induxit, primuſque Pompeius duo pocula ex eo triumpho Capitolino Iovi dicavit. Quæ protinus ad hominum uſum tranſiere, abaci etiam, eſcariiſque vaſis inde expetitis.* Eſcaria vaſa in ſupellectili, ſed & murrina. Abaci vaſa diverſa. Ergo ex murrinis ipſis alia ad uſum deſtinabantur quæ in ſupellectili computabantur, alia ad ornamentum quæ in abaco exponebantur. Et perperam in verbis Plinii legitur, *Abacis etiam, eſcariiſque vaſis.* Non enim murrini fiebant abaci. Dicebamus autem paulo ante potoriis ferme vaſis ſolis argenteis etiam apud ſæculũ priſcum, & parcum, inſtrui ſolitum abacũ. Cur igitur potoria argentea adimit *miniſterio*, quod idẽ eſt pleriſq; cum abaco, Paulus & ſupellectili adſcribit? Quæ eſcaria & potoria vocat Paulus, ea apparet fuiſſe quotidiani uſus. Eaque ratione in ſupellectilis definitionem cadunt, quæ inſtrumentum eſt domeſti-

cum

cum patrisfamilias rerũ ad quotidianum uſum paratarum. Argentum igitur illud omne quod victus ſui cauſa ad quotidianum uſum paratũ habet paterfamilias ſupellectili cedit. At in argẽto abaci, vel miniſterii, refertur; quod *argentum* abſolute & proprie dicitur. *Argentum* autem *miniſterii*, non quotidiani eſt uſus ſed ad ornatum apparatũ, & pompam oſtentationemque convivii ſollemnis in abaco exponitur. Alioquin perperam Paulus diſtinxiſſet calices, ſcyphos, & pateras miniſterii, à potoriis vaſis, cum & ipſa ſint potoria. Sed & lances inter eſcaria vaſa, quæ tamen ſeparat ab eſcariis, & inter miniſterii vaſa reponit. Sed illæ quoque lances quarum meminit inter vaſa miniſterii, non in ipſa menſa apponebantur cum accumbebant convivæ, ut cibi in his ponerentur, ſed inter vaſa miniſterii ad ornamentum in abaco proſtabant. Cum *vaſa argentea* definit Paulus, *quæ capacitati alicui parata ſunt*, exprimere voluit τ̃ κοῖλον ἄργυρον Græcorum. Omne enim *argentum* capacitati alicui paratum κοῖλον eſt. Latior igitur notio *vaſorum argenteorum*, Paulo, quam *miniſterii*. Nam in ſupellectile multa eiuſmodi vaſa quæ κοίλυ ἀργύρυ nomine venire poſſunt.

Quin-

Quintus vero Mucius omnem *vaſorum argentorum* appellationem reſtringebat ad *argenti facti* numerum, quia à ſupellectilis inſtrumento excluſum. Vlpianus quoque latius extendit appellationem *miniſterii* quam Paulus. In miniſterio quippe eſſe vult eſcarium, id eſt, illud omne argentum quod ad epulandum in miniſterio habuit paterfamilias, id eſt, ad eſum & potum. *Argentum menſale* vocare videtur Vopiſcus in Tacitum, quod ad uſum & miniſterium menſæ paratum erit: *Argentū menſale quod privatim habuerat, miniſteriis conviviorum quæ in templis fierent, dedicavit*. Livius lib. x. *Triū menſarū argentea vaſa* dixit Sic *argentū menſale*, & *argentū miniſteriale*, idē fuerit, & diverſum utiq; ab argento abaci vel delphicæ. Sic *argentū factum, argentea vaſa, miniſteriū, argentariū*, & *argentum* proprie ſumptum Vlpiano, item *argentum menſale*, eamdem rem denotant. Paulo vero, ut videtur, vaſa argentea ſive ἄργυρος κοῖλος, id eſt, *argentum factum*, latioris ſunt ſignificationis quam *argentum miniſterii*, vel *miniſterii vaſa*, atque adeo quam *argentum* abſolute poſitum. *Vaſorum* quippe *argenteorum* nomine, non ſolum argentum miniſterii comprehendi putavit, ſed etiam argentum

tum ſupellectilis. Adeo autem ad uſum quotidianum parata non erant vaſa argentea delphicæ, ut copulata per paria ſingula & colligata plumbo tenerentur. Sic enim videtur exponendum quod ſcriptum eſt leg. XIX. D. de auro argento legato, ut etiam Cuiacius id explicavit: *Idem Celſus libro novodecimo quæſtionum quærit, ſi centum pondo argenti fuerint relicta, an replumbari debeant, ut ſic appendantur? Et Proculus & Celſus aiunt, exẽpto plumbo appendi debere. Nam & emptoribus replumbata adſignantur, & in rationem argenti pondus ſic refertur.* Et paulo poſt: *Plane ſi cui vaſcula argentea, ut putes lancæ quadratæ, ſint legatæ, etiam plumbum quo continentur, eum ſequatur.* Vix poteſt de alia plũbatura accipi. Martialis in Apophoretorum libro meminit *urceolorum miniſtratoriorum*, qui videntur eſſe diverſi ab urceolis qui ornamento delphicæ deputabantur, & per paria colligabantur plumbo. De his enim dicit hoc diſticho.

Frigida non deerit, non deerit calda petenti,
Sed tu moroſa ludere parce ſiti.

Ergo *miniſtratorii* qui ad uſum prompti, & quod his aqua miniſtraretur eo nomine diſtincti ab his qui ornando abaco inſerviebant tantum, ut apud Iuvenalem,

urceo-

ureoli ſex Ornamentum abaci, per paria ut dixi, bini bini coniuncti, ut in abaco ornando moris fuit. *Miniſterii* autem appellatio, ut ratio eius notioque poſtulat, de eo potius accipienda videri poteſt argento, quod uſui quotidiano inſerviebat, quam quod ornamento & oſtentationi parabatur. Et ſic Vlpianus dixit, *in miniſterio haberi argentum ad epulandum*, id eſt, ad eſum & potum, de argento eſcario, leg. eadem π. XII. Paulus quoque, cum vaſorum argenteorum nomine vaſa *miniſterii* omnia contineri dixit lib. III Receptarum Sententiarum, in miniſterio ea etiam enumerat quæ miniſtratoria plane erant potius quam ornatoria, ut *piperatoria*, & *cochlearia*, aliaque. Diverſum ergo ſic omnino fuerit *miniſterium* ab abaco ſive *delphica*, & erraverit Gloſſarum vetus auctor, qui *delphicam* & *abacum* expoſuit *μυὶσηειον*, At *miniſteria* pro vaſis & utenſilibus ad miniſtrandum comparatis etiam infima ætas uſurpavit, quæ Græcis *χρησίμια*. *Miniſterium* quippe omne argentum comprehendebat quod menſæ miniſteriis paratum erat, ut eſcarium & potorium, quod in *miniſterio* etiam multi Iuriſconſultorum reponebant, non in ſupellectili, ut Paulus.

At delphicæ argentum in ſolis vaſis ad bibendum aptis conſiſtebat, & ad ornamentum tantum abaci, non ad uſum menſæ expoſitis. Vnde Κυλικεῖον Græcis vocabatur, & *caliclare* Latinis, quod ſolæ κύλικες, id eſt, ποτήρια ſive potoria vaſa, in eo ſtarent loculamentis incluſa, ut infra dicemus. Athenæus lib. XI, ubi ποτήρια ſive ἐκπώματα, quorum uſus in Græcia, per ordinem litterarum exponit, ita de κυλικείῳ ſive de poculorum abaco, loquitur, ἄξιον δ' εἶναι νομίζω ζητῆσαι ὑμᾶς περὶ τοῦ καταλόγου τῶν ποτηρίων, ὧν πλῆρες ἐστι κυλικεῖον τόδε. *Cenſeo, vobis eſſe quærendum priusquam catalogum exponamus poculorum, quorum hic abacus plenuus eſt.* Gloſſæ veteres, ἄβαξ, *caliclare.* Sola igitur pocula, ποτήρια, κύλικας, ἐκπώματα recipiebat abacus, cui nomen inde κυλικεῖον apud Græcos, Latinum *caliclare* à calicibus. Nam duo erant ut ante docuimus genera menſarum. Vna in qua pocula ad ornatum exponebantur, altera ad epulas recipiendas, cum ipſis etiã vaſis *miniſterii* potoriis & eſcariis. Servius ad illud Aeneidis III, *menſæque remotæ*; *Sub extranea*, inquit, *perſona Romanorum tamen exequitur morem, apud quos duæ menſæ erant, una epularum, altera poculorum.* Quam hic vocat *menſam epularum*, Pol-

Pollux lib. x. cap. XXIII. eam nominat, ὑποκειμένην τοῖς ὄψοις τράπεζαν. In ea quoque ſtatuebantur pocula ad uſum bibendi comparata. Virgilius eodem libro:

Qui dapibus menſas onerent & pocula ponant.

Ergo in eadem menſa quæ epulas accipiebat, poni etiam ſolebant pocula ad bibendum parata. Servius ad eum locum: *Similiter more antiquo dixit, quia veteribus non in manibus dabantur pocula, ſed menſis imponebantur, ut hodie apud plures pocula in caniſtris argenteis apponuntur quæ caniſtra ſiccaria dicuntur.* Ne mappam qua inſtrata erat menſa pocula appoſita vino inquinarent, ideo in caniſtris argenteis ea apponi ſolebant, quæ *ſiccaria* docet appellata, quod ſiccam menſam cuſtodirent & à liquore vini decidentis immunem. Poni ea pocula in menſa & ſtatui dicebantur, quæ ad uſum bibendi cum epulis menſæ imponebantur. Unde apud Virgilium, *& pocula ponunt.* Et paulo poſt: *Crateres magnos ſtatuunt.* Quæ vero in abaco ſive Delphica ponebantur ad ornamentum, *exponi* dicebantur, ut ſupra docuimus. Cicero lib. IV. in Verrem: *Exornat ample magnificeque triclinium, exponit ea quibus abundabat plurima & pul-*

 cher-

cberrima vaſa argentea. Miniſterii vero argentum non ad ornandum abacum inſtitutum erat, ſed ad uſum, verumque menſæ quæ epulas ſuſtinebat miniſterium. à quo *miniſteriani ſervi* appellati, qui ei miniſterio præerant, qui dapibus menſam onerabant, ut loquitur poeta, & pocula ponebant, vaſa nempe miniſterii argentea. *De caſtrenſibus miniſterianis* Titulus eſt in Codice, quem male intelligunt docti. Hi miniſtri triclinii. Paulus quoque diſtinxiſſe videtur *miniſterium* & *delphicam*. Nam & *delphicarum* meminit inter res ſupellectilis cum menſis, trapezophoris, ſubſelliis & ſcamnis, lectiſque argentatis, leg. III. D. de ſupellectile. At lib. III. Sententiarum *vaſa miniſterii* nominavit quæ in miniſterio habebātur, id eſt, quibus miniſtrabatur, non quibus ornabatur abacus. Argentum igitur *miniſtratorium* & *argentum miniſterii* idem. Omne argentum quod in ſupellectile non erat, *miniſterii* appellatione cenſebatur, idemque *argentarium* Vlpiani, ſive *argentaria* Palladii. At in abaco ſive delphica non omne argentum exponebatur, ſed illud tantum quod ad oſtentationem erat deſtinatum, per paria plumbo colligatum, quomodo vix uſui eſſe poterat.

Præ-

Præterea loculis diſtinctus erat abacus, in quibus quaſi defoſſa ſingula paria vaſorum reponebantur, ne facile deciderent & colliderentur. Id me docuit Sidonius Apollinaris carmine XVII:

Non tibi gemmatis ponentur prandia menſis,
Aſſyrius murex nec tibi ſigma dabit.
Nec per multiplices abaco ſplendente cavernas
Argenti nigri pondera defodiam.

Cavernas appellat loculamenta in ipſo abaco marmoreo cavata ad recipiẽda vaſa. Inde eſt quod Græcis κυλικεῖον ſive *caliclare*, idemque cum delphica vel abaco, θήκη ποτηρίων exponitur, id eſt, poculorum theca. Omnia autem inſtrumenta quibus id nomen θήκης aptatur, concava eſſe ſolent. Menſa quippe plana non diceretur θήκη. Suidas, κυλικεῖον, ἡ θήκη τῶν ποτηρίων. Athenæus lib. XI, τῶν ποτηρίων σκευοθήκην interpretatur. Alia eſt ἀργυροθήκη, quam Attici γραμματεῖν βοιωτίν nomine appellitabant, quod in eo argentum reconderetur, id eſt, ἀργύριον vel ἀργυρείδιον, pecunia nempe numerata. De quo alibi. Sic ergo ponebantur vel exponebantur pocula in delphica, loculis quaſi capſis incluſa. Pocula autem *miniſterii* in ipſa menſa ſtatuebantur in caniſtris argenteis,

ut ſupra docuimus. Certus autẽ numerus vaſorũ ab abaci receptus videbatur. Vnde apud Pliniũ ex Actis Põpeiani triumphi, *Vaſa ex auro & gemmis abacorũ novem*, id eſt, ad ornãdos abacos ſive Delphicas. *Trium menſarũ vaſa* Livio. In argento facto aliud victus quotidiani cauſa paratũ fuiſſe, aliud ad oſtentationẽ & apparatum ſollemnẽ, liquet ex leg. XXVIII, D. de auro argẽte legato, in qua dicit Alpheuus, argento legato, quod uſus ſui cauſa paratum eſſet, non videri legatum eius generis argentũ quo paterfamilias ipſe non temere uteretur, ſed commodaret ad ludos & ad cæteras apparationes. Omnino igitur aliud miniſterium argenti, aliud abacus vel Delphica. In ſupellectili ipſa delphica eſt, cum vaſa delphicæ non ſint in ſupellectili, ſi ſint argentea. Etiam capſæ & armaria ſupellectilis, teſte Paulo, ſed addit, eſſe qui recte putent, & capſas & armaria, ſi librorum aut veſtium aut armamentorum gratia parata ſint, non eſſe in ſupellectili, quia ne hæ quidem ipſæ res quibus attributæ eſſent, ſupellectilis inſtrumento cederent. Secundum hanc rationem tamen ne delphica quidem ipſa eſſet adſignanda ſupellectili, quia nec res etiam illæ quæ ei ſunt attributæ, ſupel-

lectilis

lectilis inſtrumento cedant, ut vaſa argentea quibus ornatur. Sed reſponderi poteſt, ſæpe in delphica exponi ſolita vaſa fictilia & vitrea quæ ſunt ſupellectilis. Sane capſæ & armaria aliis etiam rebus quæ ſupellectili adnumerantur, tenendis paratæ eſſe poſſunt. Inde concluderetur, capſas, quæ cotinebant incluſas res ad ſupellectilem pertinentes, ſupellectilis eſſe. Si ſerviant aliis rebus quæ non ſint in ſupellectili, ut libris aut veſtibus, non cedere ſupellectilis legato. Sed hoc eodem argumento, Delphica quę argento ſuſtinendo comparata erit, non adſcribenda fuerit ſupellectili, quia *argentum* non eſt ſupellectilis. Eas autem Delphicas quæ fictilia aut alia vaſa portabant vulgaria, ſupellectili accenſeri. Plinius inter pretioſam ſupellectilem recenſet abacos & monopodia, lib. XXXIX. de militibus Manlii ex Aſia & GalloGræcia redeuntibus ad triumphum: *Ii primum plagulas & alia textilia, & quæ tum magnificæ ſupellectilis babebantur monopodia & abacos Romam advexerunt.* Monopodia ſunt μονόποδες τράπεζαι, Abaci τρίποδες, quales erant delphicæ menſæ. Vtrumque genus poculis ſuſtinendis accommodatum, ut ex Polluce notabamus. Mendum eſt in definitio-

finitione ſupellectilis quã Celſus ex Tuberone attulit leg. VII. quod non animadverſum miror viris doctis, *Inſtrumentum eſſe quoddam patrisfamilias rerum ad quotidianum uſum paratarum, quod in aliam ſpeciem non caderet, ut verbi gratia penum argenteum, veſtem, ornamentum, inſtrumenta agri aut domus*. Hæc verba, *aut domus*, adſuta fuiſſe ab aliquo imperito apparet, quicum ſciret inſtrumentumquoque aliquod domus eſſe, id addendum neceſſario putavit. Quæ mera eſt inſcitia. Nam inſtrumentum domus & ſupellex idem. Recte quippe definitur ſupellex, *inſtrumentum domus*, Et ſic plane definiit Pomponius leg. I. D. de ſupellectile legata, *ſupellex eſt domeſticum patrisfamilias inſtrumentum*. An *domeſticum inſtrumentum* aliud eſt quam *inſtrumentum domus*? Interpretes Baſilicorum, *ſupellectilem* Græce tranſtulerunt οἰκοσκευὴν, id eſt, *inſtrumentum domus*. Et Græci etiam antiqui Atticique ſupellectilem ſive vaſa ſupellectili attributa, vocarunt τὰ κατ' οἰκίαν σκεύη. Sic enim appellanda potius cenſet, aut ἔπιπλα, Phrynichus, quam vocem quæ tunc vulgo in uſu vigebat, ἐνδομενίαν. Pollux lib. X. cap. I. τὴν κατ' οἶκον σκευὴν appellat, id eſt, inſtrumentum domus vel domeſticum.

Etiam

Etiam *οἰκετήςια σκεύη* dici poſſe Atticè autumat, id eſt, *domeſtica vaſa*. Domo igitur cum inſtrumento legata, non plus debetur quam ſupellex cum ipſa domo, quia ſupellex domus inſtrumentum. At domo inſtructa legata, non ſupellex tantũ debetur, ſed alia omnia quibus inſtructa & munita domus eſt, ut libri etiam, arma, tegulæ, ſpecularia, vela & alia. Si legetur domus cum omni iure ſuo ſicut inſtructa eſt, urbana quoque familia legata intelligetur, artifices veſtiarii, zætarii, & alii qui in domo ſerviunt. Cum ſupellex autem vitrea eſſe dicatur, ærea, lignea & fictilis, leg. VII. de ſupellectile, omnia vaſa ærea, lignea, vitrea, fictilia, quæ in domo ſunt, ſupellectili adiudicabuntur. Sane vaſa ærea vulgaria, id eſt, quę non ſint proprio loco attributa, ſupellectilis eſſe ait Paulus leg. III. Quæ proprio loco erant attributa, inſtructæ domus legato cedebant, non ſupellectili. *Aeramenta* ea vocat idem Paulus lib. XIII. Sententiarum, Græce *χαλκώματα*. Sed & omnia vaſa ærea ita poſſunt appellari. Apud vetuſtum auctorem anonymum ſupellectilis cenſus anguſtior deſcribitur quam à Iuriſconſultis definitur. Nulla enim vaſa ærea aut lignea

aut fictilia ſupellectili tribuit, ſed ſeparatis capitibus de illis tractat, de æreis ac ligneis vaſis, ut & de æreis & argenteis. Sub titulo autem ſupellectiis Græcis & Latinis nominibus hæc recenſet, quæ nobis ex vetuſtiſſimo libro deprompta hic ſubiicere viſum eſt. Περὶ ἐνδομενίας, *de ſupellectile.* Κλίνη, *lectus.* Ἐνήλατον *ſponda.* Παράθεμα, *pluteum.* Φορεῖον, *lectica.* Δίφρος, *ſella.* Ὑποπόδιον, *ſcabellum.* Βάθρον *ſcamnum.* Γλωσσόκομον, *loculum.* Κάμπτρα, *capſa.* Τράπεζα, *menſa.* Ἄβαξ, *caliclare.* Πυργίσκος, *armarium.* Κιβωτός, *arca.* Ἱστὸς, *tela.* Ἱστόποδες, *pedes telæ.* Σκάφη, *alveum.* Ἀλετρίβανον, *piſtillum.* Τορύνη, *rudicula.* Ζωμαρυστρὶς, *trulla.* Μύλη, *mola.* Ὅλμος, *pila.* Κόσκινον, *cribrum.* Φανὸς, *lanterna.* Σπυρὶς, *ſporta.* Κάλαθος, *caniſtellum.* Ῥιπὶς, *flabellum.* Σάρος, *ſcopa.* Ψίαθος, *teges.* Ἄτρακτος, *fuſum.* Σφόνδυλος, *verticillum.* Κερκὶς, *radius.* Κτένιον, *pecten.* Ἀκόνη, *coticula.* Ἑστία, *focus.* Ἠλακάτη, *colus.* Χώνη, *infundibulum, traiectorium.* Χαράδρα, *cancellum.* In hac ſupellectilis enumeratione nullum omnino vas reperitur, qualia ſupellectilis inſtrumento cedere Iuriſconſulti ſcripſerunt, ut vaſa aquaria, pelves, aquiminalia, candelabra, lucernas, murrina, cryſtallina & ærea vaſa vulgaria, quæ Paulus

ſupel-

ſupellectili tribuit. Itē vaſa eſcaria & potoria. Similis ſupellectilis ferme deſcriptio extat in excerptis editis, quæ plura quidē continet iſta quam iam dedimus, ſed non tam emēdate ſcripta eſt. Poſtquā ſupellex argentea facta eſt, omnia ferme argentea vaſa quæ olim propter ſpeciem & uſum in ſupellectili cenſebantur, eius inſtrumēto ſubtracta ſunt, opinione imperitorum. Idem videtur & de æreis, vitreis ligneis, fictilibus poſtea factū, & ſic ſupellex in arctū redacta. Hinc eſt quod ille vetus auctor nullum ferme vas quod κοῖλον liceat appellare, & capacitati alicui paratum ſit, ſub titulo ſupellectilis poſitū habeat, nullum certe potorium aut eſcarium. Paulus ita ſcripſit tit. 111. de ſupellectile legata: *Vaſa eſcaria & potoria in ſupellectili ſunt, ſicut fictilia. Nec tantum vulgaria, ſed quæ in magno pretio ſunt.* Hæc tranſpoſita putavit Advocatus, ordinemque eis quem iudicat rectum ita reſtituit: *Vaſa eſcaria & potoria in ſupellectili ſunt, nec ſolum vulgaria, ſicut fictilia, ſed etiam quæ in magno pretio ſunt.* Sed nihil neceſſe. Et alia mens fuit Pauli, quam non vidit Advocatus. Vaſa eſcaria & potoria in ſupellectili eſſe ait, ut fictilia. Quod ex opinione pervulgata refert. Nemi-

Nemini enim Iuriſconſultorum dubium fuit viſum, quin fictilia vaſa eſcaria & potoria in ſupellectili eſſent. Non enim in argenti appellationem cadunt, non in penus, non in veſtis, non in agri inſtrumentum. Ergo in ſupellectile ſunt, id eſt, in inſtrumento domus. Quod autē ſubiicit, ex propria opinione dixit, non ſecundum communem prudentium Iuris ſententiam: *Nec ſolum vulgaria, ſed etiam quæ in magno pretio ſunt.* Intelligit aurea & argentea vaſa eſcaria, quæ alii Iuriſconſulti ut ſupra vidimus *Argento* adſcribebant: Paulus vero omnino ſupellectili ea cenſuit adnumeranda. Materia quippe non facit diſcrimen in ſupellectile, ſed ſpecies. Si vulgaria vaſa eſcaria, ut fictilia, & vitrea & lignea, ſupellectilis ſunt, eadē ex auro & argēto ſi facta ſint, ſupellecti quoque vidētur vindicāda. Ex vulgari igitur opinione primo dixit, vaſa eſcaria & potoria ſupellectilis eſſe, exempli gratia, *fictilia.* Deinde adiicit ex propria & peculiari ſententia; nec tantum vulgaria, ut fictilia ſunt, ſed etiam quæ in magno pretio ſunt, ut aurea & argentea, ſupellectili cedere.

CAP. XXIV.

De caſibus fortuitis & inſolitis. Explicata & emendata lex LXXVIII. *D. de contrahenda emptione. An tempeſtates dividantur in ſolitas & inſolitas. Quid ſit litteralitas captioſa. Emendata lex* V. *de tranſactionibus. Lex* XXVIII. *D. de rebus auctoritate iudicis poſſidendis vindicata ab importunis correctionibus Advocati Pariſienſis. Eadem emendata.*

INtricata eſt ſententia legis LXXVIII. ✝. ult. D. de Contrahenda emptione. Vt enim concepta vulgo eſt, verba in ea ſunt menti auctoris contraria, quæque nulla ratione poſſunt ſubſiſtere. Ex ea Doctores conſequentias etiam duxerunt quæ cum veritate pugnant. Poſt aliam hæſitationem extricare inde ſe voluit alia via Advocatus, non inſolita ſibi, nempe per Criticam illam ſuam quamvis tam infeliciter tam ſæpe tentatam. Nec hic proſperius illi ea ſucceſſit. Verba legis ſunt; *Frumenta quæ in herbis erant, cum vendidiſſes, dixiſti, te, ſi quid vi aut tempeſtate factum eſſet, præſtaturum. Ea frumenta nives corruperunt. Si immoderatæ fuerunt, & contra conſuetudinem tempeſtatis, agi tecum ex empto poterit.*

terit. De caſibus fortuitis & inſolitis hic quærunt Doctores; quos & male explicant. Ex Bartolo per caſum fortuitum colligi notant, *opinatum, non ex conſuetudine evenientem.* Immo caſus fortuitus, nec ex conſuetudine eveniens, inopinatus eſt, non opinatus. Præter opinionem quippe accidunt caſus fortuiti & inſoliti, iidemque ſunt inopinati. Qui ſolito more veniunt, præter expectatum & opinionem non cadunt. Certis anni temporibus tempeſtates quædam ſunt quæ crebrius ingruunt quam aliis. Non propterea tamẽ ſolitæ & ordinariæ dici queunt. Nam & inopinanter opprimunt. Vtpote grando quæ æſtate potius quam hieme cadit, & vites contnndit, non ideo inter caſus & tempeſtates ſollemnes numerabitur, ut nec nivium magnitudo, quamlibet hibernum tempus earum ſit. Non enim omnibus æſtatibus grandinat, nec per omnes hiemes terras nive conſpuit Iuppiter. Si cadunt aliquando modicæ, non ſemper immodeatę expetunt. Nec ex grandine ſemper calamitas anni ſpem intercipit. Male ergo faciunt qui colligunt ex hac lege, eum qui recipit caſus fortuitos non teneri niſi de communiter cõtingentibus. Quod tamẽ non eſt contra

verba

verba deciſionis, ut in lege hac verbis vulgatis concepta eſt. Nam in ea venditor vim & tempeſtatem ſe præſtaturum dixit; qui ſunt caſus fortuiti. Deinde in ipſa lege dicitur, ſi nivibus corrupta frumenta fuerint quæ acciderint contra cõſuetudinem tempeſtatis, ex empto teneri. Atqui tempeſtas inſolitus eſt caſus. Qui contra conſuetudinem tempeſtatis, id eſt rei inſolitæ, evenit, is caſus ſolitus dici debet. Ergo tenetur de communiter contingentibus qui caſum fortuitum in ſe ſuſcepit. Hanc abſurditatem & *ἀλογίαν* peperit vulgata huius legis ſcriptura. Rurſus alii colligunt ex hoc textu, promiſſorem caſus fortuiti in genere vel indefinite non præſtare caſus inſolitos. Atqui iam diximus, caſus fortuitos & inſolitos eoſdem eſſe. Qui igitur caſum fortuitum recipit, etiam inſolitum præſtat. Atque id etiam contra legis verba colligitur, quæ venditorem ex empto teneri dicit, ſi nives contra conſuetudinem tempeſtatis ſata corruperint. Inſolitum quidem eſt abſolute quod contra conſuetudinem accidit. Sed quod contra conſuetudinem tempeſtatis accidit, id vero ſolitum & ordinarium. Nam ipſa tempeſtas inſolita. Quod contra

tra inſolitum contingit, ſolitumeſt Accurſius autem cum aliis nonnullis ex hac lege adſtruit, *qui ſe obligat ad inſolita, non ideo teneri adſolita, & è contra ſi obligat ſe ad ſolitum, non ideo teneri ad inſolitum.* Quod certe veriſſimum eſt, ſed non poteſt ex verbis huius legis adſtrui,ut vulgata ſunt. Et certum eſt eum qui recipit in ſe caſus fortuitos, videri recipere inopinatos, non autem ex conſuetudine contingentes. Caſus quippe inopinati & fortuiti iidem. Omne enim fortuitum inopinatum eſt, & contra. Nugantur igitur qui cenſent, renuntiationem caſuum fortuitorum non complecti caſum inſolitum, cum fortuitum ut dixi & inſolitum idem omnino ſit. Fortuiti caſus ſunt qui præviderí ac caveri non poſſunt, quibus reſiſti non poteſt, quæ inopinanter opprimunt. *Fatum* vocant Iuriſconſulti, *damnum fatale, caſus maiores, fortunam*, ut eſt latronis & hoſtium incurſus, ruina, naufragium, incendium, chaſma vel labes, vis aquarum, ventorum, ac nivium magnitudo inſolita, grando, & ſimilia. His poſitis nunc videndum quomodo lex ſupraſcripta exponi poſſit, aut emendari. Non enim ullam ſanam interpretationem recipere poteſt, quemadmodum in li-

in libris vulgata eſt. Frumenta quæ in herbis erant, aliquis vendidit. Promiſit ſi quid vi aut tempeſtate factum eſſet, ſe præſtaturum. Nives frumenta ea corruperunt. Quid Iuris? Aut quid ille præſtabit? Diſtinguendum ait Iuriſconſultus, & videndum, an nives illæ immoderatæ fuerint. *Si immoderatæ*, inquit, *fuerunt, & contra conſuetudinem tempeſtatis, agi tecum ex empto poterit*, qui dixiſti te præſtaturum, ſi quid vi aut tempeſtate factum eſſet. Sed quomodo hoc reſponſum cum ſpecie ac themate pacti in venditione interpoſiti conſtare poteſt ac congruere? Promiſit ſe præſtaturum ſi quid tempeſtas nocuiſſet illis frumentis. Corrupta ea ſunt nivibus. Si contra tempeſtatis conſuetudinem fuere illæ nives, ut in lege dicitur, nihil debet præſtare venditor, qui ſi quid tempeſtate factum eſſet damni, præſtaturũ ſe promiſit. Hoc enim non eſt tempeſtas, quod contra tempeſtatis conſuetudinem contigit. At rurſus ſi immoderatę nives fuerunt, tempeſtatis oportet fuiſſe affines. De moderatis enim, non de immoderatis hoc dici convenit contra conſuetudinem tempeſtatis eas eſſe. An ergo legendum? *ſi moderatæ fuerunt, & contra conſuetudinem tempeſtatis.*

Sed cum hac lectione addenda eſſet negatio in ſequentibus, *agi tecum ex empto non poterit*. Et certe nullum eſt dubium quin optima ſententia ac veriſſima ex hac ſcriptura oriatur. Qui recepit in ſe, quodcunque damnum ex tempeſtate factum eſſet, venditis in herba frumentis, ſi quid corruptum ſit ſolitis accidentibus, & præter tempeſtatis morem, non debet ex empto teneri venditor. Sed huic emendationi obſtat obſervatio naturalis, qua certum eſt nives moderatas non nocere frugibus, immo potius ſata ab his per hiemem conſervari, & fæcundiſſimum eſſe annum quo diutius nives in terra durarunt. Quod agricolæ pro certo adfirmant, & ratio etiam naturalis id confirmat. Contrarium eſt de immodicis. Cum ſubito regelantur, illuviem in agris & uliginem redundantem relinquunt, quæ ſata corrumpit. Si gelu poſtea ſuperveniat, ut ſæpe fit, maxima inde noxa & pernicies frugibus importatur. Advocatus noſter levicula emendatione putavit ſe reſtituiſſe germanam legis ſententiam. Sed ſi non melior eſſet Advocatus quam criticus, væ clientibus qui ſuas cauſas ei committerent ſuſcipiendas. Pro *ſi*, legit *etſi*, hoc mo-

modo: *Etſi immoderatæ fuerunt, & contra conſuetudinem tempeſtatis, agi tecum ex empto poterit.* Sed quod maxime diſconvenit in legis verbis, hac correctione, ſive corruptione potius, non ſuſtulit. Quomodo enim fieri poteſt, ut immoderatæ nives ſint contra conſuetudinem tempeſtatis? Plurimũ de tempeſtate quippe retinet quod in ventis; quod in nivibus, quod in aquis immoderatum eſt. Deinde quale iſtud foret Labeonis reſponſum; & qua ratione ſubnixum? Promiſit venditor ſe præſtaturum quod vi tempeſtatis corruptum eſſet. Nives frumenta corruperunt. Reſpondet Labeo, *etſi immoderatæ fuerint & contra tempeſtatis conſuetudinem, teneri ex empto.* Atqui debet teneri duntaxat ex conventione, ſi immoderatæ fuerint, & ex conſuetudine tempeſtatis. Nihil enim ſe præſtaturum promiſit, niſi vim & tempeſtatem. Quod contra tempeſtatis morem accidit, non eum poteſt obligare. Poſtremo, ut dixi, non poſſunt in eodẽ ſubſiſtere hæc duo, quod immoderatum eſt, & quod à tempeſtatis conſuetudine alienum. Nam omnis tempeſtas immoderata. Si nives immoderatæ contra conſuetudinem tempeſtatis accidere videntur, quid dicetur de mode-

ratis? Sed videamus quomodo reſponſum Labeonis ita à ſe emendatum explicet Advocatus. Reſpondet, inquit, *Labeo, cautione illa generali omnes tempeſtatis ſpecies, quæcumque tandem accidere poſſint, ſive ſolitas ſive inſolitas, comprehendi.* Ergo ex tempeſtatibus aliæ ſolitæ ſunt, aliæ inſolitæ. Debebat nobis ſingillatim exponere quænam tempeſtatum ſolitæ ſint, & quæ inſolitæ. Addit: *Et idcirco etſi immoderatæ fuerint, & contra conſuetudinē tempeſtatis, damnum tamen à venditore præſtandū qui vim ac tempeſtatē in ſe recepit.* Neſcio an his intelligat dividi genera nivium, quæ immoderatæ fuerunt, & quæ contra conſuetudinem tempeſtatis, ut per has velit intelligi ſolitas tempeſtates, per *immoderatas* autem inſolitas. Sed videtur potius velle hæc coniungi. Nam dicit, damnum tamen à venditore præſtandum. Præterea ſi dividenda illa cenſeret, videretur potius eo ſenſu ſcribere debuiſſe Labeo, *ſive illæ immoderatæ fuerunt, ſive contra conſuetudinem tempeſtatis, agi tecum ex empto poterit.* Sed maxime inſcitum & ineptum, quod vult Advocatus, eum qui promiſerit præſtaturum ſe damnū quod ex vi ac tempeſtate inciderit, teneri de ea noxa quam nives contra tempeſtatis conſue-

ſuetudinem effuſæ fecerint. Non iſtæ poſſunt eſſe niſi modicæ. Qui tempeſtatem in ſe recepit, nec quod tempeſtas nõ fecit, nec id quod contra morem tempeſtatis accidit; tenetur præſtare. Nullum certe monſtroſius monſtrum ex corrupta & male intellecta lege potuerunt cæteri interpretes parere quã hoc ab iſto novo correctore & expoſitore proditũ eſt. Qui vim, inquit, ac tempeſtatem præſtaturum ſe dixit, vim omnem & tempeſtatẽ præſtare debet, ſive ſolitam, ſive inſolitam & immoderatam. Nihil in contractæ emptionis conventione dictum fuit de differentia ſolitæ & inſolitæ tempeſtatis, immoderatæ & moderatæ, quod diſcrimen omnino ignoratum fuiſſe liquet antiquis Iuriſconſultis, ut nunc etiam ignotum eſt. Omnis tẽpeſtas, quæ in hoc nomen cadit, & inſolita eſt, atq; immodica, & fortuitis omnimodo caſibus accenſetur. Si quid in eo genere moderatũ & modicũ, & ſolitũ, & via vulgari ordinariaq; contingens, *tẽpeſtatis* nomine non appellatur. Modici venti, & ſoliti non ſunt tempeſtuoſi. Moderatæ nives nihil de tempeſtate habent. Atque ita de reliquis. Conventio igitur hæc fuit venditionis frumentorum quæ adhuc in herbis erant. Promiſit venditor

 ſe

ſe præſtaturum ſi quid damni tempeſtate factum eſſet. Nives frumenta ea corruperunt. Quæſtio eſt, utrum teneatur de damno actione empti venditor. Hoc pendet ex nivium qualitate, ut Labeo reſpondit. Si immoderatæ quippe fuerint, & cum tempeſtate coniunctæ, ex empto actio eſt contra venditorem. Ergo ſequitur, ex moderatis & à natura tempeſtatis alienis nō dari. Hanc ſententiam Labeonis reſponſo reddimus, unius litterulæ mutatione. Scribendum enim: *Si nives immoderatæ fuerunt, & contra conſuetudinem tempeſtates, agi tecum ex empto poterit.* Si nives immoderatæ fuerint, & tempeſtates contra conſuetudinem, id eſt, præter ſolitum, & ultra modum, actione tenetur ex empto. Plerumque cum nivibus tempeſtas, & vehemens ventus ita eas difflat, ut ingentes cumulos locis quibuſdam coacervet, alios everrat & nudos relinquat. Quibus autem locis, vi venti exaggeratæ illæ nivium moles inſederint ſi ſegetes ſint, per regelationem ſubitam humor inundans, & diu inhærens, ſata rubigine inficit ac corrumpit. Immoderatæ itaque nives cum tempeſtate inſolita coniunctæ ſi frumenta corruperint, actio datur adverſus venditorē, qui

qui dixit, ſe præſtaturum ſi quid vi ac tempeſtate damni factum eſſet. At nives moderatæ, non vitiant ſegetes, ſed potius conſervant. Præterea tametſi ex modicis ac ſolitis nivibus, atque non tempeſtatis affinibus, aliquid damni inlatum eſſet frumentis, non id præſtaret venditor, qui de tempeſtate & vi extraordinaria tantum repromiſit, ſi quid nocitum foret, ſe præſtaturum. Tempeſtates quidem aliæ aliis ſunt vehementiores, in eodem genere, ut ventorum, aquarum, & nivium. Sed cum hæc genera præter ſolitum ſæviunt, tempeſtas eſt, ſive minor alias fiat, ſive maior. Eodem capite aliam legem obiter emendat, ut putat Advocatus, ut ego cenſeo alio modo corrumpit, quæ numero quinta eſt D. de tranſactionibus, & ſic habet in editis: *Cum Aquiliana ſtipulatio interponitur quæ ex conſenſu redditur, lites de quibus non eſt cogitatum in ſuo ſtatu retinentur. Liberalitatem enim captioſam interpretatio prudentium fregit*. Quæ ſit hæc *liberalitas captioſa*, quæſitum interpretibus ac gloſſatoribus Iuris. Aliis aliud afferentibus, nemine quod verum eſt aſſequuto, noviſſime Advocatus fœcundum εὐστοχίᾳ pectus concuſſit, ut hanc nobis lectionem ex-

promeret quam veram eſſe non dubitat, *liberationem captioſam*: Et pro *fregit* quod non ſatis accommodatum arbitratur, *fugit*. Sic ergo locum conſtituit, *liberationem enim captioſam interpretatio prudentium fugit*. Quod quid ſit, ego certe neſcio, ſed ſcio rectam rationem, & ἀϛοχίαν eum fugiſſe qui hanc peperit lectionem. Quid eſt *liberationem fugere*? Deinde quod captioſum eſt, non liberat. Neminem quippe liberari debere captione, viſum eſt Iuriſconſultis, & hæc lex dicit. Vnius litterulæ mutatione veram, niſi ipſe quoque fallor ſcripturam eruo: *Litteralitatem enim captioſam interpretatio prudentium fregit*. *Ad litteram* accipi & interpretari, optimi etiam Latinitatis auctores dixere, quod ex vi verborum potius emanat quam ex ipſo ſenſu. Quod Græci πρὸς λέξιν. Inde & citari *ad litteram* ea dicuntur in quibus allegandis ipſiſſima auctoris verba afferuntur. *Littera* enim Latinis non ſolum pro ϛοιχείῳ & elemento ponitur, ſed etiam pro ſcripto, atque etiam cautione chirographaria. Ovidius:

Quod tibi ſi non eſſe domi cauſabere nummos,
Littera mittetur: nec didiciſſe iuvat.

Lit-

Littera etiam apud eumdem pro epiſtola. *Litteræ* pro inſtrumentis, & ſyngraphis. Unde obligatio quæ litteris contrahitur. *Litteralis* igitur *captio*, quæ captatur ex ipſis verbis litterarum, dum nimis ea urget, & ad litteram omnia accipienda contendit. Inde & *litteralitas captioſa*, quam prudentium interpretatio averſatur, qui mentem potius ac voluntatem contrahentium ſpectandam cenſent, quam litteram ipſam, & λέξιν captioſe ſumptam. Si vera non eſt hæc coniectura, multo minus quam Advocatus prodidit. Adtexemus & huic capiti, quo pinguius fiat, aliam eius correctionem, ſive hariolationem potius, ex cap. XXV. Obſervationum. Ea hariolatione graſſatus eſt in legem XXVIII. D. de rebus auctoritate iudicis poſſidendis. Iavolenus in ea lege tractat hoc thema. Paterfamilias filio, ſi intra pubertatem deceſſiſſet, ſubſtituit heredem. Filius paterna hæreditate abſtinuit. Bona patris venierunt. Poſtea filio hæreditas alia obvenit: ea adita deceſſit. Quamvis filio hæreditas obvenerit, prætor tamen creditoribus patris adverſum eum actionem non dabat. Quærit ibi Iavolenus, *an in ſubſtitutum creditoribus*

patris danda ſit actio, cum ex bonis paternis, quæ ſcilicet ad creditores miſſos ad bona pertinent, nihil adquirat. Advocatus hæc verba, *quæ ſcilicet ad creditores miſſos ad bona pertinent,* non eſſe Iavoleni adfirmat, ſed inepti cuiuſdam gloſſatoris qui textum explicare voluerit. Nihil adquiri, inquit, ſubſtituto ex bonis paternis, dicebat Iavolenus: Notaverat aliquis, *quæ ſcilicet ad creditores miſſos ad bona pertinent.* Atqui falſum hoc eſt. Neque enim creditores in bonorum poſſeſſionem miſſi erant, ſed patris bona vænierant, quod expreſſis verbis dixerat Iavolenus. Magis igitur appoſite notaſſet Gloſſator, *quæ ſcilicet vænierunt.* Hæc omnia ineptiſſima, & hariolatoria. Bona patris vænierunt. Quibus auctoribus væniſſe ea dicemus? Aut quorum in gratiam væniſſe, aut quibus? An non creditoribus? Ne bona quidem illa ſuffecere ſolvendo quod debebatur. Nam quæſitum eſt, an in ſubſtitutum creditoribus paternis danda eſſet actio quamvis nihil ex bonis patris acquiſierit, quæ ſcilicet, inquit Iavolenus, ad creditores miſſos ad bona pertinent. Quis vero dubitet, quin creditores in poſſeſſionem bonorum defuncti miſſi fuerint à prætore rei ſervandæ gratia.
cum

cum pupillus paterna hæreditate ſic abſtinuiſſet? Certe & vænierunt per creditores ad bona miſſos, ut ſuum ſinguli recuperarent. Ideo ad ſubſtitutū nihil ex illius bonis perveniſſe dicit Iavolenus, cuius hæreditatem neç ſolvendo fuiſſe, vel inde conſtat, quod quæſitum eſt, an in ſubſtitutum danda eſſet actio creditoribus paternis quibus ad aſſem res ſoluta non fuerat. Tametſi autem ante bonorum venditionem non miſſi eſſent in | eorûm poſſeſſionem creditores, venditione facta, & inter creditores diviſa quæ inde redacta eſſet pecunia, nonne dici poſſet, bona paterna ad creditores pertinere qui ea inter ſe diviſerunt? Atque ita plane hoc loco intelligenda hæc verba, *cum ex bonis paternis, quæ ſcilicet ad creditores ad bona miſſos pertinent, nihil adquirat.* Si bona vænierunt, ex eorum venditione ſatisfactum eſt creditoribus. Et ſic ea bona univerſa creditorum facta ſunt. In his quæ ſequuntur aliud etiam gloſſamentum ſe reperiſſe putavit, ſed falſa æque perſuaſione, & hariolatione ut in priore. *Reſpondit, quod prætor filio qui à paterna hæreditate ſe abſtinet præſtat, ne bonis patris eius venditis, in eum actio detur, tametſi ei poſtea hæreditas obvenit,*

venit, *creditoribus paternis*, *idem in ſubſtituto filio ſervandum non eſt*. Hæc verba, *tametſi poſtea hæreditas obvenit*, *creditoribus non reddat*, eſſe à mala & inepta interpretatione dicit. Sed qualis eſſet hæc interpretatio aut quorum legis verborum, non video. Mendum tamen illis ineſſe, certum eſt, quod ſic tollendum: *ne bonis paternis venditis*, *in eum actio detur*, *quamvis ei poſtea hæreditas obvenit*, *creditoribus paternis*, *idem in ſubſtituto ſervandum non eſt*. Id eſt, ne bonis patris venditis actio in eum detur creditoribus paternis, tametſi hæreditas ei obvenerit. In eadem lege verba hæc ſunt quæ Antonius Faber ab imperito interprete addita putavit: *At cum ſubſtitutus filio hæreditatem adiit poſtquam pupillus ſe paternæ miſcuerit hæreditati*. Hæc falſa ſunt, *poſtquam ſe paternæ miſcuerit hæreditati*. nam ex legis themate liquet, pupillum ſe abſtinuiſſe ab hæreditate paterna. Ideo Faber ea expungenda cenſebat. Sed addita negatione locum ita perpurgandum exiſtimo, non exſtirpandum, *poſtquam pupillus ſe paternæ non miſcuerit hæreditati*, id eſt, paterna hæreditate ſe abſtinuerit. Apparet, Advocatum propter illas duas hariolationes tractatum illius capitis XXV. ſatis longi inſtituiſſe, cum in

in ipſa materia ac legis ſpecie exponenda, non multum eſſet difficultatis. Sed inſerendæ illæ fuere divinationes, & locus idoneus ipſis quæſitus in quo conſpicuæ paterent.

CAP. XXV.

Ἐμπολὴν lucrum ex mercibus collectum ſignificare, non vilium rerum vile pretium. Capturam Latinis eiuſdem eſſe ſignificationis. Turpem potius quæſtum ea voce denotari quam exiguum, & vilem. Sic Græcos μισθὸν, & μίσθωμα diſtinguere. An meretrici quod datum eſt repeti, quod promiſſum ab ea in iudicio peti poſſit. Lex IV. D. de conductione ob turpem cauſam, explicata. Lex XIV. D. de religioſis, & ſumptibus funerum, emendata. Quomodo humanitas à miſericordia differat. Quid ſit, humanitatis negotium gerere. Iuſtinianus emendatus leg. ult. Cod. de teſtamentaria manumiſſione. Cæſar correctus.

OPORTET imperitum in Græcis eſſe, aut certe non valde illius litteraturæ peritum qui dicat, ἐμπολὰς Græce vocari vilium rerum aut vilium operarum vilia pretia. Immo ἐμπολὴ eſt quodcunque lucrum, vel compendium,

ex

ex mercium venditione qualiumcunque comparatum, vel quamlibet magnum. Cum enim ἐμπολαὶ, quælibet mercimonia appellentur Atticis & ἐμπολήματα, quod ex his lucrum colligitur, & capitur, aliis Græcis ἐμπολὴ vocatur. Mœris Atticiſta, ut iam ante notavimus, ἐμπολὴ τὸ φορτίον, Ἀττικοί. τὸ δὲ ἐκ τῶν φορτίων συνειλεγμένον, Ἕλληνες. Suidas, ἐμπολὴ, φορτίον, ἢ τὸ τῆς πραγματείας κέρδος. Vide quæ ſupra notamus. An quod etiam ἐμπολὰς captant meretrices ex merce quam venditant, ideo ἐμπολαὶ rerum tantum vilium vilia ſunt pretia? Ita ſane ſcribit Advocatus cap. XXIII. Obſervationum & emendationum. Vbi ſolens nugatur. Nec ab hariolatione ſollemni recedit, cum adiicit. *Atque hinc colligere potes, quare lex eorum quæ meretricibus data fuit, condictionem non det, quia ſcilicet quæ iis dantur, non ſint magni pretii.* Quaſi hanc rationem lex attulerit, cur quod meretrici datur, repeti non poſſit, quia nimirum non magni pretii ſit id quod meretricibus datur. Duplici ratione repeti & condici nō poterat quod meretrici datum erat. Prima, quod utriuſq; turpitudo verſaretur, dantis & accipientis. Vbi autem & dantis & accipientis turpitudo verſatur, non poterat

terat repeti quod datum eſſet, leg. III. D. de condictione ob turpem cauſam. Item leg. IV. π. I. D. eodem. Labeo autem & Marcellus etiam alia ratione repeti non poſſe ſcripſerunt quod meretrici datur, *illam enim turpiter facere quod ſit meretrix, non turpiter accipere cum ſit meretrix.* De vilitate pretii, & capturæ, quam pro uſu corporis meret, nihil dixerunt, nec hanc rationem fecerunt, cur condici non poſſet meretrici quod ei datum eſt mercedis loco ob uſuram corporis. Et ſane quamlibet magnum illud fuiſſet quod meretrici dediſſes, non repeteres iuxta iuriſprudentiam Romanorum, qui diſcrimen non poſuerunt inter grande & vile pretiũ quod meretrici datur. Ergo Advocatus repeti potuiſſe cenſet quod amatores Laidi meretrici dabant, grandem pecuniam demerenti, monetæ nimirum Romanæ denarium circiter decem millia. Neminem etiam latet, ævo priſco plurimas fuiſſe tam in Græcia quam in Latio huiuſmodi meretrices ἁδρομίδας, quæ immanes ſummas pro mercede concubitus poſcebant. Quarum certe repetitio ceſſabat, prout ius erat Romanum, ſed & Græcum. Cum præterea certum ſit ex Vlpiani definitione, leg. V. D.

D. de donationibus affectionis gratia, neque honeſtas neque inhoneſtas donationes Iure Romano eſſe prohibitas, ubi inhoneſtas interpretatur circa meretrices, ſi talium donationum repetitio non erat, multo minus pretii dabatur condictio meretrici dati, quantumlibet illud fuiſſet. Non igitur ſtare poteſt quod adfirmat doctiſſimus Advocatus, & Iuriſconſultus, *legem ideo eorum quæ meretricibus data ſunt, condictionem non dare, quia ſcilicet quæ iis dantur, non ſunt magni pretii*. An, quia ſcribit Artemidorus loco quem citavit Advocatus, meretrices ἐπ' ἐργαστηρίων καθεζομένας, καὶ πεπερασμένους τι, καὶ δεχομένας ἐμπολὰς, exiguam tantum mercedem omnes meretrices capiebant? Quaſi vero ἐμπολαὶ viles tantum mercedulas ſignificent, & non etiam nimium quantum ea voce pretium deſignetur! Ne apud Latinos quidem *captura* pro exigua tantum mercedula capitur. Cum enim ſit idem quod Græcum ἐμπολὴ, ut & Gloſſarum auctor veterum interpretatur, etiam de uberiore compendio accipitur. Certe non ratione tenuitatis ſed turpitudinis, diſcernitur hæc vox ab impenſiore mercede ac pretio. Certum eſt autem ob turpes cauſas interdum uberiorē & amplio-

pliorem dari quæſtum lucrumque quam ob honeſtas. Suetonius in vita Caligulæ, *ex gerulorum quæſtibus pars octava, ex capturis proſtitutarum quantum unaquæque uno concubitu mereret.* Cum hæc vectigalia inſtituit illud principis monſtrũ, apparet, capturas meretricum credidiſſe paulo maiores quam quæſtus diurnos gerulorum, dum octavam partem diurni quæſtus ab illis exigit, ab iſtis quantum uno concubitu mererent. In diobolaribus quidem proſtibulis hæc non adeo exuberabat captura, ſed in deviis ſcortis, ut vocat poeta, impendio magna erat. Lais una nocte, & fortaſſe uno concubitu, talentum Corinthiacum merebat, id eſt, decem millia drachmarum Atticarum. Hæc etiam illi captura fuit atque ἐμπολή. Hæc enim à mercede, ut dixi, non diſtinguitur per τὸ ἧττον ac τὸ πλεῖον, ſed ratione turpitudinis. Ita Græci μισθὸν & μίσθωμα differre dicunt, ut capturæ à quæſtu vel mercede Latinis diſtant. Ammonius de differentiis vocum, μισθὸς μισθώματος διαφέρει. Μισθὸς μὲν ἐστιν ὁ δίκαιος, μίσθωμα δὲ τὸ ἐπονείδιστον. Μισθὸς eſt merces quæ pro re iuſta & honeſta accipitur, μίσθωμα *captura* ſive pretium ob turpem rem & flagitioſam. Ad repetitionem igitur quod attinet, ſive condi-

condictionem ob turpem cauſam, conſtat ex iure Romano in his quæ meretricium facerent ceſſaſſe repetitionem eius quod iis datum fuerat. Sed quæſierunt doctores, quod promiſſum tantum eſſet, non ſolutum meretrici ob concubitum, an ea petere id poſſet. Non poſſe, Gloſſæ auctor ſentit. Huic adſtipulatur Advocatus. Ego in alia ſum ſententia, iiſque potius aſſentior qui mercedem ſibi promiſſam meretricem petere poſſe aiunt. Iure ac more Romanorum antiquo nihil eſt certius. Nam moribus noſtris & ex diſciplina Chriſtiana aliud dicendum. Niſi ſi princeps Chriſtianus non ſolum lupanaria permittat, ſed etiam vectigal ex capturis meretricum ac lenorum inſtituat, ut factum non ſolum à Caligula, ſed etiam à Chriſtianis imperatoribus uſque ad Anaſtaſiũ, qui χρυσάργυρον ſuſtulit. Illud chryſargyrum vectigal, etiam meretricibus impoſitum fuit, quæ publico tenebantur ob quæſtum corporis quem faciebant publicum. De quo Euagrius lib. III. Hiſt. Eccleſiaſticæ cap. XXXIX. Ἐπέκειτο δὲ ἑτέροις πολλοῖς ὡς ἐξ ἐράνου τὴν τροφὴν πορίζουσι καὶ ταῖς ἀπημπολώσαις τὴν ὥραν τοῦ σώματος, καὶ χύδην πορνείᾳ ἐπὶ τοῖς κεκρυμμένοις καὶ λανθάνουσι

ρουσι τῆς πόλεως τόποις ἐπὶ χαμαιτυπίοις ἐκδεδομέναις. Hodie quoque Romæ cum ſummus Pontifex meretrices toleret, & *πορνικὸν τέλος* ex eorum capturis percipiat, non aliud in hac quæſtione pronuntiandum quam quod Iuriſconſulti Romani olim reſpondiſſent conſulti ſuper hoc an meretrici promiſſam mercedem petere liceret. Cui enim dubium quin illis moribus actionem habuerit meretrix ad exigendum quod ſibi pepigiſſet vulgati corporis pretium? Cui corpore merere licuit, an non licuiſſet mercedem ob huc pactam & promiſſam repoſcere? Qui minus quam exigere mercedem ob rem aliam quamlibet aut operam locatam? Lupanaria publica extabant, proſtabant in his utriuſque ſexus meritoria ſcorta, per varias cellas diſtributa. Titulum unaquæque meretrix cellæ ſuæ inſcribebat quæ nomen indicaret, fortaſſe & pretium concubitus. Luce palam cuilibet in fornicē deſcendere licuit ut libuit, & meritorias illas lupas agitare, pretio quod illę merci ſuæ poſuiſſent, vel quod lenones ipſarum domini, ſi quæ in lenonum erant poteſtate, taxaſſent. Si quod ex eorum quæſtibus vectigal caperet reſpublica, ut ſæpe factum tam Ro-

mæ quam in Græcia, tanto magis exigendi & petendi ius iis fuit, quod pro concubitu pactæ eſſent. Unde enim vectigal publico ſolverent ſi ipſæ facultatem petendi non haberent, quod ſibi foret promiſſum? *Meretrix*, inquit Advocatus, *non inboneſte accipit, petere tamen non poteſt.* Cur non poteſt, ſi hunc quæſtum publice facere illi permiſſum, & pro eo etiam partem ex capturis publico pendere tenetur? *Sane quædam*, inquit, *etſi boneſte accipiuntur, inboneſte tamen petuntur.* leg. 1. π. proinde. D. de extraordinariis cognitionibus. Sed nihil ea lex facit ad id quod hic in quæſtione eſt, utrum meretrix mercedem honeſte petere poſſit quam non inhoneſte accipit. Ibi agitur de profeſſoribus & iis perſonis quæ hoc privilegii habebant ut iis ius extra ordinem à præſidibus pronunciatum diceretur, mercedem ob operam petentibus. In eorum numero erant liberalium artium profeſſores, Rhetores, Geometræ, Grammatici; & quicunque mercede docebant aut mercede qualemcunque operam locabant. In his continebantur & medici & obſtetrices, ludi litterarii magiſtri, librarii, calculatores, notarii. Advocatis quoque honorarium peten-

petentibus ſimiliter ius reddebat extra ordinem provinciæ præſes. Comites quoque legati Cæſaris & ſalarium petentes apud præſides audiebantur. Item nutrices pro nutriciis, ſive nutricationis ſalariis, ob alimoniam infantium, apud præſides quod ſibi debebatur petebant. Sed quæritur in eadem leg π. IV, an & philoſophi profeſſores in eo numero ſint, Id eſt, an eodem privilegio fruantur quo profeſſores, ut de mercede agentibus à præſide reddi debeat? Reſpondet Iuriſconſultus, ſe non putare. *Non quia non religioſa res ſit, ſed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam ſpernere.* De mercede igitur ius illis dicere extra ordinem non debet præſes, quia nummos poſcere ipſis turpe eſt, & mercenariam operam habere. Multo minus apud iudicem pro ea honeſtum illis eſt petere mercedem. Sequitur paragraphus *proinde*, quo de iuris civilis profeſſoribus idem dicitur, *eſſe quidem ſanctiſſimam iuris Civilis ſcientiam, ſed quæ pretio nummario non ſit æſtimanda nec dehoneſtanda, dum in iudicio honor petitur qui in ingreſſu ſacramenti offerri debuit.* Subiicit deinde Iuriſconſultus, *quædam enim tametſi honeſte accipiantur, inhoneſte tamen pe-*

tuntur. Vt doceat Advocatus meretrices non poſſe petere in iudicio quod ipſis promiſſum eſt, legis huius rationem adfert quam Iuriſconſultus allegat, ut oſtendat, à iuris profeſſoribus inhoneſte peti quod tamen honeſte poſſunt accipere. Videamus quæ ſimilitudo in re ipſa ſit, in perſonis, in profeſſione, in ratione. Sanctiſſimam iuris profeſſionem confert cum meretricio quæſtu, meretrices cum profeſſoribus iuris. Honeſte petere honorarium non poſſe iuris profeſſores ait Iuriſconſultus, meretricem petere non poſſe nemo dixit Iuriſconſultorum. Ratio cur inhoneſte petere videantur iuris profeſſores ea eſt, quod mercenaria non debet eſſe eorum profeſſio. Meretricum quæſtuariam eſſe profeſſionem, & quidem turpem, quantumlibet licitam, nemo negaverit. Ratio igitur non eadem eſt cur profeſſores Iuris petere in iudicio honeſte mercedem non poſſint, & cur meretrices petentes repelli debeant. Immo nulla eſt ratio cur iſtæ non petant mercedem pactam & promiſſam, cum corpore mereant, quæſtum corpore faciant, & mercenariam habeant profeſſionem. At nulla eſt ratio cur petant iuris profeſſores mercedem, quo-

quorum professio non est mercenaria. Meretrix, cui licet mercedem pro uſu corporis paciſci, poteſt eam petere quam pacta eſt, cum iuris profeſſori honeſtum non ſit paciſci mercedem pro opera. Nec honeſte ergo eã petere poteſt quã paciſci non poteſt. Dehoneſtat profeſſionẽ civilis ſapiẽtiæ profeſſor qui paciſcitur mercedẽ & petit. Meretrix vero cõvenienter quæſtui quẽ exercet facit dũ petit. Sãctiſſima eſt profeſſio iuris, turpiſſima eſt profeſſio meretricis. Illam nummario pretio non eſſe æſtimãdam dicit Iuriſconſultus, hanc viliſſimopleruмque etiam quę venditat, æſtimat. Cum dedecorare profeſſionem exiſtimetur mercedẽ petendo Iuris profeſſor, accipere tamen honeſte poſſe Iuriſconſultus ait, quod illi datur citra pactionẽ à volentibus. De meretrice vero non honeſte eam accipere Iuriſconſulti dixerunt, ſed tantum *non turpiter* accipere cum ſit meretrix. Turpe nimirũ non eſt meretrici mercedem accipere, cum ratio quæſtus quem profitetur id poſtulet. Ergo etiam poſtulat mercenaria earum profeſſio, ut petere poſſit quod non eſt datũ, ſed promiſſum. Quod de omnibus dici debet artium ſordidarum opificibus, ſed & honeſtarum

 quæcun-

quicunque mercedem pro opera vel arte poſſunt paciſci & exigere. Nec minus de meretricibus, ubicunque licebit eis publice meretricium quæſtũ profiteri, & vectigal etiam pendere coactę ſunt publico, ut olim more receptum fuit, non ſolũ ſub gentilibus, ſed etiam ſub Chriſtianis imperatoribus. Ex his colligi poteſt, quam recte attulerit Advocatus verba legis quæ de iuris profeſſoribus dicta ſunt ut ea accommodaret meretricibus, ac probaret, quemadmodum iuris profeſſores honeſte mercedem petere in iure non poſſunt, ita nec meretrices poſſe. Iungentur iam gryphes equis. Deinde ita paratragœdiat ut fortaſſean ſolet interdum cum in perorando os calefactat: *Ius non ideo eſt conditum, leges non ideo latæ, fora non ideo conſtituta, ut iſtiuſmodi locus ſit.* Immo & lenonibus & hiſtrionibus iudicium reddebatur, cum aliquid petebant, haud ſecus quam aliis honeſtioribus perſonis. Cur non ergo & meretricibus? Certe ius & pro illis conditum, leges & pro illis latæ, fora etiam pro illis conſtituta, agere etiam iure poterant, cum mercedem nimirum negatam ex pacto peterent in iudicio. Cur enim profeſſionem publice facere illis licuit, titulum

inſcri-

inſcribere, mercedem exigere, ſi petere eam apud iudicem non poterant, cum & ex capturis ſuis partem publico deberent præſtare vectigalis nomine? Dixerat Covarruvias, in pactione quæ cum meretrice intercedit, materiam vendibilem eſſe. Quod quomodo dixerit, ſe neſcire ait Advocatus. Immo ſcire id facile eſt. Qui equos locant, mulos, mulas & aſinos, qui carnem laniones in macello vendunt, non aliter vendibilem nec locabilem mercem vel operam exhibent quam meretrix, quæ uſum ſui corporis vendit, locat, proſtituit. *Sed eiuſmodi*, inquit Advocatus, *emptiones & venditiones ius civile non agnoſcit*. Immo agnoſcit, cũ magiſtratum ipſis proprium attribuit, qui de earum cauſis cognoſceret, apud quem profeſſionem ſuam deferrent. Is erat Ædilis. Apud eum etiam matronis quæ meretricium facere optabant, licuit id ipſum profiteri, ut conſtat ex Taciti 11. Annali his verbis, *Eodem anno gravibus ſenatus decretis libido fœminarum coercita, cautumque ne quæſtum corpore facerent, cui avus aut pater aut maritus eques Romanus fuiſſet. Nam Viſtilia prætoria familia genita, licẽtiam ſtupri apud Aediles vulgaverat more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus*

impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant. Ergo ante illud ſenatus decretum cuilibet fœminæ licentia fuit, etiam natalibus conſpicuæ, corpore quæſtum facere, dum meretricii profeſſionem apud ædilem deferret. Videnda quæ ad eum locum obſervarunt viri doctiſſimi. Non ſolum meretricibus ac lenonibus ius reddebant Ædiles, & hiſtrionibus, ſceniciſque ſed etiam laniis, tabernariis, aliiſque ſordidarum artium opificibus. Velleius Paterculus lib. II. de Sylla; *Primus ille & utinam ultimus exemplum proſcriptionis invenit, ut in qua civitate petulantis convicii iudicium hiſtrioni exoleto redditur, in ea iugulati civis Romani conſtitueretur auctoramentum.* Vt hiſtrionibus, ita & lenonibus, & meretricibus, iudicium reddebatur, non ſolum de iniuria ſibi illata querentibus, ſed etiam mercedem petentibus. Apud Ædilem igitur petebant, non apud prætorem nec præſidem. Horum, ut & principis, aliorumque maiorum magiſtratuum, propria cognitio fuit, quæ ideo diſtinguitur à Iure ordinario apud Suetonium in Claudio ubi dicit, rem eam non eſſe *cognitionis*, ſed *iuris ordinarii.* Apud minores igitur iudices & ordinarios, ut apud Ædiles, mercedē ſuam

petere

petere poterant lenones & meretrices. Honeſtarum artium profeſſores apud præſidem, cuius fuit extra ordinem cognitio, ut his mercedem petentibus ius diceret. Quæ tractantur eo Titulo de extraordinarii, cognitionibus, vir doctiſſimus in Sparſiono florum ad ius Iuſtinianeum maxime ad illa beneficiorum genera pertinere dicit, de quibus agit Seneca lib. VI. cap. XIV. & XV. quæ ſine conventione quidem præſtantur, ſed animo tamen vicis expectandæ, quæ cum ſæpe non redderetur, *reperta*, inquit, *ſunt hæ actiones, ſicut ingrati apud Macedones & pleroſque alios populos.* Ego vero de his beneficiis tractari non puto eo titulo Digeſtorum, nec id velle Senecam locis indicatis. Lex prima D. de extraordinariis cognitionibus, oſtendit, de mercedibus toto eo titulo agi, non de ullis beneficiis qualia commemorat vir impenſe doctus. De mercedibus igitur ius extra ordinē dicebat præſes certis perſonis quibus merces ſoluta non eſſet, vel ex pactione vel ex more. Mercedem docebant artium liberalium profeſſores. Si merces his decreto civitatis conſtituta erat, quod ut plurimum fiebat, petendæ ius habebant, ſi non redderetur, apud

apud præſidem. Non dubito & quibuſdam eorum quibus ius extra ordinem dicebat præſes, de pacto mercedem fuiſſe promiſſam, ab his qui operam eorum conduxerant. More etiam nonnullis conſtitutũ pretium dabaturt, ut nunc fit medicis. Quod ſolent vulgo in aliqua civitate accipere pro una ægri ἐπισκοπῇ, hoc ab omnibus quaſi ex compacto qui eos vocant ſolet etiam dari. Si negaretur, poſſet tantum petere in iudicio. Ubicunque mercedis nomen auditur, nullum eſt beneficii ibi intellectus, nec ea mens Senecæ locis allegatis. Mercenarius medicus, ut olim omnes fuere, & nunc ſunt, non pro ſanato ægro vel occiſo vicem beneficii expectat, ſed mercedem operæ & curæ expetit. Præceptor quoque qui non gratis docet, non par pari ſibi reponi deſiderat, aut pro beneficio gratiam referri, ſed δίδακτρον & pretium operæ flagitat. Obſtetrix quæ parienti adſiſtit, & quæ olim quoque medicinam mulieribus faciebat, non beneficii compenſationem, ſed pro ope atque opera mercedem poſtulat. Comites ſalarium, Advocati honorarium, in eo titulo Digeſtorum apud iudicem, non retributionem pro beneficio petunt, & peten-

petentibus ius reddit extra ordinem præſes. Ibi etiam de librariis, calculatoribus, notariis & aliis tractatur, quibus mercedem petentibus extra ordinẽ ius dicitur, non beneficii penſationẽ requirentibus. Nihil omnino eorum, de quibus agitur eo titulo, ſine conventione præſtatur, aut ſi non ex conventione, ex conſuetudine certe datur, vel etiam lege definitum & taxatum, ut in honorariis Advocatorum. Inde & *συνήθεια* Grecis pro ſalario quod ex more præſtari ſolet. Optimæ Gloſſæ, *Salarium, ὀψώνιον, παροχὴ, συνήθεια, ἁλατικόν. Conſuetudinem* etiam pro eodem quidam ex Latinis ſcriptoribus ævi ſequioris dixerunt, ut aliis iam notatum. Partim igitur pactione, partim more, partim lege, ſalaria & mercedes penduntur mercenariis profeſſionibus & artibus. Et plerumque pro regionis conditione ac more ut mercium ita & mercedum varia eſt penſitatio. Quas & Seneca eo ipſo loco eleganter dicit *ex conſuetudine & annona* æſtimari. Sic enim ſcribit ubi de huiuſmodi mercedibus medico & præceptori dari ſolitis agit: *Deinde etiam ſi pluris iſta ſunt, non tamen illic ullum tuum munus eſt ut non ex uſu effectuve, ſed ex conſuetudine & annona æſtimetur.* Alibi quippe

carius

carius vendunt ſuam operã medici, alibi vilius. Præceptorum quoque aliis in locis vilior eſt annona, in aliis gravior. Etiã in illis ipſis medicinę & libralium artium profeſſionibus, conventiones de mercede interdum intervenire conſueſſe tradit Seneca ibidem, *In optimis vero*, inquit, *artibus, quæ vitam aut conſervant aut excolunt, qui nihil ſe plus exiſtimat debere quam pepigit, ingratus eſt.* Medicinam intelligit & ſtudiorum liberalium profeſſionem. Philoſophus ille eo libro VI. de Beneficiis cap. XIV. & XV. diſputat de his quorum mercenarium beneficium eſt, id eſt, qui non commodant quod cuique utile eſſe poteſt aut neceſſarium, ſed pretio vendunt, aut mercede locant. Exemplum primo ponit de mercatore qui frumentum vendit. Vivere non poteſt qui emit niſi emerit, ſed non debet vitam mercatori unde emit. *Iſto modo*, inquit, *ne medico quidem quidquam debere te, niſi mercedulam, dico, nec præceptori, quia aliquid numeraris. Atqui eorum omnium apud nos magna eſt caritas, magna eſt reverentia.* Ex quo videtur concludi poſſe, ultra mercedem aliquid deberi medico & præceptori, quaſi præter operam pro qua mercedem accipiunt, beneficium

etiam

etiam dederint quod non repenſatur mercede. Adverſus hoc reſponderi ait, quædam pluris eſſe quam emuntur. Emi à medico rem inæſtimabilem, id eſt, vitam & bonam valetudinem: à præceptore bonarum artium doctrinam, & animi cultum, bonamque mentem. Non his igitur rei pretium, ſed operæ ſolvi, quod deſerviant ægris ſuis, quod pueris vacent. Sic mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ ferre. At iuriſconſulti non hæc dividunt, aut ſi dividenda ſunt, non ſpectant niſi mercedem, & beneficium illud maius, quod ex opera medici in ægrũ redundat, & ex præceptoris diligentia in puerum, non conſiderant. Iudex etiam de illa tantum mercede extra ordinem cognoſcit, & eam petentibus ex conventione vel ex conſuetudine ius reddit. Inde ille Titulus Digeſtorum de extraordinariis cognitionibus. Præterea non de ſolis medicis aut artium liberalium profeſſoribus, qui rem inæſtimabilem ſub mercede tradunt, ſed de aliis mercenariis artibus, à quibus ultra operam nullum beneficium acceptum poteſt dici, ut ſunt librarii, notarii, tabularii. His quoque extra ordinem mercedem ex conventione petentibus iudicium

dicium reddebat præſes. Non agitur itaque in hoc Titulo, ut viro doctiſſimo placuit, de his beneficiis, *quæ ſine conventione quidem præſtantur, ſed animo tamen vicis expectandæ*. Omnia illa beneficia de quibus eo loco Seneca tractat mercenaria ſunt, & non ſine conventione mercedis ſolvendæ præſtantur, ne illud quidem quod à medico datur, aut à præceptore ſtudiorum liberalium. Quod autem in his quidam diſtinguebant operam pro qua mercedem accipiebant, & meritum artis vel rem ipſam quam ex arte ſua conferebant, quæ pretio non erat æſtimanda, ut pote inæſtimabilis, id refellit ibidem Seneca. Cum enim illi dicerent, quædam pluris eſſe quam vænierunt, ut ſanitatem quam à medico emimus pretio, aut animi cultum quem ſimiliter nobis præceptor mercede vendit, ideoque aliquid extra pro illis qui ea accipit, quamvis empta ſint debere, philoſophus hoc ita refutat. Nihil intereſſe, quanti illa ſint cum de pretio inter ementem & vendentem convenerit. De eo quod vendit medicus & præceptor loquitur. Non igitur ſine conventione ea ab illis præſtantur, ut voluit vir doctiſſimns. *Deinde*, inquit Seneca, *non vaniit illud*

illud ſuo pretio ſed tuo. Tu medice ſtatuiſti hoc pretium arti atque operæ tuæ. Tuque præceptor vel litterarii ludi magiſter, mercedem ipſe taxaſti quam tibi ſolvi velles. Quid ergo refert pluris eſſe, quod das, quam à te eſt venditum? Pluris id vendere non potuiſti. Pretium cuiuſque rei pro tempore eſt. Quamvis magni æſtimetur ſanitas quam præſtat medicus, & eruditio quam confert præceptor, tanti ſunt tamen quanto pluris vænire non poſſunt. Præterea, inquit, nihil venditori debet qui bene emit. Id eſt, qui rem infra ſuam æſtimationem emit, & viliore pretio quam vere æſtimari debuit, nihil tamen debet is emptor cui res addicta eſt vili, ſuo venditori, quaſi beneficium ei dederit mercem ſuam proiiciendo. Multa alia in eam ſententiam addit, horum rationibus refellendis. Poſtea veram rationem reddere conatur, quare medico & præceptori plus quiddam debeamus quam mercedis eſt æſtimatio quæ illis pro opera penditur. *Quia,* inquit, *ex medico & præceptore in amicum tranſeunt, & nos non arte quam vendunt obligant, ſed benigna & familiari voluntate.* Vnde conſequitur, non omni medico, neq omni præceptori, deberi aliquid ultra

mercedem, quaſi pro beneficio ac benevolentia, quia non omnis medicus, nec omnis præceptor, parem voluntatem, ille ei quem curat, iſte ei cui præcipit, præſtant. Ergo medico, qui me in quæſtu habet cum æger ſum, & cum aliis ſuis ægris ex quibus mercedem percipit computat, nihil ultra mercedem debeo. Si peculiarem ſedulitatem in me curando adhibet, ſi plus impendit quam neceſſe eſt, ſi pro me non pro fama artis laborat, ſi officia denique amici exhibet dum medicinam facit, tum plus quiddam me illi debere certum eſt quam quod mercede penſari poſſit. Idem de præceptore, ſi præter illa quæ à præcipientibus in commune dicuntur, aliqua inſtillavit ac tradidit, & ea adminiſtravit quæ ibi narrantur à Seneca. Sed idem etiam dici poteſt de ſervo mercenario, ſi miniſteriis cõmunibus non contentus, plus quam dominum vulgo ſervus ſolet, me diligit, pro affectu quo me proſequitur aliquid illi debeo quo merces illi promiſſa non defungitur. *Sed &*, addit etiam Seneca, *ſordidiſſimorum quoque artificiorum inſtitoribus ſupra conſtitutum aliquid adiecimus, ſi nobis opera illorum enixior viſa eſt. Et gubernatori & opifici viliſſimæ mercis, & in diem ſe lo-*

locanti corollarium adſperſimus. Cum hoc fiat etiam in viliſſimis & ſordidiſſimis artificiis, non minus & illa numerari oporteret *inter beneficia quæ ſine conventione præſtantur, ſed animo tamen vicis expectandæ*, ut vult ea eſſe vir doctus, de quibus in hoc titulo de extraordinariis cognititionibus tractatur. Quæ tam falſa ſunt quam quæ falſiſſima. Artium & profeſſionum mercenariarium duo erant genera: honeſtiores, ut liberalium artium profeſſio; & minus honeſtæ ut ſellulariæ. Artium liberalium profeſſoribus de mercede agentibus ſibi promiſſa, ius extra ordinem præſes dicebat aut prætor, in provinciis præſes, in urbe prætor. Et quibuſcunque aliis idem indulſere leges privilegium, qui nominatim recenſentur leg. I. D. de extraordinariis cognitionibus. Aliarum artium opificibus ſellulariis aut quæſtus minus honeſti profeſſoribus, non prætor, non præſes extra ordinem iudicium reddebat mercedem in iure petentibus, ſed ædiles plebis. De lenonibus id oſtendit Iuſtinus lib. XXI, cap. V. ubi de Dionyſio ſcribit, poſtquam privatus ex tyranno factus, & in exilium pulſus, *non contentum in eum publico vagari, ſed potare: nec conſpici in popinis lupanaribuſque, ſed totos dies*

deſidere, & apud ædiles adverſus lenonem iurgari. Multis ex locis denique hiſtoriæ Romanæ liquet ædilem meretricibus, aleonibus, tabernariis, & aliis ſellulariis ſordidiſque opificibus ius reddidiſſe, vel ut delinquentes multaret, vel aliquid petentes audiret, & renuentes ſolvere quod promiſiſſent compelleret. Alię erant profeſſiones adeo honoratæ, & ſanctæ, ut quod mercenariæ non eſſent, mercedem ipſis petere in iudico indecorum eſſet, quamvis cum decoro à volentibus accipere poſſent, ut philoſophiæ & iuris ſcientiæ profeſſores. Quos inhoneſte petentes mercedem quia mercenarii non eſſent, ex Iuriſconſulti ſententia, perperam Advocatus comparavit & coniunxit cum meretricibus, quas petere non poſſe mercedē quamvis mercenariam vitam colāt, temere & falſo pronuntiavit. In eo quod meretrici datur mercedis pro uſura corporis, Marcellus & Labeo ſcripſerant, non utriuſque turpitudinem verſari, ſed ſolius dantis, & hanc rationem attulerant quod illa turpiter quidem faceret quod eſſet meretrix, non turpiter autem acciperet cum eſſet meretrix. Hoc eſt quod ſupra poſuimus, convenienter ſuæ profeſſioni illam accipere, quia hunc quæ-

quæſtum profitetur. Ideo non turpiter facit accipiẽs, quia iuxta profeſſionis ſuę & quæſtus rationem id accipit, cum tamen ipſe quæſtus, & ipſa profeſſio ſit turpis. Quod autem dantis in ea re turpitudinem ſolam verſari dicere Iuriſconſulti illi viſi ſunt, id mirum videtur Advocato Iuris perito Romani & Attici. *Sed quare dantis,* inquit? *An is qui aliquid dat meretici, turpiter dat? Sane quemadmodum meretrix non turpiter accipit, etſi turpiter faciat quod ſit meretrix, ita qui dat meretrici non turpiter dat, etſi turpiter faciat quod ductet meretricem.* Non ſimile eſt quod pro ſimili ponit. Meretrix quæ hanc profeſſionem quæſtus meretricii habet, quod accipit ratione profeſſionis, non turpiter accipit, quamvis ipſa profeſſio turpis ſit. Sed qui dat meretrici, ſi turpiter facit quod meretricem ductet, turpiter etiam dat quod dat ut meretricem ductet. Nam datio ob rem turpem ipſa turpis eſt. Excuſat profeſſio meretricē, & efficit ne turpiter accipiat quod convenienter profeſſioni accipit. Qui dat, nō excuſatur ulla tali profeſſione, nec poteſt dicere ſe profeſſionē hanc habere meretricis ductandæ, & dandæ mercedis ut eam ductare queat. Meretrix quę-

ſtus gratia accipit,& profeſſione ſua fungitur dum accipit, ideo nec turpiter accipit. At qui dat meretrici, libidini ſuæ obtēperat,& indulget,& ſic intemperantiam & continentiam fatetur. Ideo turpiter dat. Addit Advocatus: *Nec ſane eius qui dedit in eo turpitudo verſatur, quod dedit, ſed quod rem à ſe meretrici datam condicit.* Hoc ineptum, & falſum, & contra Iuriſconſulti mentem. Non enim dicit, dantis turpitudinem in eo verſari quod condicat. Si ita eſſet, nulla eſſet eius qui dat meretrici in dando turpitudo, ergo nec in ea ductanda. Turpe itaque non eſſet cuiquam ſcortum ductare, & ſubigere. Repetendo quod dediſſet, turpiter tantum faceret, non dando. Id manifeſto contra ſententiam Iuriſconſultorum facit, quæ toto illo titulo conſignatur, *de condictione ob turpem cauſam*. Turpem eam eſſe cauſam tradunt, aut ut dantis ſit turpitudo, non accipientis, aut ut accipientis duntaxat non etiam dantis, aut utriuſque, ut eſt in leg. 1. D eodem. Cum dantis eſt turpitudo, non illam verſari in eo dicunt, quod condicat datum ob turpem cauſam. Sed ex eo rationem petunt an condici poſſit datum, aut non condici, prout dantis tantum aut accipien-

cipientis fuerit turpitudo, aut utriuſque. Ubi utriuſque turpitudo verſatur, dantis & accipientis, tum ceſſare repetitionem dicunt. Quod ſi turpitudo ſolius accipientis fuerit, repeti datum poſſe dicunt. Ut ſi quis dederit ne iniuria ſibi fieret. Secundum hæc quæſitum eſt, an repeti poſſit quod meretrici datum eſt. Repeti non poſſe ex eo manifeſtum eſt, quod ubi dantis & accipientis verſatur turpitudo, repeti non poteſt. Hæc communis fuit ratio iuriſperitorum ex ea regula deprompta, qua non repetitur res in qua danda tam dantis quam accipientis turpitudo verſatur. Dantis turpitudo, non ea intelligitur quam ſomniavit aut hariolatus eſt Advocatus, quæ in condicendo quod datum eſt cernitur. Immo an condictioni locus ſit, ex eo quæritur, quod aut dantis aut accipientis ſit turpitudo, aut utriuſque. Si accipientis ſit ſolum, repeti, id eſt, condici poteſt. Si ſit utriuſque, id eſt, dantis, & accipientis condici & repeti non poteſt. Si ſolius ſit dantis, ne repeti quidem poſſe conſtat. Ut ſi quis in adulterio deprehēſus, quo ſe redimeret dedit, ſolius dantis eſt turpitudo, quemadmodum dicitur in leg. IV. D. eodem. Duplici autem ratione quod

meretrici datum eſt repeti non poteſt, ſive utriuſque turpitudinem in eo verſari dicamus, quæ vulgaris fuit opinio Iuriſconſultorum, ſive ſolius dantis, ut Labeoni & Marcello placuit. Meretricem enim turpiter facere quod ſit meretrix, non turpiter accipere cum ſit meretrix. Ea dantis turpitudo, quam ſolam verſari Labeo & Marcellus ſcripſere in eo quod meretrici datum eſt, non in eo verſatur quod rem à ſe meretrici datam condicat, ut Advocato inſcite viſum eſt; ſed in eo quod dedit. Immo ideo condici pecuniam datam meretrici non poſſe, nec repeti, Iuriſconſulti ſupraſcripti pronuntiarunt, quod ſolius dantis turpitudo ſit. Idem tamen omnino eſt, quantum ad condictionem quæ negatur attinet, ſive ſolius dantis turpitudo verſetur, ſive utriuſque, id eſt, dantis & accipientis. Vtroque enim caſu repetitio ceſſat. Sed ſubtilius Labeo & Marcellus ſolius dantis turpitudinem in eo quod datur meretrici cerni cenſuerunt, quod tametſi turpiter faciat quod ſit meretrix, non turpiter tamen accipiat cum ſit meretrix. Quod iam explicavimus. Sed hic mos eſt Doctorum Iuris hodiernorum & Profeſſorum, Advocatorumq;, ut ſi quid in ſpe-

ſpeciem vel verbo tenus in aliqua lege ſimile alteri legi apparuerit, id per vim obtorto collo trahant ad probationem rerum in totum diſſimilium, ut hic fecit Advocatus cum iuris profeſſores meretricibus adiunxit ex lege male intellecta. Quibus in locis meretrices non tolerantur, nec lupanaria publica ſunt ac lege licita, quod datum eſt meretrici, repeti quidem non poſſe crediderim, ſed petere eam poſſe quod ei ex ea cauſa promiſſum fuerit, non putem. Hoc idem ſervatur in alea legibus vetita. Si numeratam & præſentem pecuniã inter ludendũ depoſitam victor abſtulit, repeti non poteſt. Si is qui perdidit, præſentem pecuniam non dedit, ſed promiſit colluſori, nulla actione qui vicit eam petere poteſt. Vt creſcat hoc caput, nec exile nimium exeat, mutuabimur emendationem Advocati ex cap. XXXIV. Obſervationum eius, quæ follem hunc inflabit. Ea eſt de genere cæterarum quas examinavimus, atque eiuſdem plane κόμματος, id eſt, peſſima & ineptiſſima. Vitium ait eſſe nemini animadverſum in leg. XIV. π. VII. D. de religioſis, & ſumptibus funerum. Ibi dicit Vlpianus, interdum eum, qui ſumptum in funus

 fecit,

fecit, ſumptum non recipere, ſi pietatis gratia fecit, non hoc animo, quaſi recepturus. Atque ita reſcripſiſſe Imperatorem. *Igitur*, inquit, *æſtimandum erit arbitro & perpendendum, quo animo ſumptus factus ſit, utrũ negotium quis vel defuncti vel hæredis gerit, vel ipſius humanitatis, an vero miſericordiæ, vel pietati tribuens, vel affectioni.* Quod hæc mendoſa eſſe animadverterit, laudo. Quod ita corrigere voluerit, & in peius mutaverit, non laudo. Scripſiſſe Vlpianum ſe putare dicit, niſi vehementiſſime fallatur, *vel ipſius hæreditatis*, pro, *vel ipſius humanitatis*. Certe vehementiſſime fallitur. Non enim ita ſcripſit Vlpianus. Video quidem, qua ratione dicatur defuncti negotium gerere videri, vel hæredis qui ſumptum in funus fecit, ſed non perſpicere me fateor, quomodo videatur negotium gerere hæreditatis, qui defunctum ſepelivit, aut ſumptum in eius funus fecit. Quid eſt enim hæreditas? Res plane incorporalis, & inanimis. Negotium eius nemo poteſt gerere videri, præcipue in teſtatore ſepeliendo, aut funere eius procurando. Quid intereſt hæreditatis, ut funus ducatur teſtatori, aut ut ſepeliatur, aut humetur? Intereſt ſane ipſius defuncti, intereſt

eſt etiam hæredis. Defuncti honori hoc præſtatur. Etiam hæredis honos in eo verſatur, ut ſepeliatur & funeretur teſtator. Hæreditas vero id curat ſcilicet. Si quis hoc præſtitit in gratiam defuncti, non poteſt recipere ſumptum quem fecit, ſi quidem pietatis gratia fecit, non hoc animo quaſi recepturus. Non enim poteſt hoc à defuncto recipere. Si hæredis negotium geſſit, ab hærede ſumptum recuperabit. Sin vero hæreditati hoc dedit, quid dicemus? Vtrum ſumptum recepturus eſt, an non recepturus? Non poteſt videri pietatis gratia feciſſe qui tanquam hæreditatis negotium geſſit. Ergo recipiet ſumptum. Sed à quo recipiet? ab illa cuius negotium geſſit? Ergo ab hæreditate. Hæres ipſe non dabit. Non enim negocium eius geſſit qui defunctum funeravit, ſed hæreditatis. Non defunctus, non enim poteſt. A quo igitur recipiet? Ab hæreditate, cuius negotium geſſit. Hæc ſunt ineptiſſima. At ſi quis dicat, non eſſe recepturum, quia gratia pietatis fecerit, hæreditas pietatem non admittit. Nec quod eius cauſa factum fuerit, pietatis gratia factum eſſe poſſit dici. Quod pro ea geſtum fuerit, debebit repeti. Sed à

quo?

quo? Ab ipſa hæreditate. Iterum dico, hæc inepta ſunt, & eo, qui ſe Iuriſconſultum dicit ac profitetur, indigna. Præterea *hæreditatis* pro *humanitatis* correctio nimis audax, & nimis longe à veſtigiis ſcripturæ antiquæ recedit. Levi tantum tranſpoſitione locus laborat qui ſic reponendus eſt: *Vtrum negotium quis, vel defuncti, vel hæredis gerit, an vero ipſius humanitatis, vel miſericordiæ, vel pietati, vel affectioni tribuens.* Quærit Advocatus, quid ſit, *humanitatis negotium gerere?* Dicamus illi idem eſſe quod humanitatis vices implere, humanitati ſatisfacere, & id quod homo homini debet, præſtare. Hoc negotium nempe habet, hanc curam humanitas, ut homines qui ea præditi ſunt, hominibus præſto ſint, vivis opitulentur, mortuos ſepeliant, omnia officia ipſis exhibeant quæ poſtulat humanitas. Huius humanitatis negotium gerit, qui exequitur quod illa ab homine flagitat. Petronius dixit, *fortuna ſupra nos negotium ſuum gerit.* Quod quis agit naturæ ſuæ vel conſuetudini conſentaneum, hoc negotium ſibi conveniens cum videatur quaſi datum habere, quoties id implet, *negotium ſuum genere* dicitur. Ita ergo eleganter *negotium humanitatis gerere*

hic

hic dixit Iuriſconſultus, qui humanitati quod deſiderat præſtat, & hominis officium erga hominem exequitur. Si hæc loquutio nimis ipſi dura videtur & inſolens, poteſt non diſſentiente me eam amovere, ſubſtituta hac lectione, *an vero ipſi humanitati, vel miſericordiæ, vel pietati tribuit, vel affectioni*. Nullum iam habebimus negotium humanitatis. Sed negotium non tantum ab hoc loco removet, verum & ipſam humanitatem furcillis expellit, & *hæreditatem* pro ea intrudit. Sane ſapit. Hæreditas, ſi opima eſt, dites homines facit, non humanitas. *Quare*, inquit, *ſeparat iſtic Vlpianus humanitatem à pietate, & miſericordia? Sed quare etiam is qui ſumptus in funus facit animo eos recipiendi, negotium humanitatis gerit? Quod ſi negotium humanitatis gerit, debet ab humanitate ſumptum repetere. quæ omnia dici nequeunt niſi abſurdiſſime.* Immo ſi fateri verum volumus, hæc ab eo dicta ſunt inſcitiſſime, & ineptiſſime. Quaſi Ulpianus intellexerit, eum qui humanitatis negotium gerens, ſumptum in funus fecerit, eos ſumptus recipere. Apparet, mentem legis non percepiſſe qui eam ſic interpretatur. Dixit Iuriſconſultus in eo paragrapho, interdum eum qui ſumptum

ptum in funus fecit, non ſumptum recipere, ſi pietatis gratia fecit, non hoc animo quaſi recepturus ſumptum. Ut ſciatur autem quo animo ſumptum fecerit in funus qui illud procuravit, perpendẽdum ait arbitro eſſe, & æſtimandũ, quo animo ſumptus factus ſit, utrum nimirum negotium quis defuncti aut hæredis geſſerit, an vero ipſius humanitatis, vel miſericordiæ, vel pietati tribuens, vel affectioni. Nam ſi negotium gerere voluit defuncti vel hæredis, ſane recipiendi animo feciſſe ſumptum videbitur. Sin vero humanitatis ſolum curam gerens, vel miſericordiæ, vel pietati, vel affectioni tribuens, ſumptum illum fecit, apparet feciſſe non recepturum. Quod diſputat deinde pluribus in hoc ipſo capite Advocatus, quod humanitati aut pietati & miſericordiæ tribuitur, gratuitũ eſſe, humanitatis & miſericordiæ officium mere eſſe gratuitum, fruſtra id prædicat de quo nemo dubitat. Nec Vlpianus aliter in ea lege intellexit. Alio quippe animo in ſumptu faciendo funeris, negotium hominis gerit, id eſt, defuncti vel hæredis, alio qui humanitatis ipſius curam gerit, vel etiam negotium. Hic gratuito vult eſſe huma-

nius & pius, ille recepturus quod impendit, ſumptum fecit. Cur igitur humanitatem ex hac lege exterminavit, hæreditate in eius locum ſubrogata, cum in tali negotio humanitas, miſericordia & pietas recte coniungantur, & Seneca verbis ab ipſo prolatis, ubi de eadem re agit, humanitatis ſimul cum miſericordia iunctim meminerit? Ibi de eo loquitur, qui corpus in ſolitudine inventum ſepelivit, & filio cuius patris corpus illud fuit, hoc beneficium imputabat: *Hoc tamen ita beneficium eſt, ſi non miſericordiæ & humanitatii dedi, ut quodlibet cadaver abſconderem, ſed ſi corpus agnovi, ſi filio tuo hoc præſtare me agnovi. At ſi terram ignoto mortuo iniecit, nullum habeo huius officii debitorem, in publicum humanus.* Cum Seneca his verbis in eadem re humanitatem & miſericordiam nominaverit, cur Ulpiano hæc duo quoque recte iuncta vocabula ferre non potuit, ſed humanitatem inde exterminavit? An quia miſericordiam & pietatem non differre putavit ab humanitate? Ita certe videtur. Nam quæſivit initio capitis, cur Vlpianus humanitatem à miſericordia & pietate ſepararit. Et ſub finem capitis, quo colorem haberet aliquem relegandæ humanitatis, ut hæ-

hæreditatem pro ea vendicaret, rationem hanc attulit, quod humanitas nimirum nihil ea in re diſtaret à miſericordia, & pietate. *Vt qui humanitatis*, inquit, *cauſa fecit, ſumptum repetere velle credatur, qui miſericordiæ & pietati officium illud præſtitit, de ſumptibus recipiendis cogitaſſe non præſumatur.* Sane nec hoc voluit Vlpianus, ut qui ſumptus humanitatis cauſa fecerit alicui funerando, eos repetat, non magis quam qui pietati & miſericordæ tribuit vel affectioni. Sed nec ſeparavit humanitatem à miſericordia hoc ſenſu, ut humanitati eos ſumptus tribuens recipiendi animo faciat, non recepturus illos ſi pietatis gratia & miſericordiæ id impenderit. Sic enim ſeparavit humanitatem & miſericordiam, ut utriuſque diverſum eſſe animũ intellexerit atq; affectũ. Verũ ita diſcrevit tanquã differentes animi motus, & affectus, quibus tamen idem finis propoſitus, gratuitum officium mortuo ſepeliendo ac funerando præſtandi. Atque ita plane Seneca eas voces coniunxit, ut tamen eodem modo eas ſepararit quo ab Vlpiano ſunt diſtinctæ: *Si non miſericordiæ & humanitati dedi, ut quodlibet cadaver abſconderem.* Ulpiano igitur negotiũ humanitatis agere, idẽ eſt

quod

quod humanitatis curam & reſpectum habere, facere quod iubet & exigit humanitas. Non recepturus ſumptum funeravit qui humanitatis negotiũ gerens eum fecit, haud ſane magis quã qui miſericordiæ & pietati vel affectioni id tribuit. Quid opus ergo fuit Critico humanitatem hinc exulare iubere, pręſertim hoc loco tam belle convenientem ac pæne neceſſariam, cum liceret eam retinere vel alia emendatione longe faciliore & propiore quam quæ ab ipſo excogitata eſt, legendo nimirum, ut ſupra poſuimus: *An vero ipſi humanitati vel miſericordiæ vel pietati tribuit, vel affectioni.* Sed nihil, ut dixi, neceſſe, cum eleganter dictum ſit ab Vlpiano, humanitatis ipſius negotium gerere, qui hoc agit, quod humanitati agendum incumbit, & quod ipſius proprie negotium eſt. Humanitas autem, & miſericordia differunt. Quod homo homini præſtat officii beneficiive, quatenus homo id faciens, & in hominem id conferens, ut qui cogitet nihil à ſe humani alienum eſſe, & id ſe debere animali eiuſdem ſpiritus & rationis conſorti, hoc humanitati tribuit, & humanitatis gratia facit. Alius animi affectus eſt miſericordia, quam inter vitioſos motus Stoici

 nume-

numerabant, & reiiciebant cum humanitatem admitterent. Dabant ſtipem mendico, ſublevabant egenum, nulla miſericordia permoti, ſed ſolum humanitatis ratione ducti. Humanitas, ut ab homine eſt, in hominem tantum confertur. Miſericordia latius patet, & ea ſic movemur, ut etiã aliorum animalium miſereamur. *Pietas* etiam aliud eſt quam humanitas ac miſericordia, ut & *affectio* ab his omnibus diverſa. Sed hæc accuratius explicare ac diſtinguere non eſt huius loci. Non omnis tamen qui miſericordia motus ac pietate aliquem funerat, ideo recipere ſumptus non poteſt quos in funus fecit. Reſpiciendum quippe eſſe & diſtinguendum *miſericordiæ modum* Iuriſconſultus ait. Aliquis enim ita miſericors eſt, ut laborem in funerando ſumere velit, ne inſepultum corpus defuncti iaceat, non ut ſuo ſumptu id faciat. *Poteſt tamen*, inquit, *diſtingui & miſericordiæ modus, ut in hoc fuerit miſericors vel pius qui funeravit, ut eum ſepeliret, ne inſepultus iaceret, non etiam ut ſuo ſumptu faceret*. Non tamen hic, ut cenſet Advocatus, negotium hæredis aut alterius ad quem id officium proprie pertinet, gerere putandus. Nec ea mens Iuriſconſulti.

Pie-

Piétate & miſericordia ductus cadaver. ſepelivit, ne iaceret inſepultũ, non tamẽ intellexit id ſe ſuo ſumptu facere, ſed animo recuperandi, unde unde hoc poſſet aut deberet recuperari, fecit. Tralaticia humanitate ſolebant veteres corpori exanimi quocunque in loco forte fortuna invento *terram iniicere*, ut loquutus eſt Seneca loco ſupra citato: *Aut ſi terram mortuo ignato inieci*. Virgilius de Palinuro, *aut tu mihi terram Iniice*. Horatius: *inhumato capiti arenæ particulam dare*. Quod Græci γῆν ἐπιμοιρήσασθαι dixere in eadem re. Et paulo poſt idem Horatius: *Iniecto ter pulvere curras*. Adtexemus & huic capiti emendationẽ Advocati alterã petitam ex cap. XL. obſervationũ. quæ non uſquequaq; mihi proba videtur, ſed ut omnes eius ſunt, mendoſa. Ea eſt in leg. ult. Cod. de Teſtamẽtaria manumiſſione, his verbis: *Santimus, ut, ſi nõ unus veniat hæreditatis petitor, ſed plures quidem uno momento, uterque vel ampliores, omnibus detur licentia communiter hæreditatem adire*. Pro his, *uterque, vel ampliores*, legendum putat celeberrimus Advocatus, *ut tres quattuórs vel ampliores*. Sed *ampliores* Latinum non eſt pro *plures*, ut nec *minores* pro *pauciores*. Scribi poſſet, *ut tres, vel amplius*.

Pro quo ſcioli repoſuerunt, *ampliores*. Putem etiam rectius emendari poſſe, *ut tres, vel etiam plures, omnibus detur licentia communiter hæreditatem dare*. Nec longe à ſcriptura vulgata hæc abit correctio quæ habet, *uterque vel ampliores*. Adeo autem Advocato defuerunt ex iure emendationes, & obſervationes, quibus hanc paginam impleret, ut è Cæſare unam miſellam mutuatus ſit quo caput hoc integraret, minus alioquin plenum nec perfectum futurum. Sed ea etiam infeliciter ipſi ceſſit ἐπ' ὀρισρᾷ ingenioſo. Ita ſcribitur in vulgatis exemplaribus Cæſaris lib. III. de bello civili, cap. XXXII. *Præterea Epheſi è fano Dianæ depoſitas antiquitus pecunias Scipio tolli iubebat, cæteraſque eius deæ ſtatuas. Cum in fanum ventum eſſet, adhibitis compluribus Senatorii ordinis quos advocaverat Scipio, litteræ ei redduntur à Pompeio*. Ex corrupta ſcriptura non potuit niſi prava correctio exculpi. Si conſuluiſſet codices manu exaratos, non potuiſſet in eam coniecturam incidere quam nobis pro veriſſima & Cæſari ſalutari propoſuit. Sic enim reſcribit: *depoſitaſquè antiquitus pecunias Scipio tolli iubebat, cæteraque eius deæ. Statim cum in fanum ventum eſſet*. Ego non video

video quid ſignificare illa poſſint, *cæteraque eius deæ*. Ipſe χειμήλια ſubintelligenda putat, & donaria. Cæterum à Cæſaris nitore & facilitate alienæ ſunt eiuſmodi ſubauditiones. Citius enim dixiſſet, *cæteraque eius deæ donaria*. At de ſolis pecuniis quæ depoſitæ erant auferendis cogitaſſe Scipionem, non de aliis cimeliis, vel donariis, ipſe Cæſar diſerte teſtatur, paulo poſt, his verbis: *Hæc res Epheſiæ pecuniæ ſalutem attulit.* Id etiam repetit infra eodem libro, his verbis: *Cæſar cum in Aſiam veniſſet, reperiebat, T. Ampium conatum eſſe tollere pecunias Epheſo ex fano Dianæ, ſed interpellatum adventu Cæſaris profugiſſe: Ita duobus temporibus Epheſiæ pecuniæ Cæſar auxilia tulit.* Donariorum non meminit, ſed ſolius pecuniæ. Præterea libri omnes antiqui ita locum illum legunt, *cæteraque eius diei conſtituta*, pro *cæteraſque eius deæ ſtatuas*. Unde certum eſt ex viri doctiſſimi coniectura, noſtraque diſtinctione, ita legi debere: *Epheſi è fano Dianæ depoſitas antiquitus peccunias Scipio tolli iubebat, certaque ei rei die conſtituta, cum in fanum ventum eſſet, adbibitis compluribus ſenatorii ordinis quos advocaverat.* Nihil verius hac lectione, ut nihil falſius correctione Advocati. Sic alibi loqu-

 tum

tum Cæſarem iam viri docti adnotarunt, ut in illo ipſo libro, *certumque ei rei tempus conſtituitur*. Item lib. VII. de bello Gallico, *tempore ei rei conſtituto*. Apparet, virum eruditiſſimum hanc ſuam emendationem in loco Cæſaris pro ſelecta, & recondita diu domi detinuiſſe, eamq; occaſione oblata è libri margine ſumptam, vel ex libris Adverſariorum depromptã, oſtentandæ ἀϛοχίας de privato in publicum tranſtuliſſe.

CAP. XXVI.

De poſtliminio. De vocis huius origine ac ſignificatione. Limen & limes quomodo differant. Cum quibus poſtliminium nobis ſit, & non ſit. Quinam exteri vocentur. An fœderatio inter exteros. An cum his nobis poſtliminium. Aliud fuiſſe ius preceptum Romanis antiquioribus quam poſterioribus. Libertatis & civitatis poſtliminiũ diverſũ. Cum fœderatis olim poſtliminii ius fuiſſe quantum ad civitatem attinet, non quantum ad ſervitutem. Civi Romano duarum civitatũ civi ſe nõ licuit. Quot genera fœderis fuerint. Non fœderatos noſtros eſſe qui in ditione noſtra sũt. Proculi lex emẽdata & explicata. Ius hoſpitii inter privatos ac populos quale.

DE poſtliminio hic agere conſtitui, quoniam doctiſſimus Advocatus de

eo

eo tractavit trinis Obſervationum capitibus, ut explicaret leg. XII. D. de captivis & poſtliminio reverſis, in qua *quædam eſſe obſcura* dicit, *quædam etiam depravata*. An obſcuris lucem reddiderit, prava rectis commutarit, iam videbimus. Priuſquam ad eam legem Tryphonini accedamus illuſtrandam, de *poſtliminii* voce aliquid dicendum. Quidam veterum Iuriſconſultorum ſcripſere in nomine *poſtliminium* ſpectari tantum præpoſitionem *poſt*, reliquam partẽ *liminiũ* eſſe productionem nominis, quaſi παραγωγὴν nimirum. Sed falſi ſunt. Verbum in uſu fuit olim *eliminare*, pro extra limen domus eiicere. Vnde *gradu ſe eliminare* in tragœdia vetere apud Quintilianum lib. VIII. cap. III. *Memini iuvenis*, inquit, *inter Pomponium & Senecã etiã præfationibus eſſe tractatũ, an gradu ſe eliminati apud Acciũ in Tragœdia dici oportuiſſet. At veteres ne expectorat quidem timuerunt. Et ſane eiuſdem notæ eſt exanimat.* Ut *eliminare* expellere eſt, & tanquam è limine eiicere, ut *evallare* extra vallum exturbare, ita contrarium eſt *poſtliminare*, intra limen denuo recipere quod eliminatum inde fuerat. *Poſtliminare* autem ita factũ & compoſitũ ut *poſthabere*, *poſticipare*, & ſimilia. A verbo

poſtlimino, nomen *poſtliminium*, ἡ ἐπάνοδος vel poſtliminatio. Vt ab æſtimo *æſtimium* pro æſtimatione. A poſtulo *poſtulium*, vel *poſtulio*, à comburo *comburium*: ab impendo *impendium*, à cremo *cremium* φρύγανον, & combuſtioni aptum lignum, unde *cremiales arbores*. Sexcenta talia ad hunc modum formata reperiet, cui lubebit inquirere. *Poſtliminium* ergo eſt ἐπάνοδος, ut recte Gloſſæ veteres interpretantur, in quibus legendum *poſtliminium*, pro *poſtlimen*. Paulus Feſti abbreviator: *Poſtliminio receptus dicitur is, qui extra limina, hoc eſt, extra terminos provinciæ captus, rurſusque ad propria revertitur*. Id eſt, qui eliminatus fuerat, poſtliminatur. Non quod *limes* & *limen* idem ſint, & quaſi non differant hæ voces niſi exitu, & flexionis modo, ut placet viris eruditis, cum alioqui origine & primitiva notione idem videantur eſſe, ſicut *materia* & *materies*, *pava* & *parvus*, *contagio* & *contages*, *cucumis* & *cucumer*. Quæ ſunt falſiſſima. Nam *limes* & *limen* diverſæ plane notionis nunquã idem ſignificarunt, quamvis videri queat utrumque deduci à *limo* quod eſt tranſverſum. Sed *limen* putem magis à verbo *limare* derivatum, quod aſſiduo in-

introitu, & egreſſu limetur, & teratur. At *limes* eſt via tranſverſa inter duos agros confines, ab antiqua voce *limus*, quod eſt tranſverſus, & obliquus. Vnde paſſim veteribus *limites* exponuntur viæ tranſverſæ. Vnde & *limi*, ſulci in agro crebriores, Feſto in voce *Porcæ*. *Limes* autem quaſi maior ſulcus ſive via depreſſa inter duorum agrorum fines, à tranſverſo ſive limo ducta. *Limus* & *limes* eiuſdem ſignificationis, ut *circes*, & *circus*, ὁ κύκλος. At *limen* ut diverſæ notionis, ita etiam originis. Omnia eiuſmodi vocabula in *men* terminantia à verbis derivantur, ut *lumen*, *fulmen*, *nomen*, *flumen* & ſimilia. Ita ergo *limen* à verbo *lio*, quod eſt levigo, quia nulla pars domus limine tritior aut terendo levigatior. Græci quoque antiqui βηλὸν vocarunt, à verbo βῶ βίβω, quod frequenter calcetur. Recentiores βατῆρα appellarunt eadem ratione, quod ſæpius teratur pedibus. Quæ ſic teruntur, etiã *liari* ſolent, id eſt, lubricari, & levigari. A verbo lio *limen*, ut à fluo *flumen*: à *vio* vel vieo, quod eſt alligo vel texo, *vimen*. Horum verbalium alia paſſivæ ſunt ſignificationis, alia activæ. *Limen* paſſivæ eſt, quod liatur: *Sumen* à ſugendo, quod ſugitur: *Semen* à

hæreditatem pro ea vendicaret, rationem hanc attulit, quod humanitas nimirum nihil ea in re diſtaret à miſericordia, & pietate. *Vt qui humanitatis*, inquit, *cauſa fecit, ſumptum repetere velle credatur, qui miſericordiæ & pietati officium illud præſtitit, de ſumptibus recipiendis cogitaſſe non præſumatur.* Sane nec hoc voluit Vlpianus, ut qui ſumptus humanitatis cauſa fecerit alicui funerando, eos repetat, non magis quam qui pietati & miſericordæ tribuit vel affectioni. Sed nec ſeparavit humanitatem à miſericordia hoc ſenſu, ut humanitati eos ſumptus tribuens recipiendi animo faciat, non recepturus illos ſi pietatis gratia & miſericordiæ id impenderit. Sic enim ſeparavit humanitatem & miſericordiam, ut utriuſque diverſum eſſe animũ intellexerit atq; affectũ. Verũ ita diſcrevit tanquã differentes animi motus, & affectus, quibus tamen idem finis propoſitus, gratuitum officium mortuo ſepeliendo ac funerando præſtandi. Atque ita plane Seneca eas voces coniunxit, ut tamen eodem modo eas ſepararit quo ab Vlpiano ſunt diſtinctæ: *Si non miſericordiæ & humanitati dedi, ut quodlibet cadaver abſconderem.* Ulpiano igitur negotiũ humanitatis agere, idẽ eſt quod

quod humanitatis curam & reſpectum habere, facere quod iubet & exigit humanitas. Non recepturus ſumptum funeravit qui humanitatis negotiū gerens eum fecit, haud ſane magis quã qui miſericordiæ & pietati vel affectioni id tribuit. Quid opus ergo fuit Critico humanitatem hinc exulare iubere, pręſertim hoc loco tam belle convenientem ac pæne neceſſariam, cum liceret eam retinere vel alia emendatione longe faciliore & propiore quam quæ ab ipſo excogitata eſt, legendo nimirum, ut ſupra poſuimus: *An vero ipſi humanitati vel miſericordiæ vel pietati tribuit, vel affectioni.* Sed nihil, ut dixi, neceſſe, cum eleganter dictum ſit ab Vlpiano, humanitatis ipſius negotium gerere, qui hoc agit, quod humanitati agendum incumbit, & quod ipſius proprie negotium eſt. Humanitas autem, & miſericordia differunt. Quod homo homini præſtat officii beneficiive, quatenus homo id faciens, & in hominem id conferens, ut qui cogitet nihil à ſe humani alienum eſſe, & id ſe debere animali eiuſdem ſpiritus & rationis conſorti, hoc humanitati tribuit, & humanitatis gratia facit. Alius animi affectus eſt miſericordia, quam inter vitioſos motus Stoici

numerabant, & reiiciebant cum humanitatem admitterent. Dabant ſtipem mendico, ſublevabant egenum, nulla miſericordia permoti, ſed ſolum humanitatis ratione ducti. Humanitas, ut ab homine eſt, in hominem tantum confertur. Miſericordia latius patet, & ea ſic movemur, ut etiã aliorum animalium miſereamur. *Pietas* etiam aliud eſt quam humanitas ac miſericordia, ut & *affectio* ab his omnibus diverſa. Sed hæc accuratius explicare ac diſtinguere non eſt huius loci. Non omnis tamen qui miſericordia motus ac pietate aliquem funerat, ideo recipere ſumptus non poteſt quos in funus fecit. Reſpiciendum quippe eſſe & diſtinguendum *miſericordiæ modum* Iuriſconſultus ait. Aliquis enim ita miſericors eſt, ut laborem in funerando ſumere velit, ne inſepultum corpus defuncti iaceat, non ut ſuo ſumptu id faciat. *Poteſt tamen*, inquit, *diſtingui & miſericordiæ modus, ut in hoc fuerit miſericors vel pius qui funeravit, ut eum ſepeliret, ne inſepultus iaceret, non etiam ut ſuo ſumptu faceret*. Non tamen hic, ut cenſet Advocatus, negotium hæredis aut alterius ad quem id officium proprie pertinet, gerere putandus. Nec ea mens Iuriſconſulti.

Pie-

Piétate & miſericordia ductus cadaver ſepelivit, ne iaceret inſepultū, non tamē intellexit id ſe ſuo ſumptu facere, ſed animo recuperandi, unde unde hoc poſſet aut deberet recuperari, fecit. Tralaticia humanitate ſolebant veteres corpori exanimi quocunque in loco forte fortuna invento *terram iniicere*, ut loquutus eſt Seneca loco ſupra citato: *Aut ſi terram mortuo ignato inieci*. Virgilius de Palinuro, *aut tu mihi terram Iniice*. Horatius: *inhumato capiti arenæ particulam dare*. Quod Græci γῆν ἐπιμοιρήσασθαι dixere in eadem re. Et paulo poſt idem Horatius: *Iniecto ter pulvere curras*. Adtexemus & huic capiti emendationē Advocati alterā petitam ex cap. XL. obſervationū. quæ non uſquequaq; mihi proba videtur, ſed ut omnes eius ſunt, mendoſa. Ea eſt in leg. ult. Cod. de Teſtamētaria manumiſſione, his verbis: *Sancimus, ut, ſi nō unus veniat hæreditatis petitor, ſed plures quidem uno momento, uterque vel ampliores, omnibus detur licentia communiter hæreditatem adire*. Pro his, *uterque, vel ampliores*, legendum putat celeberrimus Advocatus, *ut tres quattuor, vel ampliores*. Sed *ampliores* Latinum non eſt pro *plures*, ut nec *minores* pro *pauciores*. Scribi poſſet, *ut tres, vel amplius*.

Pro quo ſcioli repoſuerunt, *ampliores*. Putem etiam rectius emendari poſſe, *ut tres, vel etiam plures, omnibus detur licentia communiter hereditatem dare*. Nec longe à ſcriptura vulgata hæc abit correctio quæ habet, *uterque vel ampliores*. Adeo autem Advocato defuerunt ex iure emendationes, & obſervationes, quibus hanc paginam impleret, ut è Cæſare unam miſcellam mutuatus ſit quò caput hoc integraret, minus alioquin plenum nec perfectum futurum. Sed ea etiam infeliciter ipſi ceſſit ἐπ' ἀριστερᾷ ingenioſo. Ita ſcribitur in vulgatis exemplaribus Cæſaris lib. III. de bello civili, cap. XXXII. *Præterea Epheſi è fano Dianæ depoſitas antiquitus pecunias Scipio tolli iubebat, ceteraſque eius deæ ſtatuas. Cum in fanum ventum eſſet, adhibitis compluribus Senatorii ordinis quos advocaverat Scipio, litteræ ei redduntur à Pompeio.* Ex corrupta ſcriptura non potuit niſi prava correctio exculpi. Si conſuluiſſet codices manu exaratos, non potuiſſet in eam coniecturam incidere quam nobis pro veriſſima & Cæſari ſalutari propoſuit. Sic enim reſcribit: *depoſitaſque antiquitus pecunias Scipio tolli iubebat, ceteraque eius deæ. Statim cum in fanum ventum eſſet.* Ego non

vìdeo

video quid ſignificare illa poſſint, *cæteraque eius deæ*. Ipſe κειμήλια ſubintelligenda putat, & donaria. Cæterum à Cæſaris nitore & facilitate alienæ ſunt eiuſmodi ſubauditiones. Citius enim dixiſſet, *cæteraque eius deæ donaria*. At de ſolis pecuniis quæ depoſitæ erant auferendis cogitaſſe Scipionem, non de aliis cimeliis, vel donariis, ipſe Cæſar diſerte teſtatur, paulo poſt, his verbis: *Hæc res Epheſiæ pecuniæ ſalutem attulit.* Id etiam repetit infra eodem libro, his verbis: *Cæſar cum in Aſiam veniſſet, reperiebat, T. Ampium conatum eſſe tollere pecunias Epheſo ex fano Dianæ, ſed interpellatum adventu Cæſaris profugiſſe: Ita duobus temporibus Epheſiæ pecuniæ Cæſar auxilia tulit.* Donariorum non meminit, ſed ſolius pecuniæ. Præterea libri omnes antiqui ita locum illum legunt, *cæteraque eius diei conſtituta*, pro *cæteraſque eius deæ ſtatuas*. Unde certum eſt ex viri doctiſſimi coniectura, noſtraque diſtinctione, ita legi debere: *Epheſi è fano Dianæ depoſitas antiquitus peccunias Scipio tolli iubebat, certaque ei rei die conſtituta, cum in fanum ventum eſſet, adhibitis compluribus ſenatorii ordinis quos advocaverat.* Nihil verius hac lectione, ut nihil falſius correctione Advocati. Sic alibi loqu-

 tum

tum Cæſarem iam viri docti adnotarunt, ut in illo ipſo libro, *certumque ei rei tempus conſtituitur*. Item lib. VII. de bello Gallico, *tempore ei rei conſtituto*. Apparet, virum eruditiſſimum hanc ſuam emendationem in loco Cæſaris pro ſelecta, & recondita diu domi detinuiſſe, eamq; occaſione oblata è libri margine ſumptam, vel ex libris Adverſariorum deprompta͂, oſtentandæ ἀ̓ςοχίᾳ de privato in publicum tranſtuliſſe.

CAP. XXVI.

De poſtliminio. De vocis huius origine ac ſignificatione. Limen & limes quomodo differant. Cum quibus poſtliminium nobis ſit, & non ſit. Quinam exteri vocentur. An fœderatio inter exteros. An cum his nobis poſtliminium. Aliud fuiſſe ius preceptum Romanis antiquioribus quam poſterioribus. Libertatis & civitatis poſtliminiu͂ diverſu͂. Cum fœderatis olim poſtliminii ius fuiſſe quantum ad civitatem attinet, non quantum ad ſervitutem. Civi Romano duarum civitatu͂ civi ſe no͂ licuit. Quot genera fœderis fuerint. Non fœderatos noſtros eſſe qui in ditione noſtra ſu͂t. Proculi lex eme͂data & explicata. Ius hoſpitii inter privatos ac populos quale.

DE poſtliminio hic agere conſtitui, quoniam doctiſſimus Advocatus de

eo

eo tractavit trinis Obſervationum capitibus, ut explicaret leg. XII. D. de captivis & poſtliminio reverſis, in qua *quædam eſſe obſcura* dicit, *quædam etiam depravata*. An obſcuris lucem reddiderit, prava rectis commutarit, iam videbimus. Priusquam ad eam legem Tryphonini accedamus illuſtrandam, de *poſtliminii* voce aliquid dicendum. Quidam veterum Iuriſconſultorum ſcripſere in nomine *poſtliminium* ſpectari tantum præpoſitionem *poſt*, reliquam partē *liminiū* eſſe productionem nominis, quaſi παρα-γωγὴν nimirum. Sed falſi ſunt. Verbum in uſu fuit olim *eliminare*, pro extra limen domus eiicere. Vnde *gradu ſe eliminare* in tragœdia vetere apud Quintilianum lib. VIII. cap. III. *Memini iuvenis*, inquit, *inter Pomponium & Senecā etiā præfationibus eſſe tractatū, an gradu ſe eliminati apud Acciū in Tragœdia dici oportuiſſet. At veteres ne expectorat quidem timuerunt. Et ſane eiuſdem notæ eſt exanimat.* Ut *eliminare* expellere eſt, & tanquam è limine eiicere, ut *evallare* extra vallum exturbare, ita contrarium eſt *poſtliminare*, intra limen denuo recipere quod eliminatum inde fuerat. *Poſtliminare* autem ita factū & compoſitū ut *poſthabere*, *poſticipare*, & ſimilia. A verbo

poſtlimino, nomen *poſtliminium*, ἡ ἐπάναδος vel poſtliminatio. Vt ab æſtimo *æſtimium* pro æſtimatione. A poſtulo *poſtulium*, vel *poſtulio*, à comburo *comburium*: ab impendo *impendium*, à cremo *cremium* φρύγανον, & combuſtioni aptum lignum, unde *cremiales arbores*. Sexcenta talia ad hunc modum formata reperiet, cui lubebit inquirere. *Poſtliminium* ergo eſt ἐπάναδος, ut recte Gloſſæ veteres interpretantur, in quibus legendum *poſtliminium*, pro *poſtlimen*. Paulus Feſti abbreviator: *Poſtliminio receptus dicitur is, qui extra limina, hoc eſt, extra terminos provinciæ captus, rurſusque ad propria revertitur.* Id eſt, qui eliminatus fuerat, poſtliminatur. Non quod *limes* & *limen* idem ſint, & quaſi non differant hæ voces niſi exitu, & flexionis modo, ut placet viris eruditis; cum alioqui origine, & primitiva notione idem videantur eſſe, ſicut *materia* & *materies*, *pava* & *parvus*, *contagio* & *contages*, *cucumis* & *cucumer*. Quæ ſunt falſiſſima. Nam *limes* & *limen* diverſæ plane notionis nunquã idem ſignificarunt, quamvis videri queat utrumque deduci à *limo* quod eſt tranſverſum. Sed *limen* putem magis à verbo *limare* derivatum, quod aſſiduo in-

introitu, & egreſſu limetur, & teratur. At *limes* eſt via tranſverſa inter duos agros confines, ab antiqua voce *limus*, quod eſt tranſverſus, & obliquus. Vnde paſſim veteribus *limites* exponuntur viæ tranſverſæ. Vnde & *limi*, ſulci in agro crebriores, Feſto in voce *Porca*. *Limes* autem quaſi maior ſulcus ſive via depreſſa inter duorum agrorum fines, à tranſverſo ſive limo ducta. *Limus* & *limes* eiuſdem ſignificationis, ut *circes*, & *circus*, ὁ κύκλος. At *limen* ut diverſæ notionis, ita etiam originis. Omnia eiuſmodi vocabula in *men* terminantia à verbis derivantur, ut *lumen*, *fulmen*, *nomen*, *flumen* & ſimilia. Ita ergo *limen* à verbo *lio*, quod eſt levigo, quia nulla pars domus limine tritior aut terendo levigatior. Græci quoque antiqui Ͷηλὸν vocarunt, à verbo Ͷῶ Ͷήθω, quod frequenter calcetur. Recentiores Ͷατῆρα appellarunt eadem ratione, quod ſæpius teratur pedibus. Quæ ſic teruntur, etiã *liari* ſolent, id eſt, lubricari, & levigari. A verbo lio *limen*, ut à fluo *flumen*: à *vio* vel vieo, quod eſt alligo vel texo, *vimen*. Horum verbalium alia paſſivæ ſunt ſignificationis, alia activæ. *Limen* paſſivæ eſt, quod liatur: *Sumen* à ſugendo, quod ſugitur: *Semen* à

ſerendo, quod ſeritur *detrimen* ſive detrimentum à detero, quod deteritur. *Liare* autem Latinum idem quod Græcum λειοῦσαι. Inde *liaculum* λειαντὴρ, inſtrumentum quo ſubiguntur & ſolidantur tectoria in parietibus. Id nomen duobus locis corruptum apud Vitruvium. lib. II. cap. IV. *Fluviatica porro arena, propter macritatem, ut ſigninum, liaculorum ſubactionibus recipit ſoliditatem*. Vulgo perperam legitur *bacillorum ſubactionibus*. Item lib. VII. cap. III. *Sed & liaculorum ſubactionibus fundatæ ſoliditates, marmoriſque candore firmo lævigatæ, coloribus cum politionibus inductis, nitidos exprimunt ſplendores*. Vulgo eſt, *baculorum ſubactionibus*. Scripti Codices legunt, *iaculorum*. Ex quo nos fecimus *liaculorum*. Optimæ Gloſſæ, *liaculum*, λειαντὴρ. Verbum *liare* apud Tertullianum legitur, hoc ſenſu, *liare ciſternas*. *Limen* igitur ut diverſæ notionis ac *limes*, ita & originationis. Apud poëtam, *lato te limite ducam*. Non potuiſſet poëta pro eodem dicere, *lato te limine ducam*. Apud eumdem poëtam Georgicῶn II. de ordinibus vitium:

--- Nec ſecius omnis in unguem
Arboribus poſitis ſecto via limite quadret.

Si

Si legerertur, *ſecto via limine*, non quadraret, nec locum ibi habere poſſet. Sæpe *limen* pro ingreſſu, ut *limen Auſoniæ* Poëtæ. Idem:

Limen erat, cæcæque fores, & pervius uſus
Tectorum inter ſe Priami.

Non recte ibi poſuiſſet, *limes erat*. Nec in ullis porro vocabulis id deprehendatur Latinis, ut terminatio ſit promiſcua cuiuſquam in *es* & in *en*, ut *pavo* & *pavus* indifferenter uſurpantur, *materia* & *materies*. Hoc igitur maxime ridiculum, *limitem* & *limen* tantum flexionis modo differre. Quemadmodum autem tranſverſa via qua duo agri ſeparantur invicem & diſterminantur, *limitis* nomine proprie vocabatur apud agrimenſores, ita via etiam quæ duorum populorum fines dividebat, *limes* dicebatur, & *limites* pro finibus. *Poſtliminium* non ab illis limitibus dictum, ſed à domus limine quæ ultima pars ædium in publicum ſpectans. Inde de his qui domum rediiſſent, à qua exierant, in exteram ſua ſponte regionem profecti, aut ab hoſtibus capti, id verbum proprie uſurpatum. Cicero pro Balbo, *ad populum latū, ut is Publicius, ſi domum reveniſſet,*

&

& inde Romam rediſſet, ne minus civis eſſet. De poſtliminio ibi loquitur. Quia *limen* prima pars eſt domum intranti, poſtrema exeunti, ideo *poſtliminium* de reverſione proprie dicitur, quæ ad *limen* domus, id eſt, domũ fit, ut *eliminatio*, vel *eliminium* de domo vel limine domus egreſſio fuerat. Quod autem poſteriores Iuriſconſulti *poſtliminio* tum quoque locum eſſe ſanxerunt, cum quis intra limites receptus eſſet civitatis, vel provinciæ, vel reipublicæ, regnive à quo exierat, id non facit, ut *limes* & *limen* idem ſignificet, & ſeriore uſu, ut viri docti ſentiunt, factum ſit, ut *limen magis ad privata, limes ad publica referretur.* Immo non ſerior uſus tantum, ſed etiam antiquior, limen à limite diſcrevit. Nec *limes* ad publica tantum refertur cum ſua propria ſignificatione, ſed etiam ad privata. Inde *limites agrorum*; quibus privatorum poſſeſſiones terminantur. Atque, ut ſcribunt Frontinus, & Aggenus, in libris de limitibus agrorum, *limes eſt quodcunque in agro opera manuum factum eſt, ad finium obſervationem.* Hæc ſignificatio limitis longe abeſt à notione *liminis.* Eſt ergo *poſtliminium* ſecundum vim ac proprietatem nominis, ius ex quo naſcitur reditus

ad

ad limen, id eſt, domum. Si limen de finibus publicis interpretamur, ut fecit vir eruditiſſimus, nullum erit poſtliminium ſervorū. Non enim aliter poſtliminio rediiſſe ſervus cenſebatur, niſi cum domum domini reverſus foret, & in eius poteſtate eſſet, ut conſtat ex leg. ult. D. de captivis, & poſtliminio. *Cum ſervus*, inquit Paulus, *civis noſter, ab hoſtibus captus inde aufugit, & vel in urbe Roma ita eſt, ut neque in domini ſui poteſtate ſit, neque ulli ſerviat, nondum poſtliminio rediiſſe exiſtimandus eſt*. Qui poſtliminio redeunt, domum redire eos ac revenire, omnes auctores dicunt. Cicero lib. 1. de oratore: *Similique in genere, inferiore ordine ſi quis apud nos ſerviſſet ex populo fœderato, ſeſeque liberaſſet, ac poſtea domum reveniſſet, quæſitum eſt, num is apud maiores noſtros poſtliminio rediiſſet, & amiſiſſet hanc civitatem*. Nec aliter Iuriſconſulti ipſi loquuntur. Florentinus leg. XXVI. D. eodem, de poſtliminio reverſis. *Nec enim ſatis eſt, corpore domum quem rediiſſe, ſi mente alienus eſt*. Vim nominis ita explicat Cicero in Topicis ad Trebatium, ex Scævola, *ut, quæ à nobis alienata ſunt, cum ad hoſtem pervenerint, & ex ſuo tanquam limine exierint, dein cum redierint poſt ad idem limen, poſtliminio videan-*

videantur rediiſſe. Quod non de limite, ſive de finibus imperii intelligendum eſt, ſed de limine domus. Nam ſuum limen cuique eſt propriæ domus, non imperii limes. Boëthius ad illa Topicorum: *Quæcunque enim à nobis abalienata ad hoſtem pervenerint, cum è noſtro limine exierint, ſi poſt ad idem limen revertantur, poſtliminio redeunt.* E limine noſtro, id eſt, domo noſtra, non è finibus imperii. Græci quoque βηλὸν, id eſt, limen pro domo accipiunt. Apud Homerum Vulcanus deiectus dicitur, ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο, id eſt, *à limine domus* divinæ, *è cænaculo cœli*, ut poëta Latinus loquitur. Sed hæc diſputatio de verbo. De re ipſa videamus. Poſtliminium & in bello competebat, & in pace. leg. III. D. de poſtliminio. Quod ita explicandum, ut in bello captis bello adhuc manente poſtliminium tantum eſſet, id eſt, eodem bello recipi poſſent poſtliminio. Si pax ex illo bello fieret inter partes, non reditus daretur poſtliminio, iam pace facta iis qui belli tempore non rediiſſent, niſi in pactis de pace cautum eſſet, ut captivi redderentur. Parum igitur refert quomodo legantur verba Tryphonini leg. XII. D. eodem, dummodo ſententia ea conficiatur,

tur, ut in pace negaretur poſtliminium illis qui bello capti fuerant, niſi in pactis id eſſet comprehenſum. Aut igitur reſcribendum in eius verbis, inſerta negatione: *In bello poſtliminium eſt, in pace autem non his qui bello capti erant, de quibus in pactis nihil erat comprehenſum.* Aut pro *nihil* legendum *id*, ut placuit viris doctiſſimis: *De quibus in pactis id erat comprehenſum.* Id eſt, cum pactis comprehenſum erat, ut captivi redderentur. Non dabatur alias bello captis in pace poſtliminium, quia ne induciarum quidem tempore poſtliminio locus fuit, id eſt, non licuit cuiquam captivo tempore induciarum ad ſuos redire, ut poſtliminio reciperetur. Multo minus ergo in pace poſtliminium his datum eſſet quod per inducias non concedebatur, ut eſt in leg. XIX. π. I. D. eodem. Poſtliminium autem in pace etiam competebat, ſed his tantum qui pacatis reipublicæ temporibus nullo hoſte exiſtente ad exteros perveniſſent, ibique quoquomodo ſedem fixiſſent. Iſtis in patriam revertentibus poſtliminium in pace dabatur, ut in pace ſemet ipſos à patria alienaverant. Corrigendus in hac voce Tryphoninus lege ſupraſcripta: *Verum in pace qui perve-*

venerunt ad exteros. Ita enim ſcribi debet, non *ad alteros*. Quod ineptum eſt. Ea verba more ſuo, & ſollemni hariolatione, Advocatus è gloſſemate eſſe putat, idque adiectum ad illa, *ſervi efficiuntur.* Quinam illi exteri ſint cum quibus in pace poſtliminium erat, videndum. Nam cum nullus eſſet hoſtis populi Romani, plena pace, non potuit eſſe poſtliminium cum hoſte qui nullus erat. Id igitur competebat cum illis populis, cum quibus bellum non erat, ſed pax. Quales iſti fuerint, & quale illud poſtliminiũ, quod in pace dabatur, quærendum. Nam in utroque explicando hærent Doctores hodierni, nec veteres inter ſe videntur ſatis convenire, quin & aperte diſſentiunt invicem. In bello cum hoſtibus poſtliminium erat, in pace cum iis qui non erant hoſtes. Quinam illi proprie ſint intelligendi, cum non una ratio nec conditio eorum eſſet populorum, qui non habebantur hoſtes, diſpiciendum. In tria maxime genera dividebantur civitates quæ bello non diffidebant: *Stipendiariæ* erant, aut *fœderatæ*, aut *liberæ*, ut notat Servius ad III. Aeneidos. Ex iſtis tribus civitatum aut populorum generibus, & conditionibus, in

in quas *exterorum* appellatio competat, videamus. Exteri dicũtur Tryphonino, cum quibus populo Romano poſtliminum erat extra bellum. *Extera gens* Pomponio leg. VI. D. eodem. Idem Pomponius leg. V. eo Titulo, ut explicet cum quibus in pace poſtliminium erat, ita ſcribit: *In pace quoque poſtliminium datum eſt. Nam ſi cum gente aliqua neque amicitiam neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus, hi hoſtes quidem non ſunt: quod autem ex noſtro ad eos pervenit, illorum fit, & liber homo noſter ab eis captus, ſervus fit & eorum.* Cum *exteris* populis poſtliminium fuit Romanis qui hoſtes non eſſent. Sic enim *exteri* à *ſuis* diſtinguuntur. Ad ſuos redit qui poſtliminio revertitur: ad *exteros* pervenit qui abit ad illos populos cum quibus eſt poſtliminium in pace. Cum his eſt autem ex interpretatione Pomponii, quæ nulla ſocietate, amicitia, hoſpitio, fœdere coniuncti erant cum populo Romano. Fœderatatarum ergo civitatum populi non habebantur exteri, nec ſtipendiatairiarum. Nam in ditione ac fide populi Romani cum eſſent, minus etiam hoc nomine *exterorum* cenſeri debent quam amici & fœderati. Soli ergo *liberi* populi qui nec fœderati

forent, nec ſtipendiarii, *exteri* Romanis dicebantur, & cum his ſolis in pace poſtliminium competebat. Paulus leg. XIX. *liberos* populos & reges eos eſſe dicit cum quibus in pace erat poſtliminium, & *extraneos* etiam appellat. *Poſtliminium*, inquit, *eſt ius amiſſæ rei recipiendæ ab extraneo & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos & liberos populos regeſque moribus & legibus conſtitutum.* Liberos intelligit populos aut reges qui nec amici nec fœderati eſſent, & propterea *extranei* & *exteri* habebantur. Adeo autem cum ſociis & amicis populis ac regibus poſtliminiũ non fuit, ut è contrario poſtliminio rediſſe videretur qui ab extraneis in pace, vel ab hoſtibus in bello redux in civitatem ſociamamicamve, aut ad regem ſocium amicumve veniſſet, ut diſerte ſcribitur in leg. XIX. III. D. eodem. Soli igitur *extranei* dicebantur & *exteri*, liberi populi regeſque qui nec ſocii, nec amici, nec fœderati erant. Idem Paulus eadem lege: *Idque naturali æquitate introductum eſt, ut qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines ſuos rediiſſet, priſtinum ius reciperet.* Nec ſolum ſi in fines ſuos rediiſſet, ſed etiam ſi in fines ſocii alicuius amicique populi vel regis, ut paulo poſt dici-

dicitur. Ergo ſocii & fœderati populi regeſque non extranei vel exteri habiti Romanis, nec cum his poſtliminium fuit Romano populo. Cum hæc ita ſint, quomodo Proculi verba interpretabimur in leg. VII? qui expreſſe dicit, liberos & fœderatos populos externos Romanis eſſe, & cum his poſtliminium non eſſe? Sic enim ſcribit, *Non dubito quin fœderati & liberi nobis externi ſint, non inter nos atque eos poſtliminium eſſe*. Quæ oratio intricata, videtur non ſatis planã & congruã habere conſtructionẽ: *Non dubito quin liberi populi & fœderati externi ſint nobis, non inter nos atq; eos poſtliminiũ eſſe*. Præterea falſum & illud *externos* eſſe fœderatos populos. Cum externis poſtliminiũ erat, cũ fœderatis populis nõ erat. Ergo iſti fœderati non externi cẽſiti, nec qui externi dicti, inter fœderatos. Vetuſtiorũ etiam Iuriſconſultorum ſententia plane pugnat cum hac Pauli & Pomponii, atque etiam, ut eius verba ſcripta extant, Proculi opinione, qua ſtatuitur, poſtliminium non fuiſſe cum fœderatis. Ecce enim Gallus Aelius apud Feſtum; qui poſtliminium cum populis liberis, & cum fœderatis, & cum regibus, Romano populo ita eſſe ſcribit, ut cum hoſtibus: *Cum populis liberis & cum fœderatis*

ratis regibus nobis eſt, ita ut cum hoſtibus. Cum hoſtibus in bello poſtliminium fuit, cum liberis & fœderatis in pace. Sic enim quæ dicit accipienda ſunt. Per *liberos* intelligit qui non ſunt fœderati. *Liberos* autem & *fœderatos* ita iunctim ponit ut Proculus dicta leg. VII. *Non dubito quin fœderati & liberi nobis externi ſint.* Enimvero ſi poſtliminium cum fœderatis quoque fuit, etiam fœderati externi habiti. Et verum eſt quod dixit Proculus, liberos & fœderatos externos eſſe. Sed repugnat quod ſubiungitur, *cum his non eſſe poſtlimininm.* Nam cum externis, & cum fœderatis etiam Gallo Aelio teſte poſtliminium fuit. Cum his ſolis qui in ditione populi Romani erant non fuiſſe poſtliminium, idem ſignificat his verbis, quæ ſic legenda ſunt, ut Urſinus olim emendavit, non Cuiacius, ut dictitant viri docti, *Quæ nationes in ditione noſtra ſunt, cum his poſtliminium non eſt.* Hæ ſunt *ſtipendiariæ*, de quibus ante diximus. Ergo his exceptis quæ in ditione populi erant, cum reliquis duobus generibus poſtliminium Romanis fuit, cum fœderatis nempe & liberis. Et utræq; externæ exiſtimatæ. Idem Feſtus Pompeius loco iam citato: *Poſtliminio receptum Gal-*

lus

lus Aelius in libro primo ſignificationũ quæ ad ius pertinent, ait eſſe eum qui liber ex qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redit eo iure quod conſtitutum eſt de poſtliminio. Hæc omnino accipi debere de poſtliminio quod in pace fit, palam eſt. Et cum liber aliquis ex ſua civitate abit in aliam, ac deinde in ſuã redit, ac poſtliminio recipitur, utrum de fœderata civitate an de libera non fœderata, intelligi par eſſet, non dixit Aelius Gallus, quia ex utraque nimirum poſtliminium dabatur. Et certum porro eſt, veteri iure Romano poſtliminiũ Romanis fuiſſe cum civitatibus amicis, ſociis & fœderatis, quod ad iura civitatis attinet, non quantum ad libertatem ſpectat. Atque ita verba illa Galli exponenda ſunt: *Qui liber, ex qua civitate in aliam abierat.* Id eſt, qui ex Romana civitate in fœderatam aliquam civitatem abierat ut ibi civis eſſet, Romanam civitatem is perdebat, nec eam recuperabat niſi poſtliminio. Propterea ſcribit idem Gallus apud Feſtum loco quẽ indicavimus, cum fœderatis etiam populis & regibus ita eſſe poſtliminium ut cum hoſtibus. Quod de iure civitatis, non de libertate intelligendum eſt. Nam civis Romanus non amittebat libertatem

cum civis fœderatæ civitatis fiebat, ſed ius civitatis Romanæ, id eſt, ſuæ. Eam niſi poſtliminio recuperare non poterat, cum ſcilicet in ſuam civitatẽ è qua exierat rediiſſet, poſtliminio in eam reſtituendus. Clare oſtendit Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo, non idem iuris fuiſſe Romanis civibus quod cæteris populis. Civi Romano non licuit duarum ſimul civitatum eſſe, id eſt, Romanæ & cuiuſvis præterea, cæteris omnibus id conceſſum erat. In Græcis civitatibus, ut Athenis aliiſq; Rhodii, Lacedæmonii, cæterique undique cives adſcribi ſolebant, & multarũ iidem homines erant cives civitatum. Liberum quidem Romano homini, in aliam ſe civitatem dicare, hoc eſt, ut loquitur Aelius Gallus, ex ſua civitate in aliam abire, ſed ſuam, hoc eſt, Romanam amittebat, non niſi poſtliminio recipiendam. Ciceronis hæc verba ſunt maxime clara de hoc iure. *Quo errore*, inquit, *ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines noſtros cives Athenis in numero iudicum atque Areopagitarum, certa tribu, certo numero, cum ignorarent, ſi illam civitatem eſſent adepti, hanc ſe perdidiſſe, niſi poſtliminio recuperaſſent. Peritus vero noſtri iuris ac moris nemo unquam, qui hanc civitatem*

tatem retinere vellet, in aliam civitatem ſe dicavit. Et paulo ante ſcribit: *Duarum civitatum civis eſſe noſtro iure civili nemo poteſt. Non eſſe huius civitatis civis qui ſe alii civitati dicarit, poteſt.* Magna poteſtas, ut ibidē ait, fuit ſemper Romano civi mutādæ civitatis, nec fœdere impediebatur quin fœderati populi civitatē adipiſci poſſet, ſed deſinebat eſſe civis Romanus. *Dicatione mutare* civitatē hoc appellabant, cū aliquis ſpōte ſua indēnatus & incolumis ſua civitate relicta in aliam quamcunque ex fœderatis ſe conferebat. Suam poſtea ſi vellet poſtliminio recuperare, in eandē poterat redire ex qua abierat. Cum id iuris & moris vigeret, tum fœderati populi etiam externi Romanis fuere, quia cum his poſtliminium fuit, id eſt, ius amiſſæ civitatis recipiendæ, non libertatis, nec alterius rei cuiuſlibet. Sed hoc ius iam tum ætate Ciceronis adeo exoleſcebat, ut multis ignoraretur, qui putabant ſe poſſe ſimul eſſe Athenis cives & Romæ. Poſtea in totum plane abolitum eſt & poſtliminium, quod eo tempore fuit cum civitatibus etiam fœderatis & regibus, quando de civitatis mutatione & recuperatione agebatur: poſtea cum ſolis exteris & liberis populis, qui ſocii, amici, & fœde-

rati non eſſent, cœpit eſſe, cum de ſola libertate amiſſa quæſtio erat poſtliminio recuperanda. Pomponius de his *exteris*, hoc eſt, populis liberis, non ſocietate, non amicitia, non hoſpitio, non fœdere iunctis: *Quod autem ex noſtro ad eos pervenit, illorum fit, & liber homo noſter ab eis captus, ſervus fit & eorum*. Quod neutiquam dici poſſet de civitate aut republica fœderata. *Etenim*, ut ait Proculus, *quid inter nos atque fœderatos poſtliminio opus eſt, cum & illi apud nos & libertatem ſuam & dominium rerum ſuarum æque atque apud ſe retineant, & eadem nobis apud eos contingant?* Hoc quidem verum de libertate, ut & de dominio rerum, ſed non de civitate. Nam apud fœderatos populos civitatem ſuam non retinebat civis Romanus ſi civem ſe apud eos adſcribi vellet. Hæc igitur ratio non convenit cum his quæ apud eum præcedunt, *liberos & fœderatos Romanis externos haberi*. Contraria quippe ſunt, *externos eſſe, & poſtliminium cum his qui externi ſunt, non eſſe*. Tam fœderati quam liberi populi non fœderati, externi Romanis fuere, & cum utriſque iure quidem Romano antiquo ac more poſtliminium fuit, cum liberis quidem libertatis gratia, quæ apud eos amittebatur, &

& poſtliminio recuperabatur: cum fœderatis vero propter ius civitatis Romanæ, quod apud eos perdebatur, & recipiebatur reverſis Romam poſtliminio. Neutiquam igitur illa Proculi, ut vulgo leguntur, cohærere ſequentibus poſſunt: *Non dubito quin fœderati & liberi nobis externi ſint.* Nam ſi externi tam hi quam illi, cum his poſtliminium Romanis fuerit neceſſe eſt. Quid igitur dicendum? An addenda negatio, & corrigendum? *Non dubito quin fœderati & liberi nobis externi non ſint.* Ne ſic quidem ratio conſtabit. Nam hæc lectio eiuſdem conditionis faceret fœderatos & liberos, negando externos utroſque eſſe, & cum his dari poſtliminium, cum de liberis populis etiam novo iure certum ſit, externos illos habitos, & ius propterea cum his intereſſe poſtliminii, ut liquet ex leg. XIX. D. eodem, ubi Paulus diſertis ac planis verbis dicit, inter Romanos ac liberos populos regeſq; poſtliminium fuiſſe moribus ac legibus conſtitutum, quos & *extraneos* propterea appellat. Nihil igitur certius eſt, quam illa Proculi interpolata & corrupta fuiſſe à Triboniano, cum locum iis daret inter illorum Iuriſconſultorum excerpta, qui alio iure utebantur, & aliam

ſententiam fovebant de poſtliminio cum fœderatis. Corruptelam indicat verborum conſtructio male ambulans, & vix cohærens, nec ſatis omnino Latina. Sic igitur ſcripſiſſe Proculum opiner. *Non dubito, cum fœderati & liberi nobis externi ſint, inter nos atque eos poſtliminium eſſe.* Eadē plane ſententia eſt Aelii Galli apud Feſtum iiſdem pene verbis expreſſa, *cum populis liberis & cum fœderatis regibus, poſtliminium nobis eſt ita uti cum hoſtibus.* Aetate Proculi & Aelii Galli obtinebat adhuc ius illud Romanum vetus, quo cum fœderatis populis regibuſque poſtliminium fuit, ob civitatem Romanam, quæ apud eos amittebatur, poſtliminio recuperabatur, ut iam diximus. Ciceronis ævo Ius illud à multis ignorabatur, ut ipſe teſtatur. Poſtea in deſuetudinem ex ignoratione prorſus abiit. Et ceſſavit ius poſtliminii inter Romanos & fœderatos populos, poſtquam licuit civi Romano etiam civē fieri in civitate fœderata. Quod antea non licebat Romano cuiquam ut duarum eſſet civitatum civis. Ea igitur moris mutatio non contigit ubi civitas data eſt per Antoninum omnibus provincialibus Romano imperio ſubiectis, quaſi hoc iure poſtliminii non amplius opus eſſet, civitate

tate data omnibus in orbe Romano agentibus. Provinciæ quippe illæ Romanæ fuerunt, & ſub ditione Romana, quibus jus civitatis datum eſt vel ab Antoniuo Pio, vel à Caraculla, cum quibus nullum poſtliminium fuit. Ipſe quippe Aelius Gallus dixit, cum his qui in ditione populi Romani ſunt, id eſt, cum ſtipendiariis, nullum eſſe poſtliminium. Præterea jus illud civitatis Romanæ provinciis omnibus orbis Romani indultum non potuit mutare jus poſtliminii quod inter fœderatos populos regeſque ac Romanos intercedebat. Hoc enim jus nihil vetabat integrum & inviolatum ſervari cum illis populis ac regibus fœderatis, qui extra Romani imperii terminos degebant, quiq; ſui iuris ac liberi ſocii atq; amici populi Romani & fœderati eſſent. Nam cum provindicialibus imperio Romano ſubiectis, quibus civitas ab Antonino data eſt, nullum potuit eſſe poſtliminiũ. Aliquid igitur oportet fuiſſe cauſæ, cur, cum antea inter fœderatos populos & Romanos poſtlimininium eſſet, id poſtea exoleverit, ac mutatum ſit. Non poteſt alia cauſa huius mutationis fingi præter eam quam diximus. Olim civis Romanus non poterat eſſe civis dua-

duarum civitatum. Si quis igitur in fœderata civitate vel populo civem adſcribi ſe pateretur aut optaret, excidebat iure civitatis Romanæ, ſed eam poſtliminio recipiebat, ſi Romam rediret. Exul apud Fœderatos, ſi civis eorum fieret, ab exilio reverſus civitatem recuperabat. Tribus modis mutatio civitatis in cive Romano contingebat, aut exilio, aut poſtliminio, aut reiectione ſuæ civitatis, id eſt, Romanæ cũ ſcilicet in aliam ſe dicabat. Cicero pro Balbo: *Quid ſi civi Romano licet eſſe Gaditanum, ſive exilio, ſive poſtliminio, ſive reiectione huius civitatis.* Ubi hoc moris habere deſierunt Romani, ut duarum civitatum non poſſent eſſe cives, poſtliminium etiam cum fœderatis ceſſaſſe veriſimile eſt, quod ſola civitatis ratione conſtitutum fuerat. Iam Traiani ævo morem illum abolitum fuiſſe, ex reſcripto eius ad Plinium perſpicuum eſt. ubi Harpocrati iatraliptæ, qui iam Romanam civitatem impetraverat, Alexandrinam quoque concedit, rogatu Plinii. At veteri iure moreque civi Romano alia civitas dari non poterat, niſi dimitteret Romanam. Hanc retinere cupienti in aliam ſe dicare non licitum. Cum igitur Proculus ex antiquo iure

quod

quod ætate ſua obtinebat, ſcripſiſſet, *fœderatos & liberos populos* Romanis externos eſſe, & proinde inter eos & Romanos poſtliminium eſſe, Tribonianus eius verba interpolavit, ut accommodaret ea novorum Iuriſconſultorum ſententiæ, quorum ſæculo aliud ius invaluit, antiquato illo quod prius receptum erat. Non contentus ad eum modum verba ejus immutaſſe & in contrarium ſenſum invertiſſe, rationẽ etiam addidit de ſuo cur poſtliminium non poſſit eſſe cum fœderatis populis, quia nimirum non opus eſſet poſtliminii iure inter Romanos & fœderatos, quia & illi apud Romanos libertatem ſuam retinerent, rerumque ſuarum dominium, & Romani viciſſim apud illos eodem privilegio uterentur. Sed ut hæc conſtare poſſent, debuit etiam ex verbis Proculi delere mentionem *Liberorum*. Falſiſſimum quippe eſt, cum *liberis* populis etiam tempore novorum Iuriſconſultorũ poſtliminium non fuiſſe Romanis. Falſum etiam illud, non *externos* habitos Romanis populos regeſque liberos. Qui *liberi* autem abſolute dicebantur populi, vel reges, non alii hoc nomine tunc temporis intelligebantur quam qui nullius

populi

populi poteſtati erant ſubiecti, quique etiam à fœderatis diſcernebantur, ut ſupra docuimns. Unde illa veterum diſtinctio *inter civitates ſtipendiarias, liberas, & fœderatas*. Ergo *liberæ* eæ proprie quæ non fœderatæ. Quomodo & *liberos* accipi debere certum eſt apud Paulum leg. XIX, cum dixit, inter Romanos & populos regeſque *liberos* poſtliminium moribus & legibus eſſe conſtitutum. Idque Pomponii verbis interpretari licet de his populis ac regibus, cum quibus neque amiciciam, neque hoſpitium, neque fœdus amiciciæ cauſa factum Romani habebant. Hi proprie ergo *liberi* qui non fœderati. Cum Proculus *fœderatos* ac *liberos* ita diſtinxiſſet, & cum utriſque iure & more qui tunc in uſu fuit poſtliminium eſſe dixiſſet, Tribonianus coniunctim ea verba accepiſſe videtur de populis liberis fœderatis. Quod ut ipſi commodius procederet, etiam ſequentia verba Proculi interpolavit, quibus ille exponebat diſtincte, quinam eſſent populi liberi, & qui fœderati, inter quos & Romanos poſtliminium ceſſit. Fraus interpolationis Tribonianæ manifeſte apparet in his Proculi, ſicut ab eo immutata ſunt præter mentem & ſenten-

tiam

tiam veteris Iuriſconſulti : *Liber autem populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubiectus, ſive is fœderatus eſt.* Item, *ſive æquo fœdere in amiciciam venit.* Hæc mira loquendi ſtribligo eſt à Triboniano fabricata, ut videretur Proculus in his quæ præcedunt coniunxiſſe liberos cum fœderatis, & intellexiſſe liberos populos qui fœderati eſſent. Quis autem non videt, Proculum *liberos* à *fœderatis* ſeparaſſe, ut omnes auctores eos invicem ſeiunxerunt? In expoſitione utrorunque etiam ſeparatim de his ſcripſerat in hunc modum: *Liber autem populus eſt is qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubiectus. Is fœderatus eſt, ſive æquo fœdere in amiciciam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi maieſtatem comiter conſervaret.* Separatim igitur Proculus explicaverat, quinam dicerentur populi *liberi*, quinam *fœderati*. Et cum eius ætate cum utriſque poſtliminium eſſet Romanis, etiam utrique *externi* habebantur, ut initio dixit: *Non dubito, quum fœderati & liberi nobis externi ſint, inter nos atque eos poſtliminium eſſe.* Hi ſunt plane *liberi*, quos etiam *extraneos* appellavit Paulus, & qui à fœderatis diſcernuntur. Fœderati quidem & ipſi liberi habe-

habebantur, quocunque genere fœderis in amiciciam veniſſent, ut ibi Proculus docet, ſed proprie & κατ' ἐξοχὴν *liberi* vocabantur populi, qui nullo fœdere neque æquo neque iniquo cum Romanis iuncti tenebantur. Eadem igitur Aelii Galli & Proculi ſententia fuit, cum fœderatis poſtliminium interceſſiſſe quantum ad civisatis mutationem attinet, cum liberis vero civitatibus quantum ad libertatis recuperationem. Quod idem Gallus, ut iam monui, clare ſignificavit cum dixit, *eum qui liber, ex qua civitate in aliam civitatem abierat, in eandem civitatem redire eo iure quod conſtitutum eſt de poſtliminio.* Nam de civitatis mutatione eum loqui, quæ alterius reiectione fit, & alterius electione, hæc verba oſtendunt. At prioris ius recuperari poterat poſtliminimo ab eo qui ex fœderata civitate in quam abierat in ſuam redibat. De his ita ſcripſerat in libris ſignificationum Verborum quæ ad ius pertinent. Ex quo colligitur, receptam eam illo in tempore fuiſſe ſententiam de poſtliminio cum fœderatis. Idem Feſtus in voce *Reus*, citat Aelium Gallum in ſecundo libro ſignificationum verborum quæ ad ius pertinent. De libero igitur homine minime

me controverſum fuit apud veteres, quin ex fœderato populo rediens, aqud quem ius civitatis adeptus fuerat, ſua amiſſa, poſtliminio eam recuperet. De libertate an dubitatum ſit videamus. Ad hoc citantur illa Ciceronis lib. 1. de Oratore: *Similique genere inferiore ordine ſi quis apud nos ſerviſſet ex populo fœderato, ſique liberaſſet, ac poſtea domum reveniſſet, quæſitum eſt apud maiores noſtros num & ad ſuos poſtliminio rediiſſet, & amiſiſſet hanc civitatem.* Idem iuris & in eo fuit qui ex Romanis ſerviſſet in fœderata civitate ſi liber ibidem factus poſtea domum reverſus eſſet, eademque quæſtio de eo fuiſſet, an poſtliminio in eo locus eſſet, deſineretque eſſe civis fœderatæ civitatis, & ſuam recuperaret. Eam controverſiam ipſe populus Romanus decidit in perſona Cn. Publicii Menandri, libertini hominis, quem legati Romani in Græciam proficiſcentes interpretem ſecum habere volebant. Ex Græca aliqua civitate, ut apparet, ille captus fuerat, per quam tranſeundum erat Legatis Romanis, aut in quam etiam mittebantur. Ius commune tum videtur fuiſſe ut ad ſuos reverſus ille libetinus civitatem ſuam recuperaret amiſſa Romana. Ad populum latum

eſt, *ut is Publicius, ſi domum reveniſſet, & inde Romam rediiſſet, ne minus civis eſſet.* Hoc ita à populo conſtitutum eſt in illo Publicio pręter ius cōmune & vulgatum. Nulla enim opus fuerat populi rogatione, ſi id tum foret receptum, ut poſtliminio locus non eſſet in illo libertino qui Romæ ſervierat, cum domum ad ſuos reveniſſet. Poſtliminium igitur illud fuit, ſed populus Romanus ei iuri derogavit propter Publicium cuius opera uti voluerūt legati Romani ut interpres ipſis eſſet in Græcia apud ſuos. Præterea poſtliminium non cōpetebat niſi volentibus. Publicio illi volenti apud ſuos remanere poſtliminio civitas ſua reddebatur, amittebatur Romana. Redire ad Romanos cupienti, civitas Romana conſervabatur. Et ſuperflua certe illa lex fuit quæ de eo tunc lata eſt, ut recte pronuntiavit Pomponius leg. III. ꝑ. III. ubi hoc thema ita tractavit ac definivit: *Captivus autem ſi à nobis manumiſſus fuerit & pervenerit ad ſuos, ita demum poſtliminio reverſus intelligitur ſi malit eos ſequi quam in noſtra civitate manere.* Ideo de Regulo Attilio viſum eſt non poſtliminio reverſū eſſe Romam, quia priuſquam Carthagine diſcederet, iuraverat ſe ad eos reverſurum.

Non

Non venerat igitur animo remanendi apud ſuos. Tum Pomponius exemplum de illo Publicio nominatim refert, atque oſtendit, legem ſuper eo latam ut civis Romanus maneret quamvis ad ſuos rediiſſet, ſupervacuam fuiſſe quia à voluntate eius totum hoc pendebat. *Et ideo*, inquit, *in quodam interprete Menandro, qui poſtquam apud nos manumiſſus fuerat miſſus eſt ad ſuos, non eſt viſa neceſſaria lex, quæ lata eſt de illo ut maneret civis Romanus. Nam ſive animus ei fuiſſet remanendi apud ſuos, deſineret eſſe civis, ſive animus fuiſſet revertendi, maneret civis. Et ideo lex eſt ſupervacua.* Non expreſſum eſt, neque à Cicerone, neque à Pomponio, utrum ex civitate fœderata hic ſerviſſet Romæ, an libera. Ex hoſtibus captus belli tempore non videtur. Nam bello captis in pace poſtliminium non dabatur, niſi conveniſſet reddi captivos. Ex pacto autem redditus eſſet, ſi id eſſet fœdere comprehenſum. Utrum autem ex fœderato an ex libero populo ſervierit Romę, nihil intereſt, quantum ad rem attinet de qua agitur. Non enim de ſervitute hic quæſtio fuit, ſed de civitate. Et male Hugo Grotius in libro de iure belli ac pacis III. cap. XIII. notat, iuris olim controverſi fuiſſe, an, qui

apud nos ſerviunt ex populo fœderato, ſi domum revenerint, poſtliminio redeant, & ita hanc quæſtionem proponere Ciceronem primo de Oratore. Immo non de ſervis, id eſt, de his qui apud nos ſerviunt ex populo fœderato, hanc poſuit controverſiam Cicero, an poſtliminio redirent, ſi domum reveniſſent, id eſt, an libertatem cum civitate recuperarent, ſed de libertis, id eſt, ſervis qui libertatem adepti eſſent & cives facti Romani ex fœderata civitate. Sic enim ſcribit, *ſi quis apud nos ſerviſſet ex populo libero, ſeque liberaſſet, ac poſtea domum reveniſſet.* Non igitur hoc de ſervo facto ex fœderata civitate quæſitum eſt apud veteres Romanos, an poſteaquā ad ſuos reveniſſet, libertatē poſtliminio reciperet apud ſuos, ſed an civitatem reciperet ſuam amitteretque Romanam. Et verba Ciceronis hoc manifeſte declarant: *Quæſitum eſt apud maiores noſtros, num is ad ſuos poſtliminio rediiſſet, & amiſiſſet hanc civitatem.* Nimirum recuperando ſuam iure poſtliminii. Sequitur ſtatim apud eumdem: *Quid de libertate, quo iudicium gravius eſſe nullum poteſt?* Non itaque ea quæſtio fuit de libertate, ſed de civitate, ideo non de ſervo illud controverſum fuit, ſed

ſed de eo qui iam libertatem erat conſequutus & Romæ civitatem adeptus. Sed dixerit aliquis, ſi fœderati apud nos libertatem ſuam conſervant ac retinent, cur ille ex fœderato populo Romæ ſervitutem ſerviit? De hoc non agebatur. Nec puto unquā dubiū viſum fuiſſe Romanis Iuriſcōſultis an fœderati apud fœderatos libertatem ſuam retinerent rerūque ſuarum dominium. Nec Cicero dicit eum liberatum eſſe, qui Romæ ſervierat ex fœderato populo, ſed ſe liberaſſe. Quocunque caſu ſervierit, nam multi fingi poſſunt, illud tantum in quæſtione fuit apud priſcos Romanos, an hic qui Romæ ſervitutem ſervierat, ſeque liberaverat, & Romanæ ius civitatis adeptus fuerat, ubi ad ſuos reveniſſet, amitteret Romanam civitatem. In homine libero qui ex fœderata civitate Romam veniſſet civiſque Romanus factus eſſet, ſi ad ſuos reveniſſet denuo, non erat dubium quin poſtliminio rediiſſe intelligeretur, ſuamque civitatem recepiſſet, Romana amiſſa, ſi modo eo animo in patriam rediiſſet ut ibi remaneret, nec Romam reverteretur. Sed in eo qui ſervitutem ſerviſſet & libertatem ſimul conſequutus eſſet cum civitate, non ſine dubitatione

 id

id evaſit an ad ſuos reverſus poſtliminio rediiſſe videretur, & amiſiſſe civitatem, quam cum libertate nactus fuerat apud Romanos. Poſteriores tamen Iuriſconſulti ita hanc controverſiam diremerunt, ut arbitrio eius id permiſerint qui manumiſſus eſt apud nos, ut reverſus ad ſuos animo remanendi civitatem ſuam recipiat, noſtram amittat, & ſic intelligatur poſtliminio rediiſſe. Sin contra revertendi ad nos animum habuerit, civitatem noſtram non amittat, nec poſtliminio locus detur. Iam iſtud conſtare puto, quantum ad civitatem attinet, ius poſtliminii competiſſe etiam cum fœderatis populis antiquo iure Romano, ſicut Aelius Gallus & Proculus tradiderunt. Idque ius poſtea abolitum eſt. Cui abolendo cauſam non dedit civitas conceſſa omnibus provinciis imperio Romano ſubditis. Fatendum tamen eſt, eam rem multū derogaviſſe priſtino iuri morique quo nemo civis Romanus poterat eſſe duarum civitatum civis. Super hoc enim iure quaſi fundatum fuit poſtliminium quod inter fœderatos populos & Romanos conſtitit, de civitate poſtliminio mutanda. Ubi enim omnibus provinciis datum eſt ius Romanæ civitatis, evanuit

evanuit quodammodo ille mos & illud ius, quo Romano civi non licuit alienam civitatem adoptare & ſuam retinere, cum eviluiſſet quadam tenus ius Romanæ civitatis, tot populis communicatum. Qui vetus ius quod ab Aelio Gallo traditur & à Proculo ex noſtra interpretatione, cum poſteriorum Iuriſconſultorum ſententia in totum diverſa conciliare ſtuduerunt, operam prorſus luſerunt. Cuiacius genera fœderum diſtinguenda putavit, ut nempe cum certo modo fœderatis poſtliminium fuerit, cũ aliis non fuerit. Ut qui pares bello, æquo fœdere in pacem atque amicitiam venerunt. Et quibus bello victis dicta lex eſt, ut alterius populi maieſtatem comiter conſervarent. Quæ etiam duo genera fœderum notantur leg. VII. Cum his non ſit poſtliminium. *Quod Aelius Gallus*, inquit idem Cuiacius, *etiam ſignificavit, his quæ apud Feſtum reponimus his verbis, Quæ nationes in ditione noſtra ſunt, cum his poſtliminium non eſt.* Ergo ex ſententia Cuiacii poſtliminium non erat cum fœderatis eiuſmodi qui pares æquo bello in amicitiam & pacem venerant, neque cum his quibus bello victis dicta lex erat, ut alterius populi maieſtatem comi-

 ter con-

ter conſervarent. Et quod magis mirum eſt in tanto viro, utriuſq; generis fœderatos putat eoſdē eſſe cum his quos Aelius Gallus ſub ditione populi Romani fuiſſe dicit. *Nam & hi*, inquit, *fœderati ſunt, ut opinor, qui maieſtatem noſtram conſervare iuſſi ſunt.* Ego vero opinor, eos qui ſub ditione eſſent, multū diverſos fuiſſe à fœderatis. Nā ſub ditione ſunt ſtipendiarii, utique à liberis fœderatis qui ſe proprie dicuntur, conditione multum diſpares. Sub ditione quippe ſunt, qui ſub imperio ſunt ac dominatū, & proinde minime pro liberis habentur, qui ea conditione alicui parent. Virgilius, lib. I. *Et victor ditione premebat.* Item lib. VII. *Et late iam tum ditione premebat.* Et de Romanis:

Qui mare qui terras omni ditione tenerent.

Vbi Servius exponit, *poteſtate. Omnis enim*, inquit, *poteſtas, dictis conſtat*, id eſt, *imperio.* Poeta fere ſemper cum hac voce utitur verbo *premendi.* ut lib. X.

--- magna ditione iubeto
Carthago premat Italiam.

Ἐπικράτειαν & ἐξουσίαν optimæ Gloſſæ interpretantur. *Ditiones*, ἐξουσίαι. *Ditio*, ἐξουσία. Qui ſub ditione itaque, ſub ἐξουσίᾳ eſſe & poteſtate & imperio cenſendi. Quod longe abeſt à fœdere, quo liberi

manent

manent qui per fœdus in amicitiam venerunt. Philippo in has leges pax data eſt à Romanis, ut refert Livius lib.XXXIII, *Ut omnes Græcorum civitates quæ in Europa quæque in Aſia eſſent libertatem & ſuas leges haberent. Quæ eorum ſub ditione Philippi fuiſſent, præſidia ex his Philippus demeret.* Ergo præſidiis impoſitis teneri ſolitæ quæ ſub ditione erant. Eſt quidem ac dicitur *æquum fœdus* quod coitur inter duos populos amicitiæ cauſa. Proculus: *ſive æquo fœdere in amicitiam venit.* De eo intellexit & Pomponius leg. III. §. II. de poſtliminio: *Nam ſi cum gente aliqua neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus.* Hoc eſt, *fœdus æquum* Proculi, quo in amicitiam utrimque venitur. *Minus æquum* apud eundem habetur; cum pactis comprehenſum eſt ut is populus *alterius populi maieſtatem comiter conſervaret.* Sic enim ſcribit, *ſive æquo fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt ut is populus alterius populi maieſtatem comiter conſervaret.* Hi etiã fœderati, ſed non æquo fœdere, non enim amicitiæ cauſa facto. Amicitia autem æquat amicos, φιλότης ἰσότης. Nam fœdus ſine amicitia non eſt æquum. Aequum vero fœdus quod æquis legibus

 inter

inter duos contrahentes iungitur, quod à deditione toto genere diſtat. Livius lib. XXVIII. *Mos vetuſtus erat Romanis, cum quo nec fœdere nec æquis legibus iungeretur amicitia, non prius imperio in eum tanquam pacatum uti, quam omnia divina humanaque dedidiſſet, obſides accepti, arma adempta, præſidia urbibus, impoſita eſſent.* Hinc talis diſparitas oritur, ut eſt dominorum & ſervorum. Nam deditícii pro ſervis. Non tanta eſt inter eos qui pacem dant, & quibus datur iniquis legibus & non æquo fœdere. Non tamen ea eſt parilitas quæ in æquo fœdere intervenit. Qui enim alterius populi maieſtatem comiter conſervare iubentur, eum populum ſuperiorem agnoſcunt, non parem. Quod & Proculus in eadem lege tradit, *Hoc enim adiicitur, ut inelligatur, alterum populum ſuperiorem eſſe, non ut intelligatur, alterum non eſſe liberum.* Hoc ergo genus fœderatorum, quamvis alterum populum ſuperiorem agnoſcerent cuius maieſtatem ex pacto comiter conſervare tenebantur, nihilominus tamen liberum habebatur. *Quemadmodum*, addit idem Proculus, *clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque auctoritate, neque dignitate, neque viribus nobis pares ſint.* Hi fœderati quaſi clientes

clientes erant Romanorum, *liberi* tamen. Ideo non ſub ditione. Nam qui ſub ditione ſunt, neque fœderati proprie dicuntur, neque liberi habentur. Cum igitur dixit Aelius Gallius, *cum fœderatis poſtliminium eſſe*, tam de his fœderatis quam de illis intelligit qui æquo fœdere cum Romanis coniuncti. Iſti amici, illi quaſi clientes & in fide populi Romani erant, hoc eſt, *ſub protectione*, ut vulgo nunc loquimur. Et ſic hæc plane diſtinxit Livius lib. VIII. *Nec in fide populi Romani eſſent, nec in ditione.* Qui in fide ſunt, etiam fœderati. *Fœdera* enim à fide Cicero putavit dicta. Tertium genus fœderis nec fœderis, prorſus iniqui, quo in ditionem accipiuntur quibus leges pacis victor imponit. De eo Virgilius in imprecatione Didonis:

-- Et cum ſe ſub leges pacis iniquæ
Tradiderit.

Ad quæ Servius notat, *propter perditam linguam, nomen, habitum, quæ ſolet victor imponere.* Cum his, teſte AelioGallo, nullum poſtliminium, quia in ditione noſtra ſunt, nec *fœderatorum* appellatione nuncupantur, nec fœderati cenſentur, ut perperam Cuiacius ex illo Aelii Galli loco adſtruere tentavit, cum nihil minus ex eius

verbis

verbis elicere liceat, quæ ſe repoſuiſſe gloriatur. Ita enim Gallus Aelius: *Cum liberis populis & cum fœderatis poſtliminium nobis eſt, uti cum hoſtibus. Quæ nationes in ditione noſtra ſunt, cum his poſtliminium non eſt.* Num potuit apertius diſtinguere *fœderatos* populos ab his nationibus quæ in dicione noſtra ſunt? Qua ratione igitur ductus tantus Iuriſconſultus potuit fœderatos confundere cum illis qui ſunt in ditione noſtra, &, cum utriſque poſtliminium non fuiſſe, quaſi ex ſententia Aelii adfirmare? Et qui æquo fœdere iuncti ſunt nobiſcum, & qui noſtram maieſtatem ex fœdere iubentur conſervare, cum his, ut & cum illis qui in ditione noſtra ſunt, poſtliminium nobis non eſſe vult. Cum quibus igitur fœderatis vult eſſe? *Tertium*, inquit, *genus eſt fœderum*, cum qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam inter ſe ſociali fœdere iungendam coierunt. *Et cum his*, inquit, *forſan Aelius exiſtimavit poſtliminium eſſe, quaſi minus firmo fœdere iuncti ſint nobis.* Quæ inepta eſſe cogor dicere, & ab omni ratione ac veritate aliena. Quaſi vero hi minus firmo fœdere iuncti videri poſſint qui nunquam inimici fuerunt quam qui ex bello & inimicitia pacificati in amicitiam redierunt!

Immo

Immo minus firmi & minus certi amici cenſendi ſunt, qui reconciliati fuerunt, quam qui inimicitias inter ſe nunquam exercuerunt. Sed ponamus, videri firmiores amicos pace facta, qui aliquando hoſtes fuerunt. An hæc ratio ſatis valida eſt ad differentiam tantam ſtatuendam inter hos & illos qui amicitiæ cauſa in fœdus venerunt cum hoſtes nunquam fuerint, ut cum his poſtliminium ſit, cum illis non ſit? Præterea cum *fœderatos* nomine generali nominavit Aelius Gallus, an exiſtimandum eſt, diſcreviſſe genera fœderatorum, & de illo genere tantum intelligi voluiſſe, qui nunquam hoſtes fuiſſent, & ita ad fœdus contrahendum amicitiæ cauſſa veniſſent? Poſtremo facile probari poteſt, Iuriſconſultos qui ſcripſerunt cum fœderatis poſtliminium non eſſe, de omnibus ſenſiſſe fœderatis, etiam de illis qui nunquam hoſtes cum fuiſſent, fœdus amicitiæ gratia iunxerant. Nam Pomponius, ut excipiat cum quibus non ſit poſtliminium, inter nos & illos populos regeſque liberos competiſſe illud tradit, *cum quibus neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus.* Omnia genera fœderum videtur omnino comprehendiſſe, quibus fœde-

fœderibus iunctos populos poſtliminii jus nobiſcum legibus & moribus conſtitutum non habere opinatus eſt. Ergo & illi Iuriſprudentium, qui tradiderunt, inter nos & fœderatos æque atque inter hoſtes poſtliminium intercedere, de omni genere fœderatorum intellexiſſe putandi ſunt. Diverſæ itaque hæ ſententiæ, quæ nec ulla ratione poſſunt conciliari. Hugo Grotius, vir infinitæ lectionis, in libro de Iure pacis & belli, Cuiacii conciliationem ſequutus eſt de diſtinctione fœderum, ſed aliter inter fœdera ea diſtinguendum arbitratur, *Vt, ſi qua eſſent quæ belli duntaxat publici componendi aut cavendi cauſſa eſſent inita, ea nec captivitati in poſterum nec poſtliminio obſtarent. At ſi qua id continerent, ut tuti eſſent publico nomine qui ab his ad illos veniſſent, ut tunc captivitate ſublata ceſſaret & poſtliminium.* Quæ ego prorſus me non aſſequi fateor. Qui componendi publici belli cauſa fœdus inierunt, an non & tutos præſtare debent qui ad ſe veniunt ab illis cum quibus fœdus fecerint? An ulla fiunt fœdera quibus id non contineatur, ea præcipue quibus ex bello amici fiunt qui pace illud componunt? Nec vero ſatis idonea differentiæ ratio, ut ex hac,

hac, quæ nulla eſt, diſtinctione fœderum, poſtliminium in his detur, in illis non conſtet. Quod autem ait, & Pomponium id videri indicare, cum ſcribit, *ſi cum gente aliqua neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus*, neutiquam id mihi videtur. *Cum dixit*, inquit, *fœdus amicitiæ cauſa, oſtendit, & alia eſſe poſſe fœdera quibus nec hoſpitii nec amicitiæ jus inſit*. Non hoc voluit Pomponius, ſed intellexit, cum quibuſdam populis aliquando hoſpitii tantum ius eſſe, & cum aliis fœdus amicitiæ cauſa fieri. Cum aliis alias conditiones eſſe fœderum, ut cum iis qui ſe in fidem noſtram & clientelam dant, qui ex fœdere tenentur maieſtatem eius populi quem ſic ut ſuperiorum agnoſcunt, comiter conſervare. *Proculum quoque*, inquit, *eos à ſe populos fœderatos intelligi qui amicitiam aut hoſpitium tutum promiſerunt, ſatis ſignificat, cum ſubiicit: etenim, quod inter nos atque eos poſtliminii opus eſt, & illi apud nos & libertatem ſuam & dominium rerum ſuarum æque atque apud ſe retineant*. Proculus, cui hæc verba affinguntur, non diſtinxit inter fœderatos, apud quos & libertatem noſtram retinemus, & dominum rerum noſtrarum. Quinimmo paulo poſt, hos fœderatos duum generum

nerum eſſe exponit. Alios quippe eſſe qui æquo fœdere in amicitiam veniunt, ut par habeatur uterque populus qui fœdera iungit: alios qui ſuperiorem eum agnoſcunt cum quo fœdus inierant. Cæterum utrunque genus & fœderatum dici, & liberum haberi, & cum neutro poſtliminium eſſe. De *hoſpitio tuto* nullum verbum apud Proculum, neque apud veteres qui hanc *hoſpitii tuti* in fœderibus appellationem non noverunt nec rem ipſam. Nulla quippe nobis pax cum illis, nullum fœdus, nulla fides, apud quos tutum hoſpitium non habemus. At, quod dixit Pomponius de ea gente cum qua *neque amicitiam*, neque *hoſpitium haqemus*, non de *hoſpitio tuto* id intelligit, ſed de iure hoſpitii vel hoſpitalitatis quod præcipuum fuit apud veteres amicitiæ ſignum tam inter privatos quam inter populos quibus hoc inter ſe ius eſſet hoſpitii. Maius quiddam etiam hoſpitium quam amicitia. Nam multi amici qui non hoſpites inter ſe. At omnes inter quos ius hoſpitii, iidem amici. Cicero in Oratione pro Deiotaro: *Laboro equidem regis Deiotari cauſa cujus mihi amicitiam reſpublica conciliavit, hoſpitium voluntas utriuſque coniunxit, familiaritatem con-*

ſuetudo

ſuetudo attulit. Coniunctioris ergo inter ſe voluntatis, quibuſcum ius hoſpitii intercedebat, quam qui amici tantum eſſent. Ut amicitiam & hoſpitium in privatis diſtinxit Cicero, ita & in populis diſtinguebatur. Nam multi amicitia inter ſe coniuncti erant, inter quos hoſpitium non erat. Pomponius: *cum qua gente neque amicitiam neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus.* Aliud igitur *fœdus* proprie, aliud *amicitia*, aliud *hoſpitium.* Multi populi inter ſe amici ſine fœdere. Multi fœderati amicitiæ cauſa. Cum amicis & fœderatis non ſemper ius hoſpitii fuit. Ergo hoſpitii ius diverſum ab amicitia & fœdere proprie ſumpto. Sæpe & populi cum aliquo privato hoſpitium faciebant, ut Gaditanos cum L. Cornelio Balbo feciſſe Cicero tradit in oratione pro ipſo: *Hoſpitium multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Balbo Gaditanos feciſſe publicè dico.* Græci προξένους proprie appellant eos privatos, cum quibus civitates publice hoſpitium faciebant, ut Gaditani fecere cum Balbo. Ariſtophanes in tractatu, περὶ λέξεων διαστολῆς. Πρόξενοι δὲ inquit, καλοῦνται οἱ κατὰ δόγμα πολιτικὸν προστάται πόλεων ὅλων γενόμενοι καὶ φροντισταὶ, οὓς καὶ οἱ ἀγνοοῦντες ταῖς ὄψεσι δια-

 σι δια-

σι διαπωυθάνονται. Privati qui cum privatis hoſpitium habebant, *ἰδιόξενοι* proprie vocabantur. Nam *ξένοι* voce generali, qui peregrinantur,& in omni loco ac civitate quam adeunt, & quæ ipſis extranea eſt, hoſpites habentur, id eſt, peregrini. Etiam *ξένοι* vocabantur, id eſt, hoſpites, ut idem Ariſtophanes ſcribit, *ἰδίως πρὸς ξένοις, οὓς ἐν τῇ ἰδίᾳ τις ὑπεδέξατο οἰκίᾳ, καὶ συγκατέπραξε τὰ χρήσιμα.* Hi proprie dicti *ἰδιόξενοι*, qui ab antiquo ius inter ſe hoſpitii habebant,à patribus nempe traditum, qui per teſſeras, annulos,& alia ſigna ſeſe viſitabant & agnoſcebãt, quãvis alter alteri antea non viſi. Idẽ Ariſtophanes: *Ἰδιόξενοι δέ εἰσιν οἱ ἐκ πλείονος χρόνου τυχὸν καὶ ἀπὸ πατέρων παραδοχῆς τηροῦντες ἀλλήλοις ὁμόνοιαν, κἂν τῇ οἰκήσει καὶ ταῖς πατρίσιν ἀλλήλων ἀπέχωσιν, καὶ διὰ σφραγίδων καὶ ἄλλων συμβόλων ἀλλήλοις δύνανται ὁμιλεῖν, καὶ οὓς βούλονται συνιστᾶν.* Sic privatorum cum privatis hoſpitium fuit, populorum cum privatis, & populorum cum populis. Ideo Cicero amicitiam etiam & ſocietatem à fœdere ſeparat in oratione pro eodem Balbo: *Cumque noſtris civibus pateat iter ad cæteras civitates, tum vero ut quoque nobiſcum maxime ſocietate, amicitia, ſponſione, pactione, fœdere coniuncta eſt, ita mihi maxime communionem beneficiorum, præ-*

miorum,

miorum, civitatis continere videtur. Alii igitur proprie amici nobis populi, alii ſocii, alii fœderati. Fœderatorum duo fuere genera, ut iam diximus. Vnum æquo fœdere iunctorum, ut illi qui fœdus fecerunt ob amicitiam quæ æqualitatem ut inter pares inducit: alterum ſuperioris populi cum inferiore. Regis ſocii vel amici, civitatis item ſociæ vel amicæ meminit Paulus leg. XIX. D. de poſtliminio: *Sed etſi in civitatem ſociam amicamve, aut ad regem ſocium vel amicum venerit, ſtatim poſtliminio rediiſſe videtur.* Ergo poſtliminium non erat eo tempore cũ civitatibus ſociis & amicis, neque cum regibus ſociis vel amicis, quandoquidem noſtri qui ad eos ex hoſtibus elapſi perveniſſent poſtliminio ad nos rediiſſe intelligerentur. Nec cum fœderatis ſic proprie dictis fuit, ut iam ſupra oſtenſum eſt. Nullum ergo genus fœderatorum extitit, cum quo poſtliminium eſſet Romanis eo ſæculo quo Pomponius & Paulus vixerunt. Nulli autem fœderati fuere, cum quibus non conſtiterit ius poſtliminii quo tempore Aelius Gallus & Proculus ſcripſere, ſed eo ſenſu, quem ſupra ſignificavimus, de civitatis nimirum mutatione. Sed adiicit vir doctiſ-

ſimus quæ ſatis mirari nequeo, ita mihi abſurda & falſa videntur: *Quare quod apud Galliũ Aelium ſequitur, quæ nationes in ditione noſtra ſunt, cum his poſtliminium non eſt, ut recte legit Cuiacius, hoc additamento ſupplendum erit, nec cum his quibuſcum fœdus amicitiæ cauſa habemus.* Scilicet hoc additamentum optime quadrabit cum Aelii Galli ſententia, qui ſcripſit paulo ante, *cum fœderatis populis ac regibus poſtliminium ita nobis eſſe uti cum hoſtibus, & cum his non eſſe qui in ditione noſtra ſunt,* ſi addatur, ut iubet vir eruditiſſimus, *nec cum his quibuſcum fœdus amicitiæ cauſa habemus.* An æquo fœdere coniunctorum amicitiæ cauſa inter ſe populorum eadem eſt conditio, atque illorum qui pacis iniquæ legibus ſe tradiderunt, & noſtra premuntur ditione? An fœderatos cum nominavit Aelius Gallus, cũ quibus poſtliminium uti cum hoſtibus nobis eſſe dixit, non intellexit etiam eos qui æquo fœdere nobiſcum iuncti ſunt? An illi quibuſcum fœdus amicitiæ cauſa habemus, non ſunt fœderati noſtri, nec hoc nomine appellandi ſunt? Hæc viris magnis indigna ſunt. Nihil moror diſtinctiones, & miror ſiqui eas adhibent in explicandis auctoribus præter eorum mentem. Adeone putamus

tamus extitiſſe imprudentes illius ęvi iuriſconſultos atq; parum peritos dicẽdi id quod opus erat, ut ſi ſciſſent cum aliis fœderatis poſtliminium fuiſſe, cum aliis non fuiſſe, id diſerte ac diſtincte exprimere non potuerint? Quis vero credat Aelium Gallum ita ſcribere debuiſſe? *cum fœderatis populis poſtliminium fuit, ſed non fuit cum his quibuſcum fœdus amicitiæ cauſa factum habemus.* Ut paucis *liberorum*, *fœderatorum*, & *ſtipendiariorum* populorum differentiam à Servio notatam abſolvamus, *liberi* hi proprie dicebantur, qui neque fœderati, neque amici, neque ſocii fuere Romanorum. Plenam hi libertatem habuerunt, quæ Græcis αὐτονομία dicitur. Hæc plena ac perfecta libertas in tribus rebus conſtat, in αὐτονομίᾳ, & αὐτοδικίᾳ & αὐτοτελείᾳ. In legibus, magiſtratibus, ac tributis. Qui ſuis legibus utuntur, nec ab aliis eas accipiunt, ſed ſibi ipſi ſtatuunt, ii αὐτόνομοι dicti. Qui magiſtratus ſuos ipſi ſibimet legunt ad iura reddenda, ii αὐτόδικοι. Qui tributa & vectigalia non ab aliis impoſita pendunt, ſed ipſi ſibi imponunt, iidem αὐτοτελεῖς quantum ad ſe, ἀτελεῖς & immunes quantum ad exteros. Hæc duo poſteriora ut plurimum à priore dependent, αὐτοτέλεια nimirum & αὐτοδικία

πολιτεία ab *αὐτονομία*. Nam qui ſuis legibus utuntur, etiam ut plurimum ſuos habent magiſtratus. Magiſtratuum quippe eſt & leges aliquando ponere. Qui autem magiſtratus ab aliis accipiunt, neceſſario etiam & ſub legibus alienis, non ſuis, vivunt. Nam magiſtratus illi externi leges ipſis ponere conſueverũt, & iura dicere. Etiam præſtatio tributi ſæpius inde ſequitur. Non tamen hoc perpetuum. Quod ad populos attinet revera liberos & qui fœderati non erant aliorum, ii plane *αὐτόνομοι*, *αὐτόδικοι* & *αὐτοτελεῖς* habebantur. Tales etiam ii fœderati qui non ex bello, ſed ex mutua ſocietate, amicitiæ cauſa, ſociali fœdere coniungebantur. Hoc proprie *æquum fœdus*, quod æquis legibus utrimque fiebat, & in quo omnia paria ex utraque parte, & par in omnibus libertas conſtabat. Fœdera autem quæ ex bello ad pacificationem ineundam contrahebantur, raro æquis conditionibus ac legibus fieri ſolebant, utpote quæ fere ſemper inter victores & victos intercederent. Prout autem clementia & æquitas victoris eſſet, ita duriores aut mitiores pacis leges inferiori à ſuperiore dicebantur. Raro in his æqualitas inter utrunque populum perfecta & omni-

omnibus ſuis numeris abſoluta ſervabatur. Aliqui à ſuperiore populo ita liberi relinquebantur, ut & libertas in ſola αὐτονομίᾳ conſiſteret & αὐτοδικίᾳ, non αὐτοτέλεια etiam iis daretur. Plena demum his libertas dabatur, cum non ſolum liberi, ſed etiam immunes eſſe iubebantur. Quod beneficio victoris populi hanc immunitatem & αὐτονομίαν conſequerentur, quaſi precariam, non etiam perfecta cenſebatur. Nam qui dederat, ex occaſione & cauſa aliqua eam poterat auferre, ut ſæpenumero à Romanis factum legimus. Tametſi autem & liberi, id eſt, αὐτόνομοι, ſuiſque legibus utentes & magiſtratibus, immuneſque, id eſt, αὐτοτελεῖς & ἀτελεῖς eſſent relicti, in argumentum tamen quaſi ſubiectionis, maieſtatem eius populi à quo hoc beneficium erant adepti, comiter conſervare iubebantur. Quod quid ſit, iam ab aliis eſt explicatum. Immunitas igitur, iura, & leges, plenam conciliant libertatem, hoc eſt, αὐτοτέλειαν, αὐτοδικίαν, & αὐτονομίαν, dummodo hæc ab aliis non acceperint, nec ab illis qui dederint depēdeant. Tales fuere *liberi* populi qui proprie ſic dicebantur, qui, ut interpretatur Pomponius, *nobiſcum neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum*

ctum habent. Ea demum vera ac mera libertas. Talis etiam invenitur in illis populis aut regibus; qui ex nullo præcedente bello, affinitatem aut ſocietatem inter ſe iniverunt amicitię tantum gratia. Et hoc proprie *æquum fœdus* dicebatur. Vt mirer, doctiſſimum Advocatum in libro II. de auctoritate rerum iudicatarum Cap. XVI. numero XII. hæc verba poſuiſſe: *Etſi autem populi liberi qui amicitiam cum potentiori populo iungunt, ſocii ſint, tamen non modo inferiores ſunt, & ſub umbra fœderis æqui, ſi non ſervitutem, certe ſubiectionis ſpeciem aliquam ſubeunt.* Ubi enim alius potentior eſt ac ſuperior, alius inferior & ſubiectior, nulla fœderis æquitas deprehenditur. Perperam etiam idem libro & capite iiſdem num. XVIII. notat, fœderatos ſocios & clientes, qui ſunt in fide potentioris, exteros eſſe. Quod eſt falſiſſimum, ut ex his quæ ſupra docuimus poteſt conſtare. Verba Proculi ibidem corrigere conatus eſt, ſed more ſuo fatoque inſeliciter: *Non dubito, quanquam fœderati & liberi nobis externi ſint, non inter nos atque eos poſtliminium eſſe.* Hæc repugnant externum eſſe, & poſtliminium cum externo non eſſe. Si fœderati externi, cum iis poſtliminium fuit. Præterea

terea liberos populos, id eſt, qui non erant fœderati, neque amici, neque ſocii, & externos fuiſſe conſtat, & cum his poſtliminium fuiſſe.

CAP. XXVII.

De tertio genere poſtliminii, cui locus fuit tam in pace quam in bello. Tryphoninus emendatus leg. XII. D. de poſtliminio. Advocati Pariſienſis emendatio reiecta. Labeo emendatus & explicatus leg. XXVIII. D. eodem. Quid ſit in præda eſſe. Pauli in eadem lege ſententia explanata, & thema legis recte poſitum. Idem Paulus correctus. Poſtliminium non fuiſſe his qui armis victi ſemetipſos dediſſent. Aliud iuris fuiſſe in his qui ex pacto à civitate ſua eſſent dediti. Quid ſit æquum fœdus & non æquum. Δημόσιον apud Atticos carcerem dici, & ita hanc vocem apud Thucydidem eſſe accipiendam. Quæ ſint præſidia, & quomodo præſidia idem ſignificent cum finibus.

DIctum eſt ſuperiori capite, poſtliminium aut in bello, aut in pace conſtitiſſe. In bello quidem, cum ab hoſtibus capti eodem bello manente ad ſuos redeunt, quocunque modo evaſerint, ſive dimiſſi, ſive vi, ſive dolo, ſi-

bi viam fecerint, ſive etiam victis hoſtibus recuperati ſint, ut eſt apud Florentinum leg. XXVI. D. de captivis & poſtliminio. His autem qui capti erant bello, ideo in pace poſtliminium eſſe noluerũt, ne cives ſpem revertendi in pace potius ponerent quam in virtute bellica, ut Servius ſcripſerat. In pace poſtliminium competebat cum pacis tempore quis ad exteros qui nec hoſtes erãt nec fœderati, perveniſſet, & eorum eſſet factus. Is in pace ſimiliter ad ſuos reverſus poſtliminio ſtatim ſuam recuperabat libertatem. Tertium à Tryphonino genus poſtliminii ponitur, cui locus fuit tam in bello quam in pace, cum quis nimirum in pace ad exteros profectus negotiandi cauſa aut κατὰ τί χρεῖος, ſi bellum ſubito inter illos exteros & ſuos motum fuiſſet, eorum ſervus efficiebatur, apud quos iam hoſtes *factos ſuis*, deprehenſus eſſet. Huic tam in bello quam in pace ius poſtliminii erat, niſi fœdere cautum fuiſſet ne eſſet huic ius poſtliminii. In verbis Tryphonini vitium hæret, quod tollere certarunt viri aliquot docti, nec potuerunt. *Verum in pace qui pervenerunt ad exteros,* (ſic legendum, *non ad alteros,* ſupra monui) *ſi bellum ſubito exarſiſſet, eorum ſervi efficiuntur,*

apud

apud quos iam hoſtes ſuo facto deprehenduntur, quibus ius poſtliminii eſt tam in bello quam in pace. Quidam pro illis *facto ſuo* quod in manifeſto mendo cubat, legi voluerunt, *fato ſuo.* Quod melius non eſt. Non fatum eorum peculiare hoc fuit, ſed utriuſque populi inter quos bellum exarſit. Nec fato ſuo deprehenſos dicere eſt, qui communi potius fato & publico belli infortunio inter hoſtes ex inopinato & præter expectatū factos ſe concluſos viderunt, ad quos ſuis anteamicos aut fœderatos, certe non hoſtes, venerant. In poeta ferremus utranque hanc loquutionem, quæ in Iuriſconſulto vix ferenda. *In pace,* inquit Grotius, *poſtliminium, niſi aliter convenerit, eſt his, qui non virtute bellica ſuperati, ſed fato ſuo deprehenſi ſunt, & qui, cum bellum ſubito exarſit, apud hoſtes reperiuntur.* Hæc non ſatis explicant mentem Tryphonini. Nec in pace tantum, ſed etiam in bello his poſtliminium fuit. Nec fato ſuo deprehenſi ſunt, ſed cum ad amicos ſi forte veniſſent & ſocios, bello inter ſuos & illos ſubito coorto, ita deprehenſi, ſervi eorum efficiuntur, iam hoſtium, quorum hoſpites forſitan antea fuerant. Cuius rei exemplum eſt apud Ciceronem in Philippica XII. *Cn.*

Pom-

Pompeii Sexti filius conſul, me præſente, cum eſſem tiro in eius exercitu, cum P. Vettio Catone Marſorum inter bina caſtra collocutus eſt. Quo quidem tempore memini Sextum Pompeium fratrem conſulis ad colloquium ipſum Roma venire, doctum virum atque ſapientem. Quem Cato quum ſalutaſſet, Quem te appellem? inquit. At ille, voluntate hoſpitem, neceſſitate hoſtem. Ita enim cadere potuit, ut inter populos quibuſcum reciprocum ius hoſpitii fuit, bello moto, hoſpites deprehenſi hoſtes evaſerint, & hoſtium iam factorum ſervi extiterint. Advocatus legendum autumat, *apud quos iam hoſtes ſuos factos deprehenduntur.* Aut etiam, inquit, furcillandum *ſuos*, tanquam à gloſſemate. Quod gloſſema intelligit? Cuius alterius vocis illud *ſuos* putat fuiſſe gloſſema? Omnino ſcribendum: *Apud quos iam hoſtes ſuis factos deprehenduntur. Sui* opponuntur *exteris*, opponuntur hoſtibus. Hinc paſſim in exponendo iure poſtliminii Iuriſconſulti & alii auctores utuntur his loquutionibus, ad *ſuos pervenire, ad ſuos redire.* Pomponius: *captivus ſi à nobis fuerit, & ad ſuos pervenerit.* Idem ibidem: *miſſus eſt ad ſuos.* Ipſe Tryphoninus in hac lege ϖ. IX. *Non enim poſtliminio revertebatur, niſi qui hoc animo ad ſuos veniſſet,*

ſet, ut eorum iura ſequeretur. Cicero lib. I. de oratore: *Quæſitum eſt apud maiores noſtros, num is ad ſuos poſtliminio rediiſſet*. Ita ergo hoc rectius eſt, *apud quos iam hoſtes ſuis factos deprehenduntur*. In bello captis pace facta poſtliminium, non fuiſſe oſtendere leg. XXVIII, ait Advocatus. Sed quod addit, male eam vulgo lectam eſſe, & explicatam, an ipſe melius legerit intellexeritque, rebus ipſis ſpectandum eſt. Conſtat ea lex, ut & ipſe dicit, ex verbis Labeonis, & Pauli ad ea notatione. Labeo ita ſcripſerat lib. IV. πιθανῶν quos Paulus epitomaverat & ad notaverat: *Si quid in bello captũ eſt, in præpa eſt, non poſtliminio redit*. Pro his legit Advocatus. *Si quod in bello captum eſt, in præda eſt, nõ poſtliminio redit*. Nõ video quid melius in hac lectione ſit, quã in vulgata. Planũ fiet, ſi ſcripſeris, priore expuncto *eſt*: *Si quod in bello captũ in præda eſt, nõ redit poſtliminio*. Quod in bello captũ in prę da eſt, poſtliminio non redit. Hoc effatum Labeonis veriſſimũ eſſe, res ipſa oſtendit. Quibus enim poſtliminii ius erat, etſi bello capti eſſent, prædę cedere non cenſebãtur. Quodcũq; igitur captũ bello in pręda erat, poſtliminio non redibat. Certarũ rerũ, hoc ius fuit, non omniũ Cicero in Topicis ad Trebatiũ res eas, quibus poſtliminii

nii ius eſſet, & quæ proinde bello captæ in præda eſſe non poſſent, ſic enumerat. *Vt cum quæritur, poſtliminium quid ſit, non dico quæ ſint poſtliminii, nam id caderet in diviſionem, quæ talis: poſtliminio redeunt hæc, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa quæ fræna recipere ſolet.* Nihil igitur horum ſi bello captum eſſet prædæ cedebat. Cætera omnia quæ in præda erant cum caperētur bello, poſtliminii ius non habuerunt. Hæc igitur mens eſt Labeonis in illis verbis eius ſupra citatis, *Si quod in bello captum in præda eſt, non redit poſtliminio.* Nam de rebus loquitur quibus in bello captis poſtliminium non erat, quia prædę cedebant. E contrario quibus poſtliminii ius erat, ea in præda, tametſi bello caperentur, non eſſe videbantur, ut ſunt res eæ quas ſupra ex Cicerone recenſuimus. Omnes res igitur præter ſuperius enumeratas in præda erant cum bello caperentur, nec poſtliminio ad ſuos dominos redire poterant. Certis rerum generibus id ius fuiſſe ſcribit Aelius Gallus apud Pompeium Feſtum, qui eaſdē ferme numerat, non plures, nec alias. Verba eius ita reſtituenda ſunt, vulgo corruptiora, & male ab aliis tentata: *Item qui ſervus in hoſtium poteſtatem pervenit, poſtea ad nos redit*

in

in ejus poteſtatē cujus antea fuit, jure poſtliminii.Equi, & muli, & navis eadem ratio, & poſtliminio recipiuntur, æque ac ſervi. Quibuſcūque ergo rebus poſtliminii ius erat, non in præda eſſe cenſebantur cum capiebantur bello, quia jurepoſtliminii poterant redire. Quibus vero id juris non dabatur, ut poſtliminio non redibant, ita prædæ cedebant ſtatim atque captæ erant. Non puto aliud ſenſiſſe Labeonem, cum ſcripſit, *Si quod in bello captum in præda eſt, non redit poſtliminio.* Quid enim aliud vellet? De nulla re quippe id potuiſſet dicere cui jus eſſet poſtliminii. Servus captus ab hoſtibus, equus, equa fræni patiens, mulus clitellarius, & navis capta, poſtliminio recipiebantur. Ergo in præda non eſſe, quamvis caperentur bello, intelligebātur, quia poſtliminio redibant, cū Labeo de his, quæ in præda ſunt cū bello capta ſunt, ſcripſerit, poſtliminio ea non redire. Quæ Paulus ad Labeonis verba notaverat, eiuſmodi ſunt ut mihi perſuadeat, non cepiſſe eum mentem veteris illius Iuriſconſulti, cuius libros in epitomen redegit. *Immo*, inquit, *ſi in bello captus pace facta domum refugit, deinde renovato bello capitur, poſtliminio redit ad eum à quo priore bello captus erat, ſi modo non*

non convenerit in pace ut captivi redimerentur. Per illud, *immo* quod in ſingulis notationibus ad locos Labeonis adpoſuit, videtur id voluiſſe & hoc loco, non uſquequaque nec generaliter verum eſſe quod ibi prodidiſſet Labeo, ſed caſum etiam dari poſſe in quo id quod bello captum in præda fuiſſet, poſtliminio poſſet redire. Vera eſſet iſta obſervatio Pauli, ſi hæc fuiſſet Labeonis ſententia, quidquid in præda ab hoſtibus capitur, poſtliminio non redire. At non potuit ita ſentire Labeo, cum certum ſit, multa capi ab hoſtibus quæ poſtliminio recipi ac redire poſſunt, ut ſervum, equum, mulum, navem. De his ergo perſpicuum eſt intellexiſſe Labeonem, & hæc excepiſſe cum dixit, quod bello in prædam captum eſt, poſtliminio non redire, cum ſcilicet ea redeant ſola quæ in præda non ſunt, quãdo bello capiuntur. An Labeo diſtinxit inter illa quæ ſimpliciter ab hoſtibus bello capiuntur, & quæ prædæ nomine capiuntur? Non ſane putem ita intellexiſſe. Nec notatio Pauli id ſignificat. Certe eo iure, quod quibuſdam rebus præcipuum datum eſt, legibus ac moribus Romanis, ut bello capta poſtliminio redirent, non id efficiebatur, ut ſemper & omni

omni modo redirent. Multi caſus obſtabant ne etiam ea quæ id ius haberent, eo iure uti poſſent. Vt qui bello captus, in pace rediret, is nihilominus in præda manebat & hoſtium erat, quamvis hoſtibus elapſus ad ſuos perveniſſet. Non potuit hæc ignorare Labeo. Ignoraſſe vero id videretur, ſi non vidiſſet; hoc poſſe opponi generali eius propoſitioni, qua dixit, quod in bello captum in præda eſt, iure poſtliminii non redire. Quaſi tamẽ hæc mens eius fuiſſet, Paulus ei obiicit quod ſubiectũ Labeonis verbis, legitur: *Immo ſi bello captus pace facta domum refugit, deinde renovato bello capitur, poſtliminio redit ad eum à quo priore bello captus erat, ſi modo non convenerit in pace, ut captivi redderentur.* Ad hæc verba notat Advocatus. *Quæſtionem fuiſſe an qui bello captus fuerat, ſi fugiſſet & ad ſuos rediſſet, & poſtea iterum captus eſſet, poſtliminio ad eum rediret, à quo prius erat captus.* Non hæc quæſtio fuit. Et apparet Advocatum non percepiſſe mentẽ Pauli, ut ipſe Paulus fortaſſean nõ aſſequutus eſt quod voluit Labeo. Non inquam hoc quærebatur, an poſtliminio ad eum rediret à quo captus priore bello fuerat, qui pace facta poſt illud prius bellum domum refugerat, & renovato

 bello

bello captus iterum fuerat. Sed hoc tanquam indubitatum, & minime controverſum, opponit Paulus Labeonis propoſitioni, qua ſcriperat, ſi quid in bello captum in præda eſſet, poſtliminio non redire, ut oſtenderet, non eã eſſe generalem, & poſſe pati exceptionem. Ea eſt igitur exceptio ab illa propoſitione quam pro regula iuris poſuerat Labeo. Quod in bello captum in præda eſt, non redit poſtliminio, inquiebat Labeo. Immo redit aliquando, ait Paulus, eo caſu, quem ibi fingit. Si in bello captus pace facta domum refugerit, eum bello captum eſſe, non dubium eſt. In præda etiam eſſe minime controverſum. Poſtliminio non redire etiam inter omnes conſtat, quia domum pace facta refugit. Ergo in præda manet quamvis apud ſuos ſit, quia poſtliminio non recipitur qui bello captus pace facta domum revenerit. Hæc omnia iam conſtant ex ſententia Labeonis quam ſibi finxit Paulus. Homo bello captus ab hoſtibus, & in præda poſitus, non redit poſtliminio. Atqui notat Paulus, etiam qui in tali cauſa eſt, poſſe aliquo caſu poſtliminio redire, ſi nimirum renovato bello, iterum capiatur ab eodem hoſte.

Tum

Tum enim, *poſtliminio redit ad eum è quo priore bello captus erat.* Sic enim legendum in verbis Pauli, non ut vulgo habetur, *ad eum à quo priore bello captus erat.* Quod nullum idoneum ſenſum poteſt efficere. Et quod ex illis verbis ita ſcriptis thema legis voluit formare Advocatus, prorſus alienum eſt, & quam longiſſime abit à Pauli ſententia. *Finge,* inquit, *Romanus Volſcum in bello cepit. Poſtea eodem bello Volſcus aufugit, vel alio modo ad ſuos rediit. Volſci cæduntur denuo à Romanis, & qui prius captus fuerat iterùm capitur, & eſt in præda.* Certe hæc mera fictio eſt, nihil enim veri continet, & menti Pauli non congruit, ne verborum quidem eius ſenſum exprimit. Non enim dixit Paulus, Volſcum illum qui bello captus à Romanis fuerat, eodem bello aufugiſſe. Nam qui bello capitur, & eodem bello domum aufugit, poſtliminio redit. At Paulus de gemino bello loquitur, pace interpoſita renovato, non de uno in quo gemina cædes facta fuerit. Sic enim diſerte ſcribit: *Si in bello captus pace facta domum refugit.* Species poſita ab Advocato, non reſpondet his verbis. *Romanus,* inquit, *Volſcum in bello capit. Poſtea eodem bello Volſcus aufugit.* Immo ut clare Paulus po-

ſuit, pace facta aufugit, non eodem bello. Magna eſt in utroque caſu differentia. Nam qui eodem bello aufugiſſet quo captus fuerat, poſtliminio redibat. Qui pace facta domum reveniſſet, poſtliminii ius non habebat. Hic caſus eſt quem Paulus deſcripſit. Contrarium eſt quem Advocatus ex verbis eius propoſuit. Pergit Advocatus in ea ſpecie perſequenda quam verbis Pauli affinxit, menti eius contrariam, ſed & cum ipſis verbis pugnantem: *Volſci cæduntur denuo à Romanis*. Non hoc ex Paulo colligas qui dixit, *deinde renovato bello capitur*. Intellexit Paulus, bellū prius fuiſſe Volſcis cum Romanis, deinde pacem factam eſſe, poſt pacem illam bellum denuo exortum ac renovatum. Advocatus autem hæc ita capit, quaſi prælio facto Volſcorum cum Romanis, hic Volſcus captus eſſet bello à Romanis, & poſtea ad Volſcos refugiſſet, deinde prælio iterum commiſſo, cęſiſque Volſcis, denuo captus fuiſſet à Romanis, & in præda habitus. Vides quanta ſit differentia inter verba & mentem Pauli, & eum caſum quem inde hariolatus eſt Advocatus. His poſitis, *Quæritur*, inquit, *an poſtliminio ad eum redeat qui priore bello eum ceperat*. Negat id Labeo.

beo. Paulus vero ait. Nec Pauli nec Labeonis mentem bonus vir videtur aſſequutus, à quorum intellectu tam longe ab eſt, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ χθονός. Nulla enim quæſtio potuit naſci, nulla controverſia oriri ex eo themate quod ab eo propoſitũ eſt. Volſcus in bello capitur à Romanis. Eodem bello redit ad ſuos, id eſt ad Volſcos. Quæ hic ratio dubitandi aut quærendi? Volſcum poſtliminio ad ſuos rediiſſe nemini poterat dubium videri. Prælio iterum commiſſo, cæſiſque Volſcis, iterum capitur ille Volſcus à Romanis. *Quæritur*, inquit, *an poſtliminio ad eum redeat qui priore bello eum ceperat.* Quis niſi ſtupidus hanc quæſtionem movere potuiſſet? Poſtliminium non datur niſi ad ſuos reverſis. Qui vero ad hoſtes redeunt, poſtliminii iure id non faciunt, nec poſtliminium omnino in iſtis locum habet. Quod ſtultum eſt vel cogitare, ne inſcitiam, quæ certa eſt, exagitem. Ab hoſte ad nos redeuntibus poſtliminium eſt. A nobis ad hoſtem revertentibus etiam poſtliminium, ſed ſuis tantum & ad ſuos. Cum enim æquum ſit illud ius, & inter nos & hoſtes commune ſit, ad id tantum inſtitutum eſt, ut ab hoſtibus ad nos qui noſtri ſunt poſtlimi-

nio redire poſſint, à nobis ad hoſtes qui ſui ſunt, id eſt, hoſtis. Ut vero captus ab hoſtibus, & domum reverſus, ſi poſtliminio non redierit, poſtliminio ad hoſtem à quo captus fuerat, rediturus cenſeatur, non poteſt niſi ab huius iuris imperitiſſimo ſtatui. Secundum hoc thema quod expoſitum eſt ab Advocato, Volſcus prælio captus à Romanis, & eodem bello ad ſuos reverſus, poſtliminio certe rediiſſe putandus. Si iterum capiatur à Romanis altero prælio, eodem bello durante, quis poſſit imaginari eum ad priorem dominũ rediiſſe poſtliminio à quo prius captus fuerat? Iterum captus iterum poſtliminium, ſi ad ſuos bello adhuc manẽte reverſus fuerit, habebit. Prior captivitas & prius poſtliminium, non magis obſtiterit ſecundo ac poſteriori poſtliminio quam ſi nunquam accidiſſet. Si quis immo centies bello captus, cẽties redierit poſtliminio ad ſuos, & adhuc ſemel capiatur poſt illas centenas vices, poſtliminio iterũ locus erit, ſi modo ea obſervaverit quæ debẽt in poſtliminio obſervari, id eſt, ſi bello captus, bello redeat, aut ſi de captivis reddendis cautum ſit in fœdere, quo caſu & bello captis in pace poſtliminium eſt. Mirum tamen

eſt

eſt ſuperius propoſitum thema Labeoni ab Advocato tribui, cui & hanc ſententiam adfingit quaſi neget ſecundo captum illum Volſcum ad eum à quo prius captus fuerat, id eſt, ad hoſtem poſtliminio redire, quia inquit, Volſcus ille qui bello aufugerat, aut alio modo domum reverſus fuerat Romanũ dominum plane exuerat, & poſtliminio reſtitutus erat, quaſi nunquam antea fuiſſet captus. Hoc quidem verum ex themate propoſito, Volſcũm illum ad ſuos poſtliminio rediiſſe, quia bello captus bello aufugit. Iterum vero captus ab hoſte, non poteſt dici poſtliminio ad hoſtem redire. Hoc enim in iſto uno inauditum, ut aliquis poſtliminio ad hoſtẽ redeat. Nihil de eo cogitavit Labeo, nec illi propoſitum ab Advocato thema adfingi niſi ſtolide poteſt. Simpliciter dixit ille: *quod in bello captum in præda eſt, non redire poſtliminio.* Quod verum eſt, ſed caſum excogitavit Paulus quo in bello captus, & qui in præda eſt, poſtliminio redire queat. Duplici modo res bello capta in præda eſſe dicitur: aut natura ſui, ſi talis ſit, ut poſtliminii iure careat, ut res omnes, preter hominẽ liberũ, ſervũ, equum, mulum ac navem: aut vitio quod ei ex-

trinſecus accidit, ut ſi quis bello captus pace facta domum refugerit. Poſtliminii quidem ius habet exempli gratia civis Romanus, ſed ei iuri locus tantum eſt, ſi bello captus, bello domum revenerit, aut pace facta, ſi fœdere comprehenſum fuerit, ut reddantur captivi. Si aliter redierit, poſtliminii ius amittit, & in præda eſt. Utroque igitur modo res captæ in præda ſunt, nec poſtliminio redeunt, ſi per naturam ſui tales ſunt, ut poſtliminii ius non habeant, aut ſi vitio aliquo iure ſuo exciderunt. Hæc omnino mens fuit Labeonis. Quod ad res attinet quæ ſuapte natura & cauſa in præda ſunt, nihil potuit contra dicere Paulus, quin poſtliminio redire non poſſint. Quod ad res alias ſpectat quæ vitio aliquo id ius amiſerunt, cum poſtliminio eas redire neget Labeo, Paulus caſum dari poſſe adnotavit quo ius illud amiſſum poſſint recuperare, purgato nimirum vitio quo id perdiderant. Talem igitur illum caſum proponit, quem nos ſub fictis perſonis explicabimus Romani pariter & Volſci, ut veſtigiis quæ impreſſit Advocatus inſiſtamus. Bello Romanorum & Volſcorum, Romanus à Volſcis bello captus, pace facta domum refu-

refugit. In præda eſt, & poſtliminii iure rediſſe non poteſt dici, quia bellocaptis in pace poſtliminium non eſt, niſi in pactis pacis cautum ſit de reddendis captivis. Hoc non fuit comprehenſum fœdere quo pax inter Volſcos & Romanos facta eſt. Ergo poſtliminii ius non habet, quia perdidit quod habuit. Renovato deinde bello, & pace illa rupta, qui ad ſuos, id eſt, ad Romanos, à Volſcis, qui eum ceperant, pacis tempore refugerat, denuo capitur à Volſcis. *Poſtliminio*, inquit Paulus, *redit ad eum è quo priore bello captus fuerat.* Sic enim ſcribendum non *à quo.* Si hoc contigerit ut iterum à Volſcis capiatur, purgata cauſa quæ fecerat ut in prædam caderet, & poſtliminii ius amitteret, ius priſtinum recipit ut poſtliminio redire poſſit, & in eam cauſam recidit in qua fuerat priuſquam priore bello caperetur. Sequitur in verbis Pauli; *ſi modo non convenerit in pace, ut captivi redderentur.* Hæc verba non reſpondent themati propoſito, nec ullo modo cum ſententia Pauli conveniunt: *Si modo non convenerit.* Immo tametſi convenerit, ut captivi redderentur, etiam poſtliminium locum habet, & quidem in pace. Alioquin in bello tantum redeuntibus

poſtliminium eſſet bello captis, ſi de captivis reddendis nihil comprehenſum eſſet in pactis. Sed & illa manifeſto laborant vitio: *Si modo non convenerit in pace ut captivi redderentur.* In pace non tractatur de bello finiendo, ſed in ipſo bello de conditionibus pacis agitatur. Quomodo igitur dixit, *ſi modo non convenerit in pace?* Hoc abſurdum & falſum. Nam in pace de pace pacta non fiunt aut fœdera quibus bellum componatur. Scripſerat ſine dubio Paulus, *ſi modo non revenerit in pace*, vel, *ſi domum non revenerit in pace.* Ita enim Cicero loquitur, *ſi domum reveniſſet.* Atque ita etiam reſtitui debet apud Pomponium lege v. *Captivus autem ſi manumiſſus à nobis fuerit, & revenerit ad ſuos.* Revenire eſt redire. Quod cum non caperetur ab impevitis, pro *revenerit* in illo Pauli loco repoſuerunt *convenerit*, idque intellexerunt de captivis conventione reddendis. Quod non poteſt eſſe verum. Id enim maxime obſtat rationi Pauli & legis thematiſmo qui in ea proponitur. Prior captivi domum reditio cum vitii facta fuerit, utpote in pace, poſtliminii effectum impedierat, effeceratque ut captus in poteſtate hoſtium maneret atque in præda eſſet, etiam poſt reditum

tum ad ſuos. Quod Labeo pro catholica regula poſuerat: *Si quid in bello captum, in præda eſt, non poſtliminio redit.* At Paulus fieri poſſe oſtendit, ut ille qui in præda eſſet poſtliminii ius ſua culpa amiſſum recuperaret. Si nempe bello renovato iterum caperetur ab iis à quibus priore bello captus fuerat. Tum enim poſtliminio locum fore ſi ad ſuos rediret, ſed in bello ſcilicet. Nam ſi iterum in pace reveniret, ſua culpa iterum ſibi præcluderet poſtliminii copiam, & ſecundus error peior eſſet priore. Hic eſt ſenſus illorum verborum, *ſi modo non revenerit in pace.* Quæ miſere contaminata fuerunt ab imperitis librariis, vel etiam ab ipſo Triboniano, qui Pauli mentem non percepit. Quam etiam ita videntur pervidiſſe viri docti, ut cçci ſolent videre. Vnica littera mutata veram ei loco lucem reddidit, *poſtliminio redit ad eum è quo priore bello captus erat.* Non ut vulgo legitur *à quo.* Quod meras Cimmerias tenebras offudit illi legi. Nec dici poteſt illud *à quo captus erat*, accipi debere pro *de quo captus erat*, ut Grotius interpretatur in lege IV. D. de poſtliminio: *Eos qui ab hoſtibus capiuntur, vel hoſtibus deduntur, iure poſtliminii reverti antiquitus placuit.* In

Spar-

Sparſione florum ad eius Iuſtinianum, vir ille tam re quam nomine magnis, *qui ab hoſtibus capiuntur*, de hoſtibus capi vult, & mox legit in eadem lege, *vel ab hoſtibus deduntur*, pro eo quod vulgatum eſt, *vel hoſtibus deduntur*. Tam mala eſt correctio quam expoſitio. Animadvertere debuit, Romanos ius illud poſtliminii ſibi conſtituiſſe, & in civium ſuorum gratiam potius quam in favorem hoſtium. Ideo Iuriſconſulti omnes Romani cum de eo iure loquuntur aut tractant, exempla eius petunt non ab hoſtibus captivis, & domũ poſtea redeuntibus, ſed à Romanis ipſis civibus, qui capti ſunt ab hoſtibus, & ad ſuos revertuntur. Paſſim in illo titulo de poſtliminio, quicunque capiuntur, Romani cives ſunt, & qui redeunt. Tryphoninus leg. XII. *In bello poſtliminium eſt, in pace autem non his qui bello capti erant, de quibus nihil in pactis erat comprehenſum.* Non de hoſtibus, ſed de civibus id intelligit, ut ratio quam ex Servio attulit, teſtatur, *quia ſpem revertendi civibus in virtute bellica magis quam in pace Romani eſſe voluerunt.* Idem in eadem lege: *Si quis capiatur ab hoſtibus*, de Romano ab hoſtibus capto, non de hoſte à Romanis, palam eſt intellexiſſe. Vide & legem XIX, & totum deni-

denique illum titulum perlege, non ſavebis interpretationi Grotii. Imperite proinde etiam Advocatus, qui cum ſpeciem legis XXVIII. proponeret, finxit Volſcum à Romano captum, cum Romanum à Volſco deberet. *Si in bello captus pace facta domus refugit.* Id eſt, ſi Romanus civis bello captus. Sic enim prorſus exponenda fuit lex Pauli, & ſpecies legis eo modo repræſentanda. Et ratio in promptu eſt. Poſtliminiũ ius eſt, quod bello captos homines reſq; bello amiſſas reſpicit. Cum autem illud ius pro ſuis civibus peculiariter conſtituerint Romani, exempla eius peti debent de Romanis qui capiuntur ab hoſtibus & poſtliminio redeunt, non de hoſtibus. In ea lege IV. Modeſtinus dicit, *eos qui deduntur hoſtibus iure poſtliminii reverti.* Non idem eſt de his qui armis victi ipſimet ſe dedunt, ut eſt in leg. XVII. eodem titulo. Sed quærit Advocatus, ſi pace facta de reddendis captivis convenit, an non & ii poſtliminio redituri ſint? Tantũ abeſt, ut putem redituros, ut vel quæri de eo non niſi inſcite exiſtimen. Nec iuvat quod, iis qui bello erant capti fuiſſe poſtliminium in pace ſi pactis id comprehenſum eſſet, ſe oſtendiſſe dicat. Non etiam illud,

illud, quod pacis fœderibus de captivis reddendis maxime paciſcebantur Romani. Diſerte dicit Paulus, *poſtliminio carere qui armis victi hoſtibus ſe dederent.* Non aliter his poſtliminium poterat eſſe niſi in pace. Nam qui ſe hoſtibus dedidiſſent, armis victi non recipiebantur à ſuis bello durante. Multo minus illi recepti in bello eſſent qui à ſuis ſponte dederentur. At iſtos poſtliminio redire dixit Modeſtinus leg. IV. Ergo cum qui hoſtibus ſe dedidiſſent non poſſent poſtliminio redire niſi pace, & Paulus adfirmet carere eos poſtliminio, ne in pace quidem ipſis competit poſtliminii ius, quod habere ſcilicet non poſſent niſi in pace. At in pace poſtliminio redibant bello capti ſi de captivis reddendis fœderis pactis cautum eſſet, non item dediticii qui armis victi ſe dedidiſſent. Nec ſane de illis ullum verbum in conditionibus pacis quas de reddendis captivis fœdere facto cum Antiocho complexi ſunt Romani : *Qui ex regno Antiochi apud Romanos ſocioſque ſunt, iis ius abeundi manendique iſto. Servus ſeu fugitivus ſeu bello captus, ſeu qui liber factus aut transfuga erit, redditor Romanis.* De dediticiis nominatim etiã caveri debuit. Quod trans-

tranſfugas reddi ſibi petunt, alia ratio eſt, nimirum ut puniantur. Deditícii cum nullâ apud ſuos pœnâ legibus ſubire deberent, hoc illis ſuppliciũ indictũ fuit eſt, ut apud hoſtes inviti manerent, & nunquam ad ſuos poſtliminio redirent. Et ſane cum his quæ in præda ſunt, & quibus poſtliminium eſſe negabat Labeo, numerandi ſunt qui ſe hoſtibus armis victi dediderunt. Nam deditícii ſervi efficiebantur hoſtium. Et cum Romani bello captis in bello tantum reducibus poſtliminium eſſe ſtatuerint, ut in virtute bellica ſola ſpem revertendi reponerent, non videntur de his qui ſe armis victi dediderant hoſtibus, tã favorabiliter ſtatuiſſe, ut comprehenderint eos fœdere de captivis reddundis. Cum captivi autẽ utrimque ex pacto redduntur, æquum fœdus eſt. Cum ab una parte omnino reddi debent, ab altera poteſtas relinquitur captivis apud hoſtem manendi aut abeundi ad ſuos, id minus æquum fœdus cenſetur, quia utrimque mutua non fit captivorum redditio. Hinc & *æquum fœdus* amicitiæ cauſa fieri dicit Iuriſconſultus, quia ex æquo fœdere amici exeunt, qui hoſtes prius fuerant. Non autem amicitia, quos inter colitur, æquales

les eos facit, ſed ex ipſa æqualitate & æquo fœdere amicitia oritur. Vnde ἰσότης φιλότης communi proverbio. Apud Virgilium, *non æquo fœdere amantes* dicuntur quibus amor nō eſt mutuus, ubi qui amat non redamatur, & qui amatur amore non reſpondet nec par pari refert. Cum fœdere nòn æquo tranſigitur, ſuperior alter eſt, alter inferior. At inferior ſuperiorem nunquam diligit, & ſuperior inferiorem ſemper deſpicit. Dura certe conditio fuit quæ impoſita eſt Antiocho ab Romanis, non ſolum reddendi liberos qui capti bello erant, ſed etiam ſervos. Siquidem qui capti fuerant poterant ſæpius dominos mutaſſe, ut bene dicit Advocatus. Vnde fiebat, ut iis eripiendi eſſent, non modo qui eos bello ceperant, ſed & qui ære ſuo eos compararant, qua in re non parum erat difficultatis. Quantumlibet duræ fuerint hæ conditiones, & in exequendo difficiles, non tamen iniquæ poſſunt dici ſi utrimque ex pari & ex æquo imponantur. Et neſcio quid velit Advocatus, cum ſubiungit: *Quare qui non iniquis conditionibus tranſigebant, vel nihil promittebant de captivis reddendis, vel de iis tantum qui in reipublicæ poteſtate erant.* Quaſi vero

vero iniqua foret lex, quæ belli fœdere dicta eſt Antiocho de reddendis fugitivis, bello captis, aut liberis in ſervitutem redactis & transfugis, ſi idem Romani de ſua parte Antiocho præſtare debuiſſent! æquis conditionibus, quāvis difficilibus, ita ſtetiſſet inter utramque partem illud fœdus. Ad evitandam difficultatem reddendorum omnium ſive ſervorum fugitivorum, ſive liberorum qui capti utrimque ſervi facti erant, præcipue ſi bellum fuiſſet diuturnum, de his tantum reddendis conventio fiebat quos reddere reſpublica poterat & qui in carceribus publicis utriuſque civitatis ſervabantur. Vt factum illo fœdere quod Athenienſes inter & Lacedæmonios ictum eſt, poſt bellum inter eos populos in decimum annum tractum. Cum bellum intra unius anni ſpatium confectum eſt ac fœdere tranſactum, facilius expediri poteſt ratio de omnibus reddendis qui belli tempore ab utriſque capti ſunt. In verbis Thucydidis quæ citavit Advocatus de illo fœdere Athenienſium & Lacedæmoniorum, perperam Græca illa Attici ſcriptoris, καὶ τοὺς ἄνδρας ὅσοι εἰσὶ Λακεδαιμονίων ἐν τῷ δημοσίῳ τῶν Ἀθηναίων, ἢ ἄλλοθί που ὅπου Ἀθηναῖοι ἄρχουσιν, ἐν δημοσίῳ, ita

 Lati-

Latine reddidit, *aut quoſcumque Lacedæmoniorum aut ſociorum captivos qui populo Athenienſi publice ſerviunt Athenis vel alibi ubicunque imperant.* Neſcio cur ei placuerit ſic vertere quaſi qui ἐν δημοσίῳ erant Athenienſium, de his accipiendi forent qui populo Athenienſi publice ſerviebant Athenis. Quod eſt ineptum, & contra Græci ſermonis & Attici uſum. Vbi enim legit ἐν τῷ δημοσίῳ εἶναι, *in publico eſſe*, qui publicam ſervirent ſervitutem? Δημόσιοι quidem δοῦλοι dicuntur publici miniſtri vel ſervi. Sed ἐν τῷ δημοσίῳ aliquis eſſe, non dicitur qui publice ſervit. Δημόσιον vox eſt Attica quæ carcerem ſignificat. Hoc non puto ignoraſſe Advocatū. Quo magis miror, ſtudio novitatis atque ut aliquid doceret quod indictum adhuc eſſet, à vulgari orbita receſſiſſe. Scholiaſtes vetus Thucydidis, ἐν τῷ δημοσίῳ recte interpretatur, ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. Heſychius, δημόσιον, δεσμωτήριον, His poſitis quærit Advocatus, cur de captivis igitur reddendis conveniſſet, *an excipiebantur ii qui armis victi ſe dediderant? Et an illi quidem redibant, ſed ſine poſtliminii iure?* Hoc ineptum. An hoc redire eſt? Nam qui ſic redibant, in poteſtate hoſtium manebant & in præda. Et ſi ſervi facti

cti fuerant apud hoſtes, libertatem non recipiebant, niſi poſtliminio redirent. Non enim eam recipere poterant niſi poſtliminio. Quæ igitur ſic redeundi utilitas, cum illi qui ita rediiſſent, ſervi manerent hoſtium, & repeti vindicarique ab his poſſent? Sed Paulus ſatis clare dixit, non eſſe ius poſtliminii illis qui armis victi ſe dediderunt. In bello his poſtliminium non competebat, quia recepti non fuiſſent à ſuis. Nec in pace, quia aliter poſtliminium habere non poterant quã ſi bello rediſſent. Qui affirmat igitur abſolute plimioſtnio eos carere, tã in pace quam in bello, poſtliminium eis denegat. Ergo nunquam eis ius poſtliminii datum eſt. Eadem ambitio & vanitas ſtudiumque aliquid novi promendi Advocatum adegit, vulgarem interpretationem doctorum reiicere, & novam ſibi ſemitam facere, in exponenda voce *præſidia* apud Iuriſconſultum, qui dixit leg. v. D. de poſtliminio, eos qui ab hoſtibus capti ſunt, cives manere *priuſquam intra præſidia hoſtium perducti ſint.* Intra præſidia perductis, ſi revertantur, perinde omnia reſtitui iura ac ſi omnino ab hoſtibus capti non fuiſſent: *Tum autem reverſum intelligi, ſi aut ad amicos noſtros perveniat, aut*

intra præſidia noſtra eſſe cœpit. Quid appellat, inquit Advocatus, *præſidia*? An fines regionis hoſtilis? quod colligere tentant è leg. XIX. eodem. Minime. *Sed ita*, inquit, *appellat caſtra aut ſtationes quæ ſunt pro caſtris*, φυλακὰς, φρούεια, *quomodo interpretatur Philoxenus*. Si præſidia hoſtium aut noſtra diverſa ſunt à finibus noſtris aut hoſtilibus, quomodo igitur conciliabit leges illas XIX. Pauli & V. Pomponii, quorum alter dixit, *naturali æquitate introductum eſſe, ut qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is ubi in fines ſuos rediiſſet priſtinum jus ſuum reciperet*, alter idem de eo reſpondit qui *intra noſtra præſidia eſſe* cœperit? Si *præſidia* caſtra ſunt aut ſtationes pro caſtris, ſæpe in medio ſuæ ditionis hoſtis habet caſtra, aut nos in medio noſtræ. Ita fiet ut qui in fines noſtros redierit non videatur poſtliminio reverſus quum ad caſtra noſtra non pervenerit. Sic Pōponius & Paulus inter ſe diſſiderent, quorum hic ſatis eſſe putat ſi captivus ad fines patriæ ſuæ redeat ut priſtinum jus ſuum recipiat & poſtliminio ſit locus, ille autem aduſque noſtra *præſidia* pervenire eum vult, ut reverſus videatur. Scire debuit Advocatus, *præſidia* non eſſe caſtra, nec Philoxenum ita intelligere cum

φυλα-

φυλακὰς & φρούρια exponit. Idem enim *præſidium* interpretatur προφυλακὴν, φρουρὰν, ὀχύρωμα. Quæ voces caſtrorum non habent ſignificationem, utcunque etiam pro ſtationibus accipiantur quæ pro caſtris haberi conſueverant; quas προφυλακὰς Græci potius nominant. At προφυλακὰς ſunt *prætenturæ* vel *ſtationes agrariæ* quibus in bello fines noſtros tuemur adverſus hoſtem. Cum enim duo populi vicini inter ſe belligerant, in limitibus ſuis ambo ſi oppida aut loca munita habeant, præſidia iis ſolent imponere ad fines cuſtodiendos & arcendas hoſtium incurſiones. Si nulla in finibus oppida habeant, prætenturas & ſtationes agrarias ibi collocant, quæ & ipſa *præſidia* ſunt. Dido apud Virgilium:

Res dura & regni novitas me talia cogunt
Moliri, & late fines cuſtode tueri.

Feſtus: *Præſidium eſt quod pro utilitate & ſalute alicuius præponitur, ſubſidium quod poſtpoſitum eſt ad ſubveniendum laborantibus.* Ergo præſidia ſunt cohortes prætendentes ſive prætenturæ ad fines tutandos. Et quoniam belli tempore fines non relinquuntur ſine præſidiis, ideo *præſidia* & *fines* idem ſignificant, quantum ad captivos attinet qui poſtliminio redeunt.

 Bello

Bello quippe inter finitimos fervente præſidiis ad limitem cuſtodiendum poſitis, *præſidia* & *fines* eiuſdem ſunt notionis. In imperio quoque Romano limitum munitio & cuſtodia adverſus inſultus Barbarorum quibus cingebatur orbis Romanus præcipuæ curæ fuit. Vetus auctor Anonymus de rebus bellicis, de limitum munitionibus ita ſcribit, *Eſt præterea inter commoda Reipublicæ utilis limitum cura, ambientium undique latus imperii, Quorum tutelæ aſſidua melius caſtella proſpicient, ita ut millenis interiecta paſſibus ſtabili muro & firmiſſimis turribus erigantur. Quas quidem munitiones poſſeſſorum diſtributa ſollicitudo ſine publico ſumptu conſtituat, vigiliis in illis & agrariis exercendis, ut provinciarum quies circumdata quodam præſidii cingulo illæſa requieſcat.* Ex his patet, quæ ſint *præſidia* in finibus, & quomodo fines præſidiis cuſtodiantur, caſtellis nempe per certa intervalla poſitis & ædificatis, cum ſtationibus agrariis & prætenturis, ubi nulla erant in limite flumina. Ubi autem erant, cum caſtris in ripa poſitis, & cum lembis vel luſoriis in ipſo flumine, ad excubias pro limitibus agendas. Unde *Caſtriciorũ militũ*, *Riparenſiũ*, & *Lembariorum* appellationes. De *Luſoriis* Danubii & Rhe-

ni

ni ſive lembis milite inſtructis ad limitem tuendum nos in ſequenti capite.

CAP. XXVIII.

De rebus quibus poſtliminii ius competebat. Pauciſſimas numero eas fuiſſe, ut equum, mulum, equam fræni patientem, & navem. De navibus obiter tractatum. De longarum, & onerariarum & actuariarum differentia. His tribus generibus Ius poſtliminii fuiſſe, exceptis actuariarum quæ voluptatis cauſa parabantur. Quæ naves longæ appellatæ fuerint. De prima navi longa. Plurium ordinum apud veteres navigia fuiſſe. Quomodo illi remorum ordines accipiendi. Actuarias proprie eſſe dictas quæ remis agerentur, ab actu, id eſt, ἐλασίᾳ. Piſcatoriis navibus non competiſſe ius Poſtliminii. Luſoriis navibus fuiſſe: quales ad cuſtodiam limitis cum militibus in fluminibus limitaneis conſtituebantur.

PErſonis datum fuiſſe ius poſtliminii, iam vidimus, liberis ſerviſque. An rebus datum fuerit, videndum. De his etiam quæſivit Advocatus, & ad res mobiles hoc ius *vix pertinuiſſe* ſcribit. Immo ad certas res omnino pertinuit, ad reliquas nullo modo. Quare illud *vix*

hic locum non habet. An ſervos reponet inter res immobiles? Vt probet autem, vix ad res mobiles pertinuiſſe ius poſtliminii, dicit, poſtliminium eſſe Iuriſprudentiæ Romanæ commentum, quo is qui bello captus eſt, poſtquam eſt domum reverſus, fingitur nec captus unquam fuiſſe, & omnia ei iura reſtituuntur. *Ergo*, inquit, *in gratiam perſonarum ius illud proprie introductum eſt.* Vim huius argumenti non perſpicio, quod maxime dilutum eſſe & invalidum, ſed & ineptum iudico. Si commentum eſt Iuriſprudentiæ Romanæ, ut autumat, jus poſtliminii, cur pro perſonis potius quam pro rebus conditum id jus & introductũ dicetur? Statim reſipuit, & agnovit ἀλογίαν ſuam. Ideo in cotinenti ſubdidit; *Sed & ad conſervandum rerum immobilium dominium, item quarundam mobilium, veluti ſervorũ.* Ergo ad res etiam mobiles quaſdam omnino pertinuit jus poſtliminii, non vix. Debuit & naves inter eas res mobiles receſere quibus jus poſtliminii erat, & equos equaſve, quæ fræna recipiũt & mulos clitellarios. Nã ex Cicerone conſtat in Topicis, & ex Aelio Gallo apud Feſtum, equi & muli & navis eandem rationem fuiſſe quam ſervi, ſimiliterque poſtliminio recipi ſolita. Ergo

go non proprium perſonarum fuit hoc jus, ſed etiam rerum certarum mobilium, quibus æque competebat ac perſonis. Aelius Gallus: *Quæ genera rerum ab hoſtibus ad nos poſtliminio redeunt, eadem genera rerum à nobis ad hoſtes redire poſſunt.* Paulus ad leg. XIX. D. de poſtliminio, *Poſtliminium eſt ius rei amiſſæ recipiendæ ab extraneo & in priſtinum ſtatum reſtituendæ.* Ergo tam res quam perſonas ſpectabat hoc jus, nec ſolarũ perſonarũ erat proprium. Res autem immobiles omnes, & certas mobiles complectebatur. Sic non in gratiam tantum perſonarum introductum eſt, ut voluit Advocatus. Sed nec poſtliminium, fuit Iuriſprudentiæ Romanæ commentum, ut eidem placet, cum Iuriſconſultus naturali æquitate introductum dicat, & inter Romanos populoſque ac Reges liberos legibus ac moribus conſtitutum, ut ſcribit Paulus leg. XIX. D. eodem. Fictione quidem iuris bello captus poſtquam eſt reverſus fingitur nec captus unquam fuiſſe, eaque fictio Romano iure locum habuit, ut in multis caſibus ſuccurri poſſet iis qui ab hoſte capti fuerant, tam minoribus quam maioribus. Exempli gratia, codicilli quos quis captivitatis tempore ſcripſiſſet, juris ſubtilitate

ac rigore non videbantur confirmati eo teſtamento quod in civitate, nondum captivus, fecerat, nec fideicommiſſum ex iis peti poterat, quia non erant ab eo facti qui teſtamenti factionem haberet. *Sed quia*, inquit Iuriſconſultus leg. XII. ✠. V. de poſtliminio, *merum principium eorum in civitate conſtituto captivo factum eſt, id eſt, in teſtamento confirmatio codicillorum, & is poſtea reverſus eſt, & poſtliminio jus ſuum recepit, humanitatis rationi congruum eſt, eos codicillos ita ſuum effectum habere quaſi in medio nulla captivitas unquam interceſſiſſet.* Vide & ſequentem paragraphum, & leg. XV. D. Ex quibus cauſis maiores vigintiquinque annis in integrum reſtituantur. Hæc igitur fictio Romanæ Iuriſprudentiæ commentum eſt, qua is qui poſtliminio reverſus eſt, pro eo habetur ac ſi nunquam hoſtium captivus eſſet, & fingitur nunquam captus fuiſſe, ſed non ex eo ſequitur, ut inde hic colligere videtur Advocatus, ipſum ius poſtliminii fuiſſe commentum Romanorum. Nam ſine illa fictione poſtliminii ius ſtare poteſt, cum nihilominus poſtliminio reverſus intelligatur captivus qui hoſtes evaſerit, tametſi temporis eius duntaxat quo rediiſſet ratio haberetur. Inter res mobiles

biles quibus poſtliminii ius erat, *navem* numerat Cicero in Topicis, & Aelius Gallus. Sic enim Cicero: *poſtliminio redeunt hæc, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa quæ frænum recipere ſolet.* Homines in genere poſtilminio redire intelligit, hoc eſt, tam ſervum quam liberum. Non omnis mulus redibat, ſed tantum clitellarius. Nam nominatim de clitellario expreſſit. Equus omnis etiam redibat, non omnis equa, ſed ea tantum quæ fræna recipere ſolita. Ergo cum generatim *navem*, ut hominem, poſtliminio redire ſcripſerit, de omni genere navis id intelligendum fuerit. Iuriſconſultus tamē non omnes naves hoc ius habere dicit, ſed ſolas naves *longas* atque *onerarias*, idque propter belli uſum. *Piſcatoriis autem aut ſi quas actuarias voluptatis cauſa paraverunt poſtliminium non eſſe.* Cum ſolas excipiat piſcatorias & eas quæ voluptatis cauſa parantur quas vocat *actuarias*, hæ ſolæ quas excepit videntur poſtliminii iure caruiſſe, cæteris omnibus generibus navium poſtliminium fuiſſe. Summa ſane navium diviſio fuit in *longas* & *onerarias*. Ideo *longæ* ab *onerariis* hoc nomine ſeparatæ, quia onerariæ rotundiores. Vnde & γαυλοὺς Græci dixere.

xere, à forma, quia vaſa quædam rotunda in quibus lac reponebatur, & ollas quoque ſic vocarunt. Ita Græci τριήρεις & γαυλοὺς ſeparant, naves *longas* & *onerarias*. Nam τριήρεις ſunt naves longæ, rotundæ onerariæ. Plutarchus de animi Tranquillitate, ἐὰν εἰς γαυλὸν ἐξ ἀκάτου, καὶ πάλιν ἐὰν εἰς τριήρη μεταβῶσι. Latini *corbitas* vocant onerarias, à forma corbis rotunda. Cicero lib. XVI. Epiſt. ad Atticum: *Corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, ac inde Corcyram? Et ſi oneraria, ſtatimne freto, an Syracuſis?* Quam prius *corbitam* dixerat, poſtea *onerariam* vocavit. Unde apud Plautum, *corbitam cibi comeſſe poſſunt,* Quia illæ corbitæ naves erant frumentariæ. De edacibus igitur dixit quæ tantum poterat comeſſe quantum navis oneraria ferre poſſet. Nomine generali *onerariæ* ab oneribus vehendis ac mercibus; nam *onera* ſunt merces; ſpeciali formæ appellatione dictæ *corbitæ*. Ita Græci φορτίδας appellant & φορτηγοὺς, ab oneribus, à forma γαυλούς. Vocant & ὁλκάδας, quod tractim eant, utpote tardiores. Hæc etiam inter *onerarias* & *longas* naves differentia, quod longæ remis agerentur, onerariæ velis tantum inſtruerentur. Hæc illis

cauſa

cauſa tarditatis. Nã tranquillo non procedebant, atque adverſo vento in portum regredi cogebantur. At longæ naves, ut triremes, ſemper & per malaciam & reflante vento curſum tenebant, remis incitatæ. Plautus in Pœnulo:

Tardiores quam corbitæ ſunt in tranquillo mari.

Quia remis non utebantur, ſed velis tantum. Quod ex Livio liquet his verbis, *Naves quas Livius tutandis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, apparatuque mœnium oppugnandorum, partim tormentis & ſaxis, omnique telorum miſſilium genere inſtruit, onerarias quoque, non ſolum quæ remis agerentur.* Ergo onerariæ non agebantur remis. Iſtæ ſunt quas βαρείας appellant Græci, quia opponũtur levibus ac celeribus navigiis, quæ κοῦφα ab iiſdem appellantur Græcis, & tamen non ſunt eadem cum longis, licet & ipſæ ſint velociſſimæ. Unde & δρόμωνες recentioribus Græcis dictæ. Ut enim antiqui Græci τριήρεις & γαυλοὺς ex oppoſito iungunt, μακρὰ πλοῖα ac στρογγύλα, Latini *longas naves* & *onerarias*, vel *corbitas*, ita poſteriores Græci δρόμωνας & σκαφοφόρα πλοῖα diſtinguunt, quæ & ἱππαγωγὰ vocarunt & ναῦς φορτηγοὺς, ut videre eſt apud Leonem

in

in Tacticis capite περὶ ναυμαχίας. Dromones ſunt triremes veterum, & τριήρεις Græcorum: σκευοφόρα πλοῖα onerariæ. Longæ naves, ſive triremes, bellicæ naves, & Græci στρατιωτίδας eas appellant, à ferendis militibus, ut ἐπιβατίδες dicebantur à vectoribus, quæ & *vectoriæ* inde dictæ, & ἐπιβατηγοὶ leg. I. π. XII. D. de exercitoria actione, de quibus paulo poſt. Naves illæ longæ etiam *liburnæ* dicebantur. Sic enim Latinis numcupatæ, quę eædem ſunt cum triremibus vel navibus longis, licet non tantum triremes ex eo genere fierent, ſed etiam quadriremes & plurium ordinum. Quinimo & biremes conſtruebantur, & cum ſingulis etiam remorum ordinibus, quales Græci æreres μονήρεις nominabant, poſterior ætas Græciæ γαλαίας, non galeras nunc, noſtri autem avi etiam *galeas*. Vegetius lib. IV. cap. VII. de modo liburnarum. *Quod ad magnitudinem attinet, minimæ Liburnæ remorum habent ſingulos ordines* (μονήρεις Græcorum intelligit:) *paulo maiores binos* (hæ ſunt biremes ac διήρεις Græcorum:) *idoneæ menſuræ ternos vel quaternos, interdum quinos ſortiuntur remigio gradus*. Quæ ternos ſortiuntur remorum ordines ſunt τριήρεις Grę-corum, quæ quaternos τετρήρεις, quæ qui-
nos,

nos, *μονήρεις*. Idem de dromonibus poſterior ætas Græciæ dixit, maiores, minores, & minimos dromones conſtrui pro numero ordinum remigii, ut legimus apud Leonem in Tacticis loco iam citato. De biremibus dromonibus ſcribit, *δύο ἔχειν τὰς λεγομένας ἐλασίας, τήν τε κάτω καὶ τὴν ἄνω.* Dicit ibidem, & maiores fieri ſolitos, nempe triremes vel plurium ordinum, atque etiam minimæ formæ. quales fuere *μονήρεις* vel *γαλέαι. Καὶ ἔτι δὲ κατασκευάσεις ἐλάττους, δρομικωτάτους οἱονεὶ γαλαίας, ἢ μονήρεις λεγομένους.* Hæ ſunt minimi modi liburnæ Vegetii, quæ remorum tantum ſingulos habebant ordines. Quales hodie omnes naves longæ quibus in mare mediterraneo navigatur, fabricari ſolent. Biremium quippe & triremium nullus nunc uſus, quaſi ſi nunquam cognitæ antea fuiſſent & uſitatæ. Multo magis imperitis mirabile videtur, uſu quondam celebratas fuiſſe & quę plurium ordinum fuerint, cum tamen ſatis compertum ſit, ut auctores teſtantur fide digni, in Actiaco prælio navali inter Auguſtum & Antonium facto, longe maiora concucurriſſe navigia, *adeo ut ſenorum etiam*, ut ait Vegetius, *vel ultra ordinum fuerint.* Immo uſque ad decem ordinum navi-

navigia in ea pugna viſa ſunt in claſſe Antonii, ut refert Dio qui dicit, eum in exercitu ſuo paucas triremes habuiſſe, ſed plurium ordinum multas, uſque ad deceres, nempe quadriremes, quinqueremes, hexeres, octeres, enneres & deceres. Nam Latini hæc nomina uſurparunt Græca de huiuſmodi navibus ultra *quinqueremes*, quia Latina compoſitio non ſatis apta & conncinna in his enumerandis videretur. Plinius tamen lib. VII. cap. LVI. *Decemremem* dixit pro *decere*, ut *decempedam*. Et Cicero *decemſcalme* navigium. Apud Iſidorum lib. XI. cap. I. *Penteres* & *Sexeres* ſcribendæ ſunt, ut teſtantur libri veteres, pro hodie legimus, *pentere-mes* & *hexeremes*. Et vereor etiam ne apud Hirtium ita ſit reſtituendum, *penteres* pro *pentiremis*, ut vulgo legitur, quod puriori Latinitati illius ſæculi vix convenit, ut vocem ex Græco & Latino compoſitam uſurparint. Dionis verba ex lib. L. τὰ μὲ σκάφη τοῦ Ἀντωνίου πολὺ τῶν ἐναντίων ὑπερέχοντα ἦν, τριήρεις γὰρ ὀλίγαι, πεντήρεις μὲ, τετρήρεις τε καὶ δεκήρεις, καὶ τὰ λοιπὰ τὰ διὰ μέσου πάντα. Nempe, ἑξήρεις, ἑπτήρεις, ὀκτήρεις & ἐννήρεις. Idem libro LI. narrat victo Antonio Auguſtum capta navigia Apollini Actio dedicaſſe, ubi etiã τῶν δε-

κηρῶν

νηρῶν meminit: καὶ ἐπ' ἀκτῇ τῷ τε Ἀπόλλωνι τῷ Ἀκτίῳ τριήρη τε, καὶ τετρήρη, τά τε ἄλλα τὰ ἑξῆς μέχρι δεκήρους ἐκ τῶν αἰχμαλώτων νεῶν ἀνέθηκε. *Et in ipſo littore vel acta, Apollini Actio dedicavit ex captivis navigiis triremes, & quadriremes, & reliqua in medio uſq; ad deceres.* Id eſt, denorum ordinum naves. Fabulæ hodie videntur iſtæ pluriũ ordinum naves, quia nullas novimus præter μονήρεις, quæ *Galeræ* ſunt ut iã dictũ, noſtræ, ſimplicis ordinis remorum naves. Nec potuit hactenus perſuaderi doctis, alias fuiſſe cognitas veteribus quam quæ hoc tempore in uſu habentur. Quamvis Scaliger in Animadverſionibus ad Euſebiũ, id ſatis luculenter probaſſet. Nos in alio opere novis rationibus & argumentis id expugnabimus. Nunc obiter quædam adnotabimus, quantum ſufficiet ad ſignandam *longarum* navium & *onerariarum* differentiam, quibus Iuriſconſulti poſtliminii ius ſolis fuiſſe ſcripſerunt, atque ad explicandam earumdem *longarum* navium ſignificationem. In qua exponenda viri magni erraſſe mihi videntur, cum *longam* navim diſtinxerint ac diverſam fecerint à plurium ordinum navibus, biremibus utputa, triremibuſque & aliis maioribus. Antequam repertæ

 eſſent

eſſent *longæ* naves, ſolarum rotundarum uſum fuiſſe inter auctores convenit. Nec repetam quæ ab auctoribus teſtimonia iam attulerunt viri in his litteris primarii. Tantum illud addam, plurimis navigiis ideo nomina impoſita ex vaſis quæ rotundæ erant formæ, ut Γαυλοὶ, κάνθαροι, κύμβαι, κοβαίαι, κελέβαι, σκάφαι, & alia. Nam σκάφη nomen commune eſt navis, & alvei, qui rotundus eſt. Prima navis longa, ut plures auctores conſentiunt, ab Argonautis inventa. Quamvis aliis inventoribus tribuatur, quorum nomina habes apud Plinium, lib. VII. cap. LVI. *Longa nave Iaſonem primum navigaſſe, Philoſtephanus auctor eſt.* Herodotus quoque libro I. Iaſonem, & reliquos cum eo Argonautas, *nave longa* Colchos petiiſſe narrat. Μετὰ δὲ ταῦτα Ἕλληνας αἰτίους τῆς δευτέρης ἀδικίης γίνεσθαι· καταπλώσαντας γὰρ μακρῇ τῇ νηῒ εἰς Αἶαν τε τὴν Κολχίδα, καὶ ἐπὶ Φάσιν ποταμὸν, ἐντεῦθεν διαπρηξαμένους καὶ τἄλλα τῶν εἵνεκεν ἀπίκοντο, ἁρπάσαι τοῦ βασιλῆος τὴν θυγατέρα Μηδείαν. Alii perhibent, non Iaſonem primum nave longa navigaſſe, ſed Danaum, unde & Δαναῒς vocata eſt. Nullam certe Plinius Danai mentionem fecit cum de inventione navium longarum tradidit, à prima ſimplice

plice cuius auctor dicitur Argus quę Argonautas vexit, uſque ad τετταρακοντήρης id eſt, quadraginta ordinum, quam fabricavit Ptolemæus Philopator. Sed eodem loco Plinius meminit navis primæ à Danao inventæ, *qua primus in Græciam ex Aegypto advenit, cum antea ratibus navigaretur, inventis in mari rubro inter inſulas à rege Erythro.* Convenit inter omnes, ratibus primo navigatum, id eſt, ut Græci vocant, σχεδίαις. Rates erant ligna colligata, quæ per aquam agebantur, quas etiam *codicarias* dicebant, quia codices ſunt tabulæ coniunctæ. Navium autem rotundatum prior inventio & uſus fuit quam longarum. Ergo quæ à Danao primum inventa eſt navis, qua in Græciam venit, rotūda fuerit, cū longa prima ea extiterit qua vecti in Colchidem Argonautæ, quæ & πεντηκόντορος appellata. Apollodorus quoque lib. II. Bibliothecæ navem primam à Danao fabricatam ſcribit, in quam impoſitis filiabus in Aegyptum fratrem fugit, καὶ ὑποθεμένης Ἀθηνᾶς αὐτῷ ναῦν πρῶτος κατεσκεύασεν ἐν ᾗ τὰς κόρας ἐνθέμενος ἔφυγε. Inſerta in medio verba libri non agnoſcunt, nec puto eſſe genuina, τὴν κληθεῖσαν ὡς ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ πεντηκόντορον. Nemo Græce pe-

ritior paulo ignoravit, πεντηκόντορον, vel πεντηκόντερον à numero remorum appellatam. Præterea ipſe ſibi contradiceret Apollodorus, qui lib. 1. Bibliothecę Argonautarum navim ita dictam ſcripſit, à numero nimirum remigum: Κἀκεῖνος Ἀθηνᾶς ὑποθεμένης πεντηκόντορον ναῦν κατεσκεύασε τὴν προσαγορευθεῖσαν ἀπὸ τοῦ κατασκευάσαντος. Certe πεντηκόντορον ita dictam conſtat à numero remorum, ut τελακόντορον, & εἰκόσορον. Hyginus in libro de fabulis cap. ult. de inventionibus primis rerum, ait, *Minervam primam navem biproram Danao ædificaviſſe, in qua Aegyptum fratrem profugit*. Sed quæ eſt navis *biprora*? Certe in mendo navigat. Scribendum *dipleuram*, ut diſtingueretur à ratibus ſive σχεδίαις antiquis, quæ latera & laterum coſtas non habebant, utpote ex tignis planis inter ſe colligatis & coniunctis compoſitæ. An *dicrotam*? Nam Latine *dicrotas* dixit Hirtius. Sed per *dicrotom* intellexerit Hyginus quæ utrimque remis agitatur, τὴν ἀμφήρη, cum rates ſive σχεδίαι non agerentur remis. Atqui δικρότον ναῦν Græci vocant biremem cum gemino remorum ordine, quæ aliter διήρης, qualem m veri-

veriſimile non eſt à Danao excogitatam. Quid ſi Græce ſcripſit, navem μακρὰν? Multi ſane auctores ſunt, Danaum primum eſſe auctorem navis μακρᾶς, *navis longæ*. *Biprora* omnino mendoſum eſt, quamvis ſciã naves διπρύμνους & διπρώρους aliquando factas, ſed non talis ea fuit Danai. Vt ut ſit, ſi primus Danaus navem reperit, non ea longa fuit, ſed rotunda, cum rotundæ priores fuerint longis. Lonroga autem prima extitit qua Iaſon navigavit in Colchos, eaque πεντηκόντορος, quod quinquaginta remis in totum ageretur, & quinquaginta remiges haberet, ipſos nimirum Argonautas, qui hoc numero fuerunt. Quod enim Scaliger putat, plures Argonautas numeratos eſſe, & proinde maiorem, id eſt, longiorem Argo navim fuiſſe, fidem non facit, nec id evincit Theocritus qui τριακοντόζυγον Ἀργὼ nominavit, quaſi triginta remis in ſingulis lateribus impulſam. Poëtico quippe more numerum pro numero poſuit, cum verſus non ferret nomen quo verus remigum eius numerus exprimeretur. Nam viginti quinque tantum remiges habuit in ſingulis partibus, & in totum quinquaginta, unde πεντηκόντορος, vel πεντηκόντερος appellata.

ab antiquo verbo ἔρω quod eſt impello, unde ἐρωὴ impetus ὁρμὴ, à quo productum ἐρέσσω de remis quibus navis impellitur & incitatur uſurpatum, à quo ἐρέτης, ἐρεθμός, ἐρεσία, & ſimilia. Πεντηκόντορος igitur longa prima navis à quinquaginta remis quibus agebatur, unico utrimque ordine diſpoſitis, vicenis quinis ex una parte, totidem ex altera. Longitudo igitur eius tanta patuit à prora ad puppim quantum viginti quinque remiges ſuis ſedilibus ad remigandum ſedentes loci occupare potuerunt. Spatium autem inter duos remos, vel ſcalmos, fuit binorum cubitorum, ut infra dicetur. Hæc μονήρης plane fuit, & *uniremem* Latine liceat dixiſſe, quod tamen Latinis *auctoribus* non eſt uſitatum. Græci etiam μονόκροτα huiuſmodi navigia appellarunt quales minimæ fuerunt *Liburnæ* Romanorum, & minimi *Dromonos* infimorum Græcorum, qui remorum ſingulos habuerunt ordines. Et tales etiam hodieque *Galeæ* noſtræ quibus utuntur in mari mediterraneo. Poſt *uniremem*, vel μονήρη longam, inventa eſt *biremis*. Plinius: *Biremem Damaſtes Erythræos feciſſe.* Hæc δίκροτος Græcorum. Etiam διήρη dixerunt, ut μονήρη, & τριήρη. Sed quia
διή-

διῆρες magis uſitatum ad tabulata ædium deſignanda quæ in ſecundo ordine fuere, & δίστεγα dicta ſunt, ideo δίκροτον, potius de nave διήρει frequentatum, ut & μονόκροτον pro μονήρει. Heſychius, διῆρες, ὑπερῷον ἢ κλίμαξ. Etiam διῆρες pro duplici uſurpaaunt, ut μονῆρεο pro ſimplici. Unde μονήρεις λέξεις. Idem Heſychius, διήρη, διπλᾶ. Et certe eadem in aliis numeris compoſitio idem prorſus ſignificat. Τριήρης, triplex: τετρήρης, quadruplex, eadem forma qua ποδήρης à πῦς ποδὸς, quod uſque ad pedes defluit veſtimentum. Sic à κώπη, κωπήρης, & ſimilia. Cum igitur μονήρης ſit ſimplex à μόνος, unde μονήρεις λέξεις, μονήρη ζῶα, & μονήρης βίος, ὁ μοναχικὸς, ſolitaria vita, ita & διήρης duplex, ut διῆρες δωμάτιον, διήρης πύργος, cum duplici tabulato. A reliquis numeris compoſita ſimiliter, τριήρης pro triplici, τετρήρης pro quadruplici, & πεντήρης pro quinqueplici. An falſi ergo ſunt viri docti, qui putarunt, cũ iſta vocabula de navibus uſurpãtur, à verbo ἐρέσσω, quod eſt remigo, deduci? Nã ſi inde facta hæc vocabula numerum tantum remorum vel remigantium indicarent, διήρης idem eſſet quod δίκωπος, duobus remis acta navis, τριήρης τρίκωπος, trium

remorum, vel remigum. Atque ita de cæteris. Et ſane Latini cum *biremes*, & *triremes*, & *quadriremes* eo modo formarunt, quaſi Græcum διήρης, & τριήρης id ſignificaret, æque hallucinati videntur ac cum Græcorũ ὑάδας *ſuculas* reddiderunt. *Biremis* certe nihil aliud ſignificare poteſt quam duorum remorum navim, & *triremis* trium. At διήρης ναῦς duplex eſt navis, id eſt, duplici remorum ordine inſtructa, quæ & δίκροτος, id eſt, utrimque duplici remorum ordine συγκεκροτημένη, ut μονόκροτον ſimplice. Heſychius, διήρης ναῦς, ἣν καὶ δίκροτον καλοῦσι. Ita & ἀμφήρεις, ab ἀμφὶ deductum, ut περιῆρες à περὶ, quod circuiri poteſt, quod in circuitu patet. Non enim ab ἐρέσσω compoſitum eſt. Inde ἀμφήρης ναῦς quę remos in utraq; parte habet, & remis undiq; inſtructa eſt. Heſychius interpretatur, ἀμφήρεις νῆας ἀμφοτέρωθεν ὁρμωμένας. Quod addit, ἢ ἐρεσσομένας, an rectum eſt? Eadem, ut videri alicui poſſet, ἀμφήρης ναῦς dicitur, quæ in omni parte remos habet, & διήρης quæ duplicem ordinem habet remorum, ac τριήρης quæ triplicem? Ea quippe quaſi duplex cenſetur navis quæ duplici remorum ordine navigat, ut ſimplex, id eſt, μονήρης, quæ uno agitur, quæ & ἀμφήρης ap-

pella-

pellatur. Sic πύργος μονήρης, qui etiam ἐπίπεδος dicitur, & nullum habet ſuperius tabulatum, qui & μονόστεγος. Vt διήρης quæ duplex habet tabulatũ, eſt δίστεγος, & τριήρης τρίστεγος. Quæ ab ἐρέσσω compoſita non ſunt, ſed à numeris facta per productionem, ut μονήρης, de ſolitario, & ſimilia. Certe διήρης πύργος, & τριήρης, duum aut trium tabulatorum, non videtur hanc appellationem ſumpſiſſe à navi binorum aut trinorum ordinum, neque rurſus navis διήρης, aut τριήρης, quæ binos aut ternos ordines habebant, ita appellatæ ab ædibus plurium tabulatorum. Quid igitur dicendum? Certe διήρης, & τριήρης, cum de ædibus uſurpantur quibus bona aut terna tabulata, aliam habent originem, ut etiam ſignificationem quam dictiones ὁμώνυμοι, cum de navibus plurium ordinum remorum ſumuntur. Et certe ἀμφήρης ναῦς, omnino ab ἐρέσσω ſic dicta eſt, quod ab utroque latere remis ſit inſtructa: Ita etiam εὐήρεις νῆες dicuntur remis inſtructæ, & κατήρεις, apud Herodotũ. Euripidi, πλοῖον κατῆρες. Heſychius, κατῆρες, κατηρτισμένον ἐρετμοῖς. Inde etiam ἀμφῆρες. Ac δωμάτιον διῆρες, aut τριῆρες, quod remos non habet, non poteſt videri deductum ab eadem origi-

 ne.

ne. Ἐννήρης, & κατήρης, & διήρης, & τριήρης, & reliqua de navibus hoc modo compoſita, ab antiquo verbo ἔρω veniunt, quod eſt remigo vel impello remis. Cum autem διῆρες aut τριῆρες δωμάτιον dicitur, à verbo ἄρω derivatur, quod eſt coniungo, contabulo, ἁρμόζω. Vnde ἄρσαι compingere, ἀρτὺς compactio, quod & pro conventione ſumitur. Inde etiam ἄρθρα pro iuncturis, & articulis. Ab illo igitur ἄρω, compoſita μονήρης, διήρης, & τριήρης, quæ ſimplicis ſunt, duplicis aut triplicis ἁρμογῆς, vel duplici & triplici compagine contabulata. Apud Plutarchum in libro, πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτῦ προκόπτοντος, vox διῆρες cænaculum ſignificat, non navem biremem, in iſtis, ὀλίγυ δεῆσαι καταβαλεῖν ἑαυτὸν ἔκ τινος διήρυς, *parum abſuiſſe quin ſe deiiceret ex quodam cænaculo*, id eſt, ſecundo ædium tabulato quod δίστεγον etiam dicebatur, & ὑπερῷον. Nec mirum porro, voces diverſæ ſignificationis, & ab origine diverſa venientes in hanc ὁμωνυμίαν cadere, cum ab utroque verbo ἄρω, & ἔρω, compoſita poſſint eamdem habere formationem, ut διήρης ab ἔρω, quod eſt duorum remorum, & διήρης ab ἄρω, quod eſt duplicis compagis, vel ἁρμογῆς. Hoc diſcrimen

fa-

facile intelligitur in voce διήρης, quæ duo ſignificat, & navem bene remis inſtructam, aut bonis remis incitatam, aut rem bene compactam, & compoſitam. Heſychius, διήρες, ἐλατον, καὶ πεπονημένον, πρὸς τὸ ἐρέσσειν. Ac διήρες ab ἄρω eſt, καὶ ἡρμοσμένον. Prima ergo longa navis ab Argo fuit μονήρης, id eſt, ſimplici ordine remorum utrimque inſtructa. Διήρης poſt illam inventa, etiam ex numero longarū, cum duplici remorum ordine, quam & *biremem* improprie Latini vertendo dixere. Qui biremem invenit, nihil ad longitudinem prioris longæ ſimplicis addidit, ſed tantum ad altitudinem, ut alterum remorum ordinem accipere poſſet infra alterum diſpoſitum. Exempli gratia, navis longa Argonautarum prima, quæ πεντηκόντορος à quinquaginta remis appellata eſt, cum in ſingulis lateribus vicenos quinos remiges haberet, quæ biremis poſtea facta eſt, non plures accepit remiges in ſingulis partibus, ſed alterum ordinem remigum inferiorem, ſuperiori parem. Et cum prima longa μονήρης, quinquaginta tantum remiges habuerit, & vicenos quinos in ſingulis partibus, hæc διήρης longa quę & biremis, nō longior facta eſt, nec pluribus remigibus in-

inſtructa per ſingula latera, ſed pro ſimplici ordine remorum, duplicem ſortita eſt. Et ſic totum eius remigium centum hominibus conſtitit, qui quinquageni in ſimplice longa fuerunt. Leo de Biremi, ἕκαστος δὲ τῶν δρομώνων διμήκης ἔστω, καὶ σύμμετρος ἔχων μὲν τὰς ἐλασίας δύο, τὴν τε κάτω, καὶ τὴν ἄνω. Perperam interpres vertit *triremē* quæ biremis fuerit. Sic igitur vertendum erat: *Vnaquæque autem biremis prælonga ſit, & magnitudinis congruæ, duos habens ordines remorum, alterum ſuperiorem, alterum inferiorem.* In unoquoque ordine viginti quinque iuga debere eſſe dicit, ita ut totidem ſint in ſuperiore atq; in inferiore, ac ad ſingula latera quinquaginta remiges ſedeant, viceni quini in ſuperiore gradu remigii, & viceni quini in inferiore, ὡς εἶναι, inquit, τοὺς πάντας κωπηλάτας ὁμοῦ, καὶ τοὺς αὐτοὺς καὶ τοὺς στρατιώτας τούς τε ἄνω, καὶ τοὺς κάτω ἑκατόν. Ex quo argumentum invincibile duci poteſt, falſiſſimam eſſe quæ hactenus in hominum doctorum ſincipite regnavit opinio, illum ordinum multiplicem in navibus numerum, per longitudinem navis computari debere, non per altitudinem. Sic enim volunt, ordines illos, non in altitudinem, ſed in longitudinem conſideran-

derandos eſſe. Ab hiſce ordinibus ſi bini erant in eodem latere navis, ipſas naves biremes, ſi terni, triremes, & ſic deinceps nomen habuiſſe. In biremi, inquiunt, latus utrumque binis ordinibus, per lateris longitudinem diſpoſitis, collocatis ibi ſedilibus remigum, diſtinctum habebatur, in triremi tribus, atque ita in cæteris uſque ad τετϳαρακοντήρεις, id eſt, eas naves quæ quadraginta ordines remorum habebant. Videamus igitur an hæc ſtare poſſit expoſitio per rei ipſius de qua agitur naturam, atq; ut βαρβαρώτερον, ſed σαφέστερον eloquar, poſſibilitatem. Simplex longa navis quæ Græcis πεντηκόντορος dicebatur, ſingularem habuit in ſingulis lateribus ordinem remorum ex viginti quinque remigibus conſtantem. Fiat biremis, & per utrumque latus adhuc alterum ordinem accipiat remigum. Et pro vicinis quinis per longitudinem lateris ſedeant quinquageni remiges, erunt in totum centeni. Sic duplo longior evadet hæc navis quam eſt πεντηκόντορος. Illa enim vicenos quinos tantum habet remiges in unoquoque latere, iſta vero biremis quinquagenos. Age faciamus triremem. Ternos ordines pro ſingulis habebit. Ita lon-

longitudini eius adiicietur quanta eſt unius longæ ſimplicis longitudo. Et ſic triremis hæc æque longa erit quam tres fuerint πεντηκόντοροι, coniunctæ à prora vel à puppi. Exeat quadriremis pro triremi, quattuor longarum navium ipſi longitudo conciliabitur, eadem manente latitudine inter utrumque latus, & altitudine à ſedilibus remigum uſque ad carinam. Duplicetur numerus ordinum, & pro quadriremi compingamus octerero, tantam adipiſcetur longitudinem quanta eſt octo navium *longarum*. Nam octoni ordines remorum in ſingulis eius lateribus eruat. Quid in parvo moramur, aut tricamur? Vno ſaltu, omiſſis in medio minoribus, recta ad eam quæ omnium maxima fabricata eſt, aſcendamus, quæ τεσσαρακοντήρης Græce dicebatur, à quadraginta ordinibus remorum, qualem à Ptolemæo Philopatore inſtitutam eſſe, ſcribit Plinius. Vltra non progreſſos eſſe, ex eodem Plinio conſtat, qui maiorem non nominavit. *Biremem*, inquit, *Damaſtes Erythræos feciſſe. Triremem Thucydides Aminoclem Corinthium. Quadriremem Ariſtoteles Carthaginenſes. Quinquereme, Oneſichton, Salaminios. Sex ordinum Xenagoras, Syracuſios. Ab ea ad Decemremem Mneſigiton Alexan-*

Alexandrum Magnum. Ad XII. *ordines Philoſtephanus Ptolemaus Solerem: Ad quindecim Demetrium Antigoni Ad triginta Ptolemæum Philadelphum. Ad* XL. *Ptolemæum Philopatorem, qui Tryphon cognominatus eſt.* Ita totus ille Plinii locus conſtituendus eſt, qui valde inquinatus circumfertur in editionibus. Ex noſtra correctione Syracuſii teſte Xenagora ſex ordines navis primi fecerunt, quinqueremem Salaminii teſte Oneſichtone. Maxima autem navis quæ in hoc genere facta eſt, fuit τεσσαρακοντήρης, hoc eſt, quadraginta ordinum remorum navis. Et à Ptolemæo Philopatore talem conſtat ædificatam, ut Athenæus ipſe teſtatur, à quo deſcripta eſt, lib. V. Vt hinc liqueat mendoſam & falſam eſſe in Plinio vulgatam lectionem, quæ fert Philopatorem illum Ptolemæum uſque ad quinquaginta ordines navem curaſſe conſtruendam. Si vera eſt illorum ſententia, qui volunt, in uno navis latere omnes illos ordines fuiſſe diſpoſitos, conſteque ex his quæ diximus ſingulos ordines ſimplicis longæ vicenos quinos habuiſſe remiges, navis quadraginta ordinum in unoquoque latere mille remiges habuerit neceſſe eſt, tamque longa fuerit quam erunt quadraginta

ginta naves *longæ*, eadem latitudine, & altitudine. Longiorem quidem fuiſſe probabile eſt nave *longa* ſimplici, immo & longiſſimam fuiſſe, conſtat, utpote quam perhibeat Athenæus ducentos & octoginta cubitos longitudinis habuiſſe. Sed proportione huic longitudini tam latitudo quam altitudo reſpondebant. Et quod mirum eſt, in tam vaſto navis corpore non plures fuere remiges quam oportuit eſſe ratione habita ad navem ſimplicem longã, quę centeno remige utebatur in ordine remorum ſingulari. Nam ſimplices longæ, non tantum extitere πεντηκόντοροι, ſed etiam ἑκατόντοροι. Pollux lib. I. cap. IX. ἑκατόντορος, πεντηκόντορος, τριακόντορος, εἰκόσορος. Maxima igitur longarum navium ſpecies quæ uno ordine remorum agerentur, fuit ἑκατόντορος, quinquagenis remis per ſingula latera inſtructæ. Iuxta hanc proportionem ſi biremem fieri placeat, iſta ἑκατόντορος ducentos remiges accipiet, centenos in ſingulis partibus. Si triremem, erat trecentorum remigum: ſi quadriremem fieri placeat, habebit quadringentos: ſi viginti ordinum ædificetur, hoc eſt, εἰκοσήρης, duo millia remigum ad eam impellendam opus erant.

Si

Si ordines duplicentur, & duplo maior fiat navis quã εἰκοσήρης, quadraginta ordinum exiſtet, & τεσσαρακοντήρης evadet, qualis illa fuit Ptolemæi Philopatoris ab Athenæo deſcripta, quæ & eadem proportione quattuor millia remigum habere debuit, & tot habuit, eodẽ Athenæo teſte, γενομένης δὲ ἀναπείρας, ἐδέξατο ἐρέτας πλείους τῶν τετρακισχιλίων. Dicit, plures quaternis millibus, nec exprimit quanto plures habuerit. Sed certum eſt ex ratione quam poſuimus non plures habere debuiſſe. Præterea Plutarchus in vita Demetrii, in hac ipſa Philopatoris τεσσαρακοντήρει deſcribenda, exacto & rotundo numero, quattuor tantum millia remigum ei tribuit. ἐρέταις δὲ τετρακισχιλίοις. Nec longe abit ab hac proportione quod quinqueremem Caii Plinius quadringentis remigibus incitatam fuiſſe oſtendit lib. XXXII. cap. 1, *De echeneide*, quæ qinqueremem Caligulæ remorata fuerat: *Circa navim invenere adhærentem gubernaculo, oſtenderuntque Caio, indignanti hoc fuiſſe quod ſe revocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe intercederet.* Examuſſim reſponderet ratio ſi quingentos remiges illa quinqueremis habuiſſet, totidem nempe quot quinque ſimplices μονήρεις centenorum remigum.

V v Nec

Nec ſane video quomodo illi quadringenti remiges in quinqueremi poſſint iuſte dividi in quinos ordines, niſi ſingulis ordinibus quadraginta remiges tribuamus cuiuſque lateris. Ita in totum fuerint utriuſque lateris in quinos ordines remorum à ſummo ad imum diſtincti, remiges quadringenti. Triremis iuxta proportionem quam poſuimus habere debuit centum & quinquaginta remiges ſi ratio habeatur ſimplicis πεντηκοντόρου ſive μονήρους quinquagenis remigibus inſtructę, aut trecentos ſi centũ remiges dederis ei navi quę ſingulos ordines habeat. Polybius trirenibus Romanis totidẽ tribuit remiges nẽpe trecenos. At vetus auctor triremi ducentos tantum dat remiges. Sic enim ſcribit in Excerptis quæ manu exarata habuimus ex Bibliotheca Regia: Πεντηκόντορος ναῦς ἀπὸ τοῦ πεντήκοντα ἔχειν ἄνδρας, ὅπερ ἦν ἀριθμὸς λόχου. ἡ δὲ τριήρης προσαγορεύεται ἀπὸ τοῦ τρεῖς ἔχειν ἐρεσίας, τέτταρας μέντοι λόχους, ἡ γὰρ ἀρχαία σύνταξις, διακοσίους εἶχε τοὺς ἐμπλέοντας. Simplici longæ, id eſt, ſingulorum ordinum μονήρει dat quinquagenos remiges, triremi ſive τριήρει quæ ternorum fuit ordinum, & trina remigatione agebatur, ducentos. Quomodo in ternos ordines diſtribui poſſint ut nihil ſuperet

aut

aut deſit non video. Si ſingulis ordinibus triginta tres remiges aſſignabimus, ducenti erunt & bini. Si triginta tres dabimus, non erunt integri ducenti ſed uno minus. Quæ ſummula excurrens vel deficiens non eſt conſideranda. Biremis Leonis in Tacticis exacte binos ordines habet, tot remigum ſingulos quot erant in una πεντηκοντόρῳ, ſive μονήρει. Sed & illud obſervandum, in illa nave Philopatoris quæ ducentos longitudinis cubitos habuit paucos habuiſſe videri in utroque latere remos præ tanta longitudine. Spatium inter duos remos quod vocabatur *interſcalmium* vulgo erat duum cubitorum, ut ex Vitruvio diſcimus lib. 1. cap. 11. ubi docet de ſymmetria quomodo in omnibus rebus & operibus ſit intellligenda, ut in hominis corpore ex cubito, pede, palmo, digito: in ædibus ſacris è columnarum craſſitudinibus aut è triglypho: *in navibus ab interſcalmio, quod διαπηχυαῖον dicitur, item cæterorum operum è membris invenitur ſymmetriarum ratiocinatio.* Ergo interſcalmium vulgarium navium, ut puta triremium, ut plurimum erat duorum cubitorum, quo ſpatio remus à remo diſtabat. Iuxta hanc rationem in longitudine lateris navis à Philopato-

re conſtructæ debuerunt eſſe remi plus quam centeni & quinquageni, cum fuerint tantum quinquageni. Sed veriſimile eſt, in illis enormæ magnitudinis & altitudinis navibus quæ tot remorũ ordines à ſummo ad imũ haberent, non idem ſervatũ intervallum inter remos quod in minoribus navigiis obſervabatur. Et hoc eſt quod vult illo loco Vitruvius, prout eſt ædium ſacrarũ magnitudo, ita etiam craſſas columnas eſſe debere, ut ſymmetria ſit. Giganteæ ſtaturæ homo cubita, pedes ac palmos non habet ſimiles pumilioni alicui. Ita ergo & in navibus, perinde ut ſunt magnæ aut parvæ, ita alia ratio eſt eorum interſcalmii, cum in maioribus navigiis ſit longe maius ſpatium inter remos quã in minoribus. Eſt etiam forma quædam ſtata & mediocris navium, ut & ædium, & aliorum operum. In his interſcalmium vulgo erat δίπηχυαῖον. Remorum etiam ipſorum numeri non in omnibus eadem ratio & proportio. Non enim ſemper proportionem ſervatam in omnibus plane conſtat. Ecce enim *octeres* Ptolemæi, qui cum Antigono navalibus copiis dimicavit, adjutus Lyſimachi navibus, centenos remiges in ſingulis lateribus habuit, quę ratione habita vel ad ſimplicem

plicē πεντηκοντόρων non plures vicenis quinis habuiſſet. At ſi æquata fuiſſet octo ἑκατοντόροις, quinquagenos in unoquoque latere habere eam oportuit. Simplex πεντηκόντορος quinquaginta remigibus agebatur & remis quinis per ſingula latera. Si octo ordines his pares in navi ſtruxeris, navem illam octerem vel octiremem feceris, quæ numerum remigum in his octo ordinibus laborantium, ad quadringentos tantum accipiet. Non enim augebatur remigum numerus per longitudinem lateris cum ordines multiplicabantur, ſed in altitudine. At illa octeres Ptolomæi centenos remiges in unoquoque latere & in uno quoque ordine habuit. Sic in ſingulis lateribus octingenti, in duobus mille ſexcenti extitere. Corrigenda Menonis verba in Photii Bibliotheca, apud quem ſic legitur, καὶ ὀκτήρης μία ἡ λεοντοφόρος καλουμένη, ἡ μεγέθους ἕνεκα καὶ κάλλους ἥκουσα εἰς θαῦμα. ἐν ταύτῃ γὰρ ἑκατὸν μὲν ἄνδρες ἑκατόνστοιχοι ἤρεττον ὡς ω̄ ἐκ θατέρου μέρους γένεσθαι, ἐξ ἑκατέρων δὲ χιλίους καὶ ἑξακοσίους. Ita hæc verba citavit Scaliger pro vulgatis, ἑκατὸν μὲν ἄνδρες ἑκατόνστοιχοι ἤρεττον. Sed qui ſunt ἄνδρες ἑκατόνστοιχοι? Non dicitur ἑκατόνστοιχος niſi de re quæ centenorum ſit ordinum, ut ἑκατόμπεδον quod

 cente-

centenorum eſt pedum. Certiſſima eſt noſtra emendatio, ἐν ταύτῃ γὰρ ἑκατὸν μὲν ἄνδρες καθ' ἕκαστον στίχον ἤρεττον. *In hac enim centeni homines in unoquoque ordine remigabant.* Nam στίχους in navi Græci dixerunt quos Latini *ordines verſus* & *gradus*, ut paulo poſt dicã. Sed notandum eſt, Mẽnonem de illa octere dicere admirabili fuiſſe magnitudine textam. Si vulgaris fuiſſet, & pro ratione facta quæ ad πεντηκόντορον ſimpliciter referri poſſet, non plures ducentis aut quadringentis remigibus nacta eſſet. Nam τετταρακοντήρης illa Ptolomæi Philopatoris ſive quadraginta ordinum navis, non plures habuit remiges quam quadraginta ἑκατόντοροι. At octeres illa Ptolomæi alterius cũ remiges habere non deberet plures quã octo ἑκατόντοροι, totidem habuit quot ſedecim, & parem numerũ quem ordinaria ἑκκαιδεκήρης ſive ſedecim ordinum navis, ſed longe alio ordine diſpoſitos. Nam in octonis tantum ordinibus locati fuere in octere, quos ſexdeni ordines occupaſſent in ἑκκαιδεκήρεσι. Mirum etiam, illam quadraginta ordinum Philopatoris navim per tantam lateris longitudinem non plures quam quinquaginta recepiſſe remiges, cum octeres Ptolomæi cognomento Cerauni

rauni centenos in unoquoque laterum & ordinum ſortita ſit. Illi ordines in octere, ut in τεσσαρακοντήρει & in aliis omnibus navibus quæ à numero ordinum denominabantur, à ſummo cataſtromate ad imam carinam numerabantur, ut & erant diſpoſiti, non à prora ad puppim per lateris longitudinem, ut vulgo interpretantur viri doctiſſimi. Athenæus de illa Ptolomei Philopatoris navi, τὸ δὲ ἐγκώπιον ἅπαν μέχρι τῆς τρόπεως κισσίνην φυλλάδα καὶ θύρσους εἶχε πέριξ. Vbi male interpres vertit, *ea vero pars in qua remi collocantur.* cum τοῦ ἐγκώπιου nomine univerſos remos intelligat quos hederis implicatos thyrſorũ in morem fuiſſe ſignificat. & legendum in Athenæo, κισσίνην φυλλάδα κατὰ θύρσους εἶχε πέριξ, id eſt, *remi omnes à ſummo ad imam carinam hederæ frondibus involuti erant thyrſorum in morem.* Infimi ergo ordinis remiges circa carinam navis fuere, qui & θαλάμιοι vel θαλαμῖται dicti. Nam & ibi fuere τρόποι θαλάμιοι appellati. Pollux, οἱ δὲ περὶ τὴν στεῖραν ἑκατέρωθεν παρατεινόμενοι τρόποι, πρῶτος καὶ δεύτερος ὁ καὶ θαλάμιος. Grammatici quippe στεῖραν, interpretantur, τὸ ἐξέχον τῆς πρώρας ξύλον κατὰ τὴν τρόπιν. Iidem στείραμα τρόπιν quoque exponunt. Et τρόπιν, τὸ κατώτατον τῆς νεώς. Et in illo loco Pollucis libri

ſcripti ſic legunt, ὑπὸ δὲ τῆς σπείρας ὑποτέρω-θεν παρατεινομένη τρόπις. Ibi ergo θάλαμος navis, quod vulgo dicitur *fonds de cale*. Et inde θαλάμιοι remiges qui non longe ab aqua circa carinam navis remigabant. Ideo & breviſſimis remis utebãtur, & minimam mercedem accipiebant, quod minimũ laborarẽt, breves utpote remos movendo haud longe ab aqua. Scholiaſtes Ariſtophanis, οἱ δὲ θαλάμακες ὀλίγον ἐλάμβανον μισθόν· διὰ τὸ κολοβαῖς χρῆσθαι κώπαις παρὰ τὰς ἄλλας τάξεις τῶν ἐρετμῶν, ὅτι μᾶλλον ἐγγύς εἰσι τοῦ ὕδατος. Quæ verba citata ſunt à Scaligero in Animadverſionibus ad Euſebium. Θάλαμος, ut dixi, eſt μυχὸς navis intimus & infimus ſinus. Ibi infimus ordo remorum & remigum. Heſychius: θαλάμια, κῶπαι αἱ κατώταται· καὶ οἱ ταύτην ἔχοντες τὴν χώραν θαλάμιοι λέγονται. Idem, θαλάμιος, κατώτατος ἐρέτης, ὁ κατωτάτω ἐρέσσων ἐν τῇ νηΐ. θαλάμιος λέγεται ὁ ἔσχατος, ὁ δὲ μέσος ζύγιος, ὁ δὲ ἀνώτατος θρανίτης. Pollux: Καὶ τὸ μὲν ἔδαφος τῆς νεὼς κύτος καὶ γάστρα καὶ ἀμφιμήτειον ὀνομάζεται, καλοῖτο δ' ἂν καὶ θάλαμος, οὗ οἱ θαλάμιοι ἐρέττουσι. Ex his perſpicuum eſt, quid ſit in navi θάλαμος & cur inde dicti ſint infimi ordinis remiges, circa imam navis partem qua carina eſt & fundum navis haud

haud longe ab aqua remigantes. Media pars navis inter ſummam & imam partem vocabatur ζυγὰ, à qua remiges ζύγιοι qui in ea parte remos agitabant. Pollux: τὰ δὲ μέσα τῆς νεὼς ζυγὰ, ὅ οἱ ζύγιοι κάθηνται. Sequitur ſumma pars navis circa conſtratum, quæ pars θρᾶνος nunc cupabatur, à qua remiges θρανῖται vocati. Pollux: Τὰ δὲ περὶ τὸ κατάστρωμα θρᾶνος, ὅ οἱ θρανῖται. Intelligit remiges θρανίτας. Ita tres ordines fuere remorum in triremi quæ tunc ordinaria fuit & maxime uſitata navis longæ forma. Ideo tres τάξεις Græci navis fecerunt cum ad triremem præcipue reſpicerent. Idem Scholiaſtes Ariſtophanis ad Ranas: ἦσαν δὲ τρεῖς τάξεις τῶν ἐρετμῶν, καὶ ἡ μὲν κάτω θαλαμῖται, ἡ δὲ μέση ζυγῖται, ἡ δὲ ἄνω θρανῖται. Tres erant ordines remorum: qui in ſuperiori parte remigabant dicti θρανῖται, qui in media ζυγῖται, in imo prope aquam θαλαμῖται, hoc eſt, in ipſo navis θαλάμῳ & fundo. Non poteſt igitur ſubſiſtere ſententia Bayfii eorumque qui eum ſequuntur, dividentium navem in tres partes per longitudinem, ut qui remiges ſunt in prima parte ad proram vocentur *thalamitæ*: qui in medio ſupra arborem, *Zygitæ*: qui in tertia ad pup-

 pim

pim *thranitæ* dicantur. Docendum prius Bayſio fuit, partem navis quæ ad proram eſt infimam eius fuiſſe partē, & quæ ad puppim pro ſumma habitam. Pars quidem ad puppim magis erigitur, quæ ad proram paulo eſt depreſſior. Et præterea in puppi ædificabatur prætorium, ſive tabernaculum ipſius ducis vel ναυάρχου, quo fiebat ut elatior videretur puppis. Pollux σκηνὴν vocat: Τὸ δὲ περὶ τὴν πρύμναν πρέχοντα ξύλα περιτόναια καλεῖται. ἐκεῖ που καὶ σκηνὴ ὀνομάζεται τὸ πηγνύμενον στρατηγῷ ἢ τριηράρχῳ. Sed quod ad tranſtra attinet & ſedilia remigum, æqualiter directa per totum navis latus porrigebantur, nec cum ea inæqualitatis differentia, ut alii in ſummo eſſe, alii in infimo dici poſſent. At auctores Græci θρανῖται remiges ad cataſtroma ipſum collocant & in ſumma navis parte, θαλαμῖται autem κατωτάτους, & ζυγῖται inter utroſque, in medio nempe navis corpore. Si autem hi tres ordines remigum in eadem longitudine ad remos ſediſſent, omnes ad cataſtroma fuere ponendi, non ſoli θρανῖται. At ζυγῖται præcipue ad mediam partem cataſtromatis collocandi fuiſſe videntur. Nam cataſtroma in navibus conſtratis inter duas turres erat dextra & ſiniſtra. Pollux:

lux : Ἐὰν ᾖ ἢ κατάφρακτα τὰ πλοῖα, ὅπη ναυμαχοῦνται πυργοῦχοι, καὶ ἐπ' αὐτῷ πυργίδια δύο, δεξιὸν καὶ εὐώνυμον, ἀνὰ μέσον τὸ κατάστρωμα. Præterea ſi navis divideretur per longitudinem in tres partes, ut cenſet Bayſius, eadem ratio eſſet diviſionis in omnibus navibus. Nulla ergo differentia erit quantum ad hanc longitudinis diviſionem inter triremes & biremes, inter has & illas quæ quadraginta ordines remorũ habebant, ut ea Philopatoris. Semper remiges in hac ut in cæteris diſtributi eſſent in tres partes & ordines, *thranitas*, *zygitas*, & *thalamitas*, cum hoc tamen diſcrmine, ut τεσσαρακοντήρης plures haberet thranitas quam triremis, & plures zygitas & plures thalamitas. Unde igitur ea denominationis nata diverſitas in navibus, ut aliæ τριήρεις dicantur, aliæ τετρήρεις, aliæ πεντήρεις, aliæ ἑξήρεις, & ita de cæteris uſque ad omnium maximam τεσσαρακοντήρη? Nã ſi in omnibus omnium navibus tres fuere remigum ordines illis nominibus per longitudinem lateris diſpoſiti, nulla ratio eſt quæ ſuadeat diverſis appellationibus fuiſſe diſtinctas plurium remigum naves ab illis quæ paucioribus remigibus uterentur. Si τριήρεις dicta eſt quod tres haberet τάξεις remo-

rum, ut notat vetus Scholiaſtes, θρανίτας, ζυγίτας & θαλαμίτας, cur τετρήρης appellata eſt à numero quaterno, cum tres æque ordines ſortita eſſet ut τριήρης? cur πεντήρης? cur ἑξήρης? denique cur τεσσαρακοντήρης ſic dicta à quadragenis ordinibus quæ non plures tribus habuit, ut omnis navis magna parvaque in tres ordines per longitudinẽ dividebatur? Hæc ſunt plane ἀσύστατα. Quod autem in illis ſcholiis Ariſtophanis additum legitur, θρανίτης οὗ ὁ πρὸς τὴν πρύμναν, ζυγίτης ὁ μέσος, θρανίτης ὁ πρὸς πρώραν, recentioris ſunt manus, eo tempore adſuta quo iam Græci biremes, triremes & quadriremes, pluriumque ordinum naves non amplius noverant, ſed ſola γαλέαι, quæ *Galeæ* ſunt noſtræ, quæ ab his trecentis aut quadringentis & ultra annis in uſu ſunt Europæis & Aſiaticis, obliterato omni genere navigiorum quod pluribus remorum ordinibus conſurgeret. Sed locus Pauſaniæ à Bayſio productus omni modo evincit, ordines illos remorum in navibus priſcis per altitudinẽ à cataſtromate ad imum navis fundum ſeu carinã eſſe intelligendos non per longitudinem laterum. Ita enim ſcribit in Atticis, lib. VII. Τὸ δὲ ἐν Δήλῳ πλοῖον οὐδένα πω νικήσαντα εἶδον, καθῆκον εἰς ἐννέα ἐρε-

ἐρέτας ἀπὸ τοῦ καταστρώματος. Id eſt, *Non memini videre navigium maius eo quod Deli eſt, in novenos remigum ordines à cataſtromate ad imum diſtinctum.* Interpres vertit, *è foris enim eius novenis eminent remigibus tranſtra.* Quod quid ſit neſcio. Videtur hæc verba ſignificare novenos tantum remiges per tranſtra ſediſſe in ſingulis eius lateribus. Nec hoc magnæ navis argumentũ fuerit, cum vel minima navigia olim plures habuiſſe remiges certum ſit, ne piſcatoriis quidem exceptis. Verbum καθήκειν à ſummo ad imum deſcenſum denotat. Ideo dixit Pauſanias, καθῆκον ἀπὸ καταστρώματος, id eſt, à ſummo navis ad infimum eius fundum in novenos ordines remigum patuit illud navigium Deliacum, & proinde fuit ἐννήρης illa navis. Quod novem tantum remiges nominavit Pauſanias, ἐννέα ἐρέτας, totidemque remos, nimirum ea loquutione firmatur & Latinorum nominum in talibus compoſitio, ut *biremis, triremis, quadriremis* & *quinqueremis*. Qui numerus remorum non in longum eſt accipiendus, ſed in altum. Duo remi quippe ſunt in biremi, id eſt, ut loquitur Pauſanias, duo remiges in altitudine à ſummo navis latere ad carinam. Tres remi in triremi eodem ordine

ordine ſumendi à ſummo ad imum per altitudinem, non à prora ad pappim per longitudinem. Sic Aeſchylus in Perſis τρισκάλμους νῆας dixit pro triremibus, numerando ſcalmos non per longitudinem, ſed per altitudinem, ἐξέφθινθ' αἱ τρίσκαλμοι νᾶες ἄνασς ἄνασς. Non enim aliter τρίσκαλμος ναῦς poteſt accipi quam de trino ſcalmorum ordine in altitudinẽ. Quippe ſi acciperetur de lateribus, nulla navis unquam τρίσκαλμος extitit, haud ſane magis quam triremis. Aequalem enim numerum ſcalmorum ſive remorum in utroq; latere habuerunt, non duos in uno, unum in altero. Ideo numero pari ſemper denominantur, non impari, δεκάσκαλμος, δωδεκάσκαλμος, & ita de cæteris. Sic in altitudinẽ deducti & numerati remi ſingulos remorum ordines denotant, & totidem εἰρεσίας. Nam τριήρης proprie dicitur quæ τρεῖς habet ἐρεσίας ſive τρεῖς ἐρέτας, alios aliis ſuperpoſitos. Inde eæ τάξεις ἐρετμῶν vocãtur, quia ut ordines militũ in bello quę τάξεις appellantur, alii aliis ſubiiciuntur, & ἐπάλληλοι ponuntur. Στίχοι quoque eadem ratione dicuntur remigum ordines, qua in pagina στίχοι ſive verſus alii poſt alios ponuntur, & inferiores ſubiiciuntur ſuperioribus. Memnon apud Photium

Photium de octere Ptolomæi, ἐν ταύτῃ γὰρ ἑκατὸν μὲν ἄνδρες καθ' ἕκαστον στίχον ἤρεσσον. Excerpta Dionis manuſcripta in Bibliotheca Regia : Περσεὺς καὶ τά τε ἄλλα μεγαλοπρεπῶς καὶ πέρα τοῦ συνήθους ἐξήσκησε, τὴν ἐρεσίαν ἐπὶ ἓξ καὶ δέκα στίχους πλείους. *In decem & ſex ordines remigio eius diſtincto.* An Virgilius *verſum* quoque appellavit hos remorum ordines in triremi, cum dixit?

-- Triplici pubes quam Dardana verſu
Impellit, terno conſurgunt ordine remi.

Sed *verſus* ibi eſt ἐρεσία. *Triplici verſu impellit*, id eſt, triplici ἐρεσίᾳ ſive remigatione atque ἐλασίᾳ impellit, quia remis æquor verritur. Vt alibi apud eundem, & *æquora verrunt.* Et apud Lucanum in illo, *& longæ quæ verrunt æquora pinus.* Id eſt, remis ex pinu arbore. At ſequitur de triplici ordine remorum, *& terno conſurgunt ordine remi.* Alias *verſus* etiam ordo eſt apud eundem poetam,

-- Et ſeras in verſum digerit ulmos.

Id eſt, εἰς στίχον. Vtriuſque expoſitionis apud Virgiliū meminit eo loco Servius, ſed melior eſt qua *verſum* exponit pro tractu, in illis de navi quæ *triplici verſu* impellitur, Livius etiam *ſexdecim verſus* remorum in ἑκκαιδεκήρει dixit pro ſexdecim ordinibus, lib. XXXIII. *Quin & regiam unam*

inhabi-

inbabilis prope magnitudinis, quam ſexdecim verſus remorum agebant. In Græcis fuit, ἑκκαίδεκα στίχοι ἐρετμῶν. Nam triremis tres στίχους habet remorum. Vegetius *gradus* dixit. Vt enim in ſcala gradus ſunt à ſummo ad imum directi, ita in navi plurium ordinum, gradus ſunt remigum, alii aliis ſuperpoſiti & ſuppoſiti. Sic enim ille lib. V. cap. VII. de modo Liburnarum, *Minimæ Liburnæ remorum habent ſingulos ordines, paulo maiores binos, idoneæ menſuræ ternos vel quaternos, interdum quinos ſortiuntur remigum gradus.* In Deliaco navigio cui novenos remiges à cataſtromate ad imum navis directos tribuit Pauſanias, totidem ut dixi remigum ordines & verſus & gradus intelligendos eſſe liquet. Sed Bayfius verba eius non ſe ſat intelligere prædicat, & corruptum etiam codicem putat. Nec rationem ſe videre poſſe ait, cur illud navigium ſe multo maximum noviſſe dicat Pauſanias, cum ignorare non potuerit decem, undecim, duodecim, quindecim & quadraginta remorũ in navibus ordines. Cum dixit Pauſanias, non ſe ſcire aliam maiorẽ navem fuiſſe illa Deliaca, quæ in novenos remorum ordines inſurgebat, non de extraordinariis illis navigiis intellexit quæ

ad pom-

ad pompam fabricanda curarunt aliquando reges aliqui, ſed quorum nullus alius uſus fuit, niſi ad oſtentationem potentiæ & magnificentiæ eorum regum qui conſtrui talia voluerunt. Nam inter communi uſu receptas & conſuetas naves nullam ſe vidiſſe aut ſcire maiorem Deliaca illa teſtatus eſt Pauſanias. Triremes aliæ aliis maiores fuere cum pari numero remorum, & totidem ordinibus. Sic de aliis. Ὀκτήρη Ptolemæi commendat Memnon, ut inſolita & mirabili magnitudine & pulcritudine præditam ſuper alias eiuſdem generis octiremes. Quod ad uſum maris & belli attinet, vix maiores quam novem ordinum conſtructas & notas fuiſſe veteribus certum eſt. Et quamvis Dio uſque ad decem ordines provehat navigia Antonii contra Auguſtum in pugna Actiaca, alii tamen auctores in novenos tantum ordines maximas eius claſſis naves proceſſiſſe autumant. Florus lib. IV. cap. XI. *Nobis quadringentæ amplius naves, ducentæ non minus hoſtium, ſed numerum magnitudo penſabat. Quippe à ſenis in novenos remorum ordinibus.* At Cæſaris naves eodem auctore *à triremibus in ſenos non amplius ordines creverant.* Pollux lib. I. cap. IX. de navibus,

 maio-

maiores non recenſet novenis ordinibus, quas ἐννήρεις Græci appellabant. Ita enim à maioribus incipit, ut in minimis deſinat, ἑκατόντορος, πεντηκόντορος, τεσσαρακόντορος, εἰκόσορος. Hæ à numero remorum ſic appellatæ, non ab ordinum ut illæ quæ in ήρης terminabantur, de quibus ſic ait, ἐννήρης, τριήρης, διήρης, μονήρης. Tametſi autem ad denos ordines ex quorundam auctorum ſententia pervenerint naves Antonii, illud tamen extraordinarium fuit, & fieri etiam potuit, ut illa ἐννήρης Deliaca illas δεκήρεις magnitudine ſuperaret, quamvis uno remorum ordine inferior. Maxime autem ordinaria forma & ſtata magnitudo antiquarum naviũ bellicarum fuit in triremibus, & quadriremibus, atque ut Vegetius loquitur, idonea hæc menſura erat Liburnarum, quæ ternos vel quaternos ſortiebantur remigum gradus, interdum & quinos. Certe biremes & uniremes, quæ δίκροτα, & μονόκροτα, vel μονήρεις Græce vocantur quales ſunt quibus hodie nomen *Galearum* vel *Galerarum* datur, pro levibus habebantur apud veteres navigiis, non ad prælium idoneis navale, ſed ad explorandum, aut quibus ad excubias uterentur. Baſilius Patricius in ναυμαχικοῖς, capi-

capite περὶ ὀνομασιῶν τῶν νεῶν τῶν πρὸς πόλεμον ἐπιτηδείων, *de appellationibus navium ad prælium navale idonearum*, medium genus triremes facit inter magnos dromones, qui pluribus quam ternis agerentur remorum ordinibus, & qui ſingulis quales μονήρεις antiquis Græcis, & tunc γαλέαι nuncupabantur. Sed has parum commodas ad pugnam dicit maritimam, cum eſſent aptiores pro ſua levitate ad ſpeculandum, & ſtationes agendas, & ad laceſſendos hoſtes. Ἦν γὰρ, inquit, καὶ μειζόνων πλῆθος δρομώνων. καὶ νῦν εἶναι χρὴ, οἷς ἐπιστῶσι τὰ λεγόμενα ξυλόκαστρα. ἀλλὰ καὶ μέσαι τριήρεις. καὶ μονήρεις τινὲς ταχιναὶ λεπταὶ γαλέαι, οἷς ἐν ταῖς βίγλαις χρηστέον, ἢ πρὸς ἐρεθισμὸν τῶν ἐναντίων, καὶ διάλυσιν τάξεων. Appianus in libro de bellis Illyricis, biremes quæ proprie *Liburnicæ* dicebantur à Romanis, ὀξέα καὶ κοῦφα δίκροτα interpretatur. Inhabiles eas fuiſſe ad bellicum uſum infra oſtendimus auctorũ veterum teſtimonio. Primæ autẽ naves quas Romani in bello Punico ſecundo fabricarũt fuere triremes & quinqueremes. In prælio navali Ptolemæi cum Demetrio, de qua Diodorus lib. xx, minimæ naves in claſſe Ptolemæi fuere quadriremes, maximæ quinqueremes, cum haberet

naves longas centum & quadraginta. *Τύτων δ' ἦν ἡ μεγίστη πεντήρης, ἡ δ' ἐλαχίστη τετρήρης. Harum maxima in quinos ordines ſurrexit, minima in quaternos.* Demetrius etiam in ſua claſſe nullas minores habuit quadriremibus, ſed maximæ erant hepteres, plurimæ quinqueremes. At in omnibus ferme navalibus præliis quibus Græci inter ſe conflixere, Athenienſes, Lacedæmonii, Syracuſani triremibus ſolis uſi feruntur. Et ipſe Xerxes cum ad Græciam ſubiugandam numeroſiſſimo exercitu tam terreſtri quam nautico veniſſet, collectis totius imperii in unum viribus, cumq; mille & ducentas naves longas haberet, omnes triremes conſtat fuiſſe, quas *τρισκάλμυς* vocat Aeſchylus in Perſis. Thucydides lib. 1. oſtendit, ſuo tempore ſolis triremibus dimicationes navales confici ſolitas, cum ſcribit, *πρῶτοι δὲ Κορίνθιοι λέγονται ἐγγύτατα τῦ νῦν τρόπυ μεταχειρίσαι τὰ περὶ τὰς ναῦς, καὶ τριήρεις ἐν Κορίνθῳ πρῶτον τῆς Ἑλλάδος ναυπηγηθῆναι. Primi Corinthii feruntur proxime ad eum modum quo nunc bella navalia geri ſolent, res nauticas adminiſtraſſe, inventis triremibus.* Nam antea ſolis *πεντηκοντόροις*, quæ ſingulis conſtabant remorum ordinibus, utebantur. Græ-

Græciȩ populi. Ad ea ſcholiaſtes notavit, *μεταχειρίσαι, τὰ περὶ τὰς ναῦς, ἐναλλάξαι, τουτέστι, ἀπὸ πεντηκοντόρων ποιεῖν τὰς τριήρεις.* Sed biremes tamen prius inventas fuiſſe veriſimile eſt, idque Plinius prodit, primā extitiſſe biremium inventionē, eaſq; prodiiſſe poſt ſimplicium longarum navium uſum, quæ quinquagenis remigibus agebantur, ſingulari *ἐρεσίᾳ*. Quarum biremium primos auctores facit Erythræos, referente Damaſte. Sed biremium in bello navali nullus ferme olim uſus fuit, & poſt triremes repertas, non aliæ uſurpatæ ſunt. Aminoclem eas primum apud Corinthios fabricaſſe ex Thucydide tradit idem Plinius, *Triremem Thycidides Aminoclem Corinthium*. Sed eo loco quem ſupra citavimus ſimpliciter ſcripſit Thucydides, apud Corinthios triremes primum inventas eſſe, non tamen eorum inventorē fuiſſe dicit Aminoclem. De quo ſtatim ſubiicit, Aminoclem Corinthium navium fabricatorem, *ναυπηγὸν*, feciſſe Samiis naves quattuor, nempe triremes. Vt appareat ex verbis ipſis Græci auctoris, inventionem & uſum triremium apud Corinthios antiquiorem fuiſſe Aminocle. Certe non dicit ab Aminocle primo iſtud inventum ma-

manaſſe. Sic enim loquitur: Πρῶτοι δὲ Κορίνθιοι λέγονται ἐγγύτατα τοῦ νῦν τρόπου μεταχειρίσαι τὰ περὶ τὰς ναῦς, καὶ τριήρεις ἐν Κορίνθῳ πρῶτον τῆς Ἑλλάδος ναυπηγηθῆναι. Ecce primas triremes in Corintho factas fuiſſe diſerte perhibet, nec quo auctore primũ ibi proditæ fuerint docet. Sed ut confirmet, à Corinthiis prodiiſſe primas triremes ſtatim addit, Corinthium Aminoclem naupegum Samiis tales naves quattuor ædificaſſe cum Samum veniſſet. Φαίνεται δὲ καὶ Σαμίοις Ἀμεινοκλῆς Κορίνθιος ναυπηγὸς ναῦς ποιῆσαι τέσσαρας. Vt alio argumento id comprobet, adiicit, & antiquiſſimum prælium navale, quod in Græcia memoratur factum, inter Corinthios & Corcyræos geſtum eſſe. Ναυμαχία δὲ παλαιοτάτη ὧν ἡμεῖς ἴσμεν γίγνεται Κορινθίων πρὸς Κερκυραίους. Quaſi diceret, iis navigiis quæ antea fabricabantur, bella navalia geri haud commode potuiſſe, cum ad bellicos uſus non belle eſſent compacta, ſed repertis triremibus à Corinthiis, exinde etiam belligerari mari cœptum, & Corinthios primos ναυμαχίας inſtituiſſe, cum & ipſi bellicarum navium, id eſt, triremium, primi eſſent auctores. Euſebius primam quoque triremem in Corintho navigaſſe ſcribit,

ſed

ſed non dicit, Aminoclem primum eius repertorem extitiſſe. Quod nec ſane verum eſt, & Plinius ut in aliis infinitis heic quoque falſus deprehenditur. Legitur apud Hieronymum, ad annum MCCXXX. *Trieres prima navigat in Corinthum.* Quod ab Euſebio aliud agente ſcriptum eſſe notat Scaliger, cum prima triremis ſive τριήρης Corinthi fabricata ſit, *non aliunde Corinthum navigarit.* Sed valde ſtolidus fuerit, aut ipſe Euſebius, aut qui eum tranſtulit de Græco Hieronymus, ſi cum vellet inventionem primæ triremis tradere, ſcripſiſſet, in Corinthum primam navigaſſe. Nemo ex iſtis triremis inventionem magis ſcire poſſet quam ſi omnino nihil de ea prodidiſſet. Senſus communis expertem oporteret fuiſſe qui ita eam rem litteris mandaſſet. Quis non videt legi debere in Hieronymo, *Prima trieres návigat in Corintho.* Πρώτη τριήρης ἐπλεύσεν ἐν Κορίνθῳ. Atque ita plane ſcriptum reperi in codicibus antiquis Palatinæ Bibliothecæ, quorum unus antiquiſſimus fuit, & litteris uncialibus exaratus. In alio etiam ſcriptum offendi, *Triremis primæ navigatio in Corintho.* In Corintho dixit, quia in Græco erat Euſebii, ἐν Κορίν-

 θῳ.

θῳ. Vt Thucydides, ϗ τριήρεις ἐν Κορίνθῳ πρῶτον ναυπηγηθῆναι. Iſte dixit, *primum in Corintho navigaſſe*. Et ſane ſi Corinthi primum fabricatæ ſunt, etiam in Corintho primum navigarunt; & in mare ibi deductæ ſunt. Secundum triremis inventionem ad hoc exemplum & plurium ordinum poſtea conſtat ædificatas, quarum & in bellis navalibus frequens uſus extitit, præcipue quadriremium, & quinqueremium, uſque ad novenos ac denos ordines. Vltra hanc magnitudinem, ſi quæ ex pluribus ordinibus fabricatæ ſunt, ad pompam potius ut dixi, quã ad uſum bellicum inſtitutæ videntur. Omniũ igitur quæ olim ad bellum navale comparatæ ſunt, minimas conſtat fuiſſe triremes, maximas ἐννήρεις, ac δεκήρεις. Lucanus lib. III.

Cornua Romanæ claſſis, validæque triremes,
Quaſque quater ſurgens extructi remigis ordo
Commovet, & plures quæ verrunt æquora pinus
Multiplices cinxere ratem. Hoc robur aperto
Oppoſitum pelago, lunata claſſe: recedunt
Ordine contentæ gemino creviſſe Liburnæ.

Cum ad prælium ventum eſt, triremes,

&

& quadriremes & pluriũ ordinum in cornibus poſitæ, & hoc robur hoſti oppoſitũ lunata fronte. Liburnæ autẽ quæ ordine gemino creſcebant, hoc eſt, quæ binos nactę erant remorũ ordines, introrſus recedebant, nec ad conflictum exponebantur, utpote minus habiles pugnæ, ut iam ſupra dictum eſt. Vides *creſcere* dici gemino ordine, quæ duplici conſtant ἐρεσίας, ſuperiore, & inferiore, ut de dromonibus dixit Leo, qui biremes erant, δύο ἔχοντες ἐλασίας, τὰς κάτω, καὶ τὰς ἄνω. Sic Florus loquutus eſt, *Cæſaris naves à triremibus in ſenos ordines creverant*. Ita *creſcens arundo* in aucupio dicebatur, ex pluribus calamis contexta, aliis ſuper alios ſcandentibus, quos Græci συνθέτις, & πηκτὰς καλάμους vocarunt. Latini *textas arundines*, ut Petronius. Tametſi autem Liburnas appellarint cuiuſcumque generis naves bellicas, quæ & plurium ordinum erant, ut ex Vegetio conſtat, proprie tamẽ, ut in Lucano videmus, *Liburnæ* vocabantur biremes, & binorũ ordinum naves quia tales à Liburnis populis primã inventæ & uſurpatæ. Inde & *Liburnicæ* paſſim pro biremi Latinis auctoribus, quæ Gręci δίκροτα vocabãt, ut cõſtat ex Appiani loco quem ſupra produximus. Inter bel-

lis aptas naves eæ nõ reponebantur, ut ex Plutarcho liquet, qui eas diſtinguit à bellicis navibus, in Catone: Ἦσαν δὲ πεντακοσίων μὲν σὺν ἐλάττους νῆες μάχιμοι, λιβυρνικαὶ δὲ, καὶ κατασκοπικαὶ, καὶ ἄφρακτα παμπληθῆ. Ergo triremes, & maiores omnes triremibus, in numero bellicarum: extra eũ cenſum Liburnicę duorum ordinum, hoc eſt, biremes. Inde Lucano in inſtruẽdo exercitu, cum navalem pugnã cæteræ parant capeſſere, *Liburnæ* recedunt. Hæ etiam διήρεις dictæ, ut ſupra docuimus. Multo minus quæ uno remigum ordine impellebantur inter bellicas numerari ſolebant olim, aut ad bellum aptari, cum nec biremes præliis navalibus idoneæ tunc haberentur. Non ſolum autem μονήρεις dicebantur, & μονόκροτοι, ſed & κέλητες Græcis. Polybius in ſexto, ἐν οἷς ἦν καὶ πλοῖα τετταράκοντα. τούτων κατάφρακτα μὲν εἴκοσι, διαφέροντα τῇ κατασκευαῖς. τὰ δὲ λοιπὰ τριήρεις, καὶ δίκροτα, καὶ κέλητες, id eſt, *triremes, biremes, & uniremes.* Nam κέλητα poſuerunt pro navigio ſingulis remorum ordinibus prædito quales erant πεντηκόντοροι. Nam κέλης proprie ſingularis eſt equus vel eques, ad differentiam ἁμίππων. Veteres quippe duobus aut pluribus equis iunctis utebantur interdum

dum, qui deſultores dicti. Qui ſingulari equo veheret κέλης dictus, & ipſe eques idem nomen habuit. Μονήρη ἵππον Græci vocarunt, ad differentiam, ut dixi, ἁμίππων. Heſychius, κέλης ἵππος, ἢ ἱππαςής. Μονήρη etiam, pro quo μονάτωρ editum eſt, exponit. Niſi μονόκροτον potius ſit legendum. Quod verius. Lacones κέλης dicebant pro κέλης. Inde *celer* Romanis pro equite, & *celeres* equites. Pro navigio ſingularis ordinis ac μονήρει, ſive μονοκρότῳ, etiam uſurparunt. Dores pro κέλης dixerunt κέληξ, ut ὄρνιξ pro ὄρνις. Αἴαξ, pro Αἴας, πρίςιξ, pro πρίςις. Inde Latinis *priſtices* quæ Græcis πρίςεις, navigii genus. Ita & *Tigrix* pro *Tigris* ſcripſere. Sic ergo ex Dorico κέληξ *celecem*, & mox *celocem* fecerunt, de navigio levi, & expedito, ut erant μονόκροτοι, & κέλητες unico remorum ordine agi ſuetæ. Vide rerum vices, & fata. Longarum navium prima inventio cœpit ab iſtis celecibus, vel celocibus, ſive μονοκρότοις, quæ & μονήρεις Græcis, & nunc *Galeæ* nobis vocantur, quia ſingulos remorum ordinem habebant. Poſtea crevit, & producta eſt, ad denos uſque ordines, quæ *decemremes* nominantur, quarum ut & in medio omnium à triremi uſque, plu-

plurimus olim in navalibus conflictibus uſus apud antiquos fuit, Græcos & Romanos. Poſtremo demum res ad principium ſuum rediit, in uſum revocatis *μονοκρότοις*, quibus hodie ſolis pugnæ peraguntur navales, ſublatis de medio omnibus quos ad hunc uſum antiquitas celebravit, biremibus, triremibus, quadriremibus, aliiſque uſque ad decemremes. Mentio fit etiam in veterum ſcriptis *ἡμιολιῶν*, & *τριηρημιολιῶν*, de quibus ita diſputatur inter viros doctos, ut videatur neſciſſe cuius generis ac formæ fuerint, & quid differrent à triremibus ſive *τριήρεσι*, iſtæ quæ *τριηρημιολίαι* nuncupabatur. Scaliger ad Euſebium notat, aliam fuiſſe differentiam, ut naves citra magnitudinem alicuius eæ dicerentur *ἡμιολίαι*. Vt quæ infra magnitudinē *τριακοντόρου*, ea dicebatur *ἡμιόλιος τριακόντορος*, maior quidem quam *εἰκόσορος*, minor vero quam *τριακόντορος*. Sic, inquit, quæ citra magnitudinem *τριήρους*, ea dicebatur *τριήρης ἡμιολία*. Nam *τὸ ἡμιόλιον*, continet aſſem cum ſemiſſe, ideo *τριηρημιολία*, erat magnitudine *τῆς διήρους*, & præterea aliquanto amplior. Sed non perſpicio dimidio hæc conſtare poſſint. Si *τὸ ἡμιόλιον* continet totum cum dimidio, & aſſem cum ſemiſſe,

miſſe, ea navis quæ dicitur *τριήρης ἡμιολία*, debet eſſe dimidio maior quam *τριήρης*, non minor. At Scaliger hoc vult, eam maiorem eſſe *τῇ διήρει*, minorem vero *τριήρει*. Quomodo igitur vera *τῆς ἡμιολίας* ſignificatio in hac denominatione locum habere poterit, cum contraria ei nomini notio tribuatur? Ita etiam *ἡμιόλιον τριακόντορον* ſcribit maiorem eſſe quam *εἰκόσορον*, & minorem quam *τριακόντορον*. Iuxta hanc rationem & *ἡμιόλιος ποῦς* videretur eſſe longior ſemipede, ſed brevior integro pede. Quis autem ignorat, *ἡμιόλιον πόδα*, eſſe ſeſquipedem, pedis ſpatio longiorem nẽpe menſurã ſemipede? Adiecta enim ad aliquam ſummam dimidia eius parte, fit numerus *ἡμιόλιος*. Vt ſi quis ad ſex tria adiecerit, fiunt novem. Qui novenus numerus *ἡμιόλιος* eſt ad ſextum. Ita ergo *ἡμιολία τριακόντορος*, accepta dimidia parte remigum qui agunt navem triginta remis conſtantem, debet quadraginta quinque remigibus inſtrui, & minor quidẽ eſſe *πεντηκοντόρῳ*, maior vero *τριακοντόρῳ*, pro dimidia eius parte. Idem dicendum de *τριήρει ἡμιολίᾳ* quæ iuxta rationem & proportionem *ἡμιολίας*, debet eſſe maior triere, pro dimidia eius parte. Falſum tamen eſt, hanc

hanc τριηρημιολίαν fuiſſe maiorem τριήρει, quam minorem auctores omnes faciunt. Quærendum igitur quæ ſit ratio huius appellationis. Non enim dubium, quin τριηρημιολίαι fuerint infra magnitudinem trierium. Ἡμιόλιος cum dicitur, ſemper is numerus refertur ad rem aliquam cui eſt ἡμιόλιος. Sic ἡμιόλιος ποῦς eſt ſeſquipes. Ἡμιόλιος τόκος eſt uſura quæ ſortem continet, & dimidium ſortis. Quæ & ἡμιολία abſolute dicitur in concilio Nicæno. Certe quacumque de re uſurpatur hic numerus ἡμιόλιος, totum & totius dimidium æquiperat & continet, τὸ ὅλον ϗ ἥμισυ ἔχει. Ἡμιολία, τὸ ἓν, καὶ ἥμισυ τῆς κεφαλαίου. Ita omnino ἡμιολία ναῦς appellatur quæ ad aliam aliquam navem comparata dimidio maior eſt quam ea. Dicitur & ἡμιολία abſolute de huiuſmodi nave quæ comparatione alterius, magnitudinem eius æquat, & præterea etiam dimidia parte illam exſuperat. Videndum ergo quæ ſit illa navis ſpecies cum qua collata ἡμιολία dimidio ampliorem magnitudinem habeat. Oportet id genus navigii fuiſſe valde uſitatum, & commune. Sed etiam neceſſe eſt, minoris aliquanto formæ eſſe, atque etiam minimæ. Nam comparatio

tio quæ ἡμιολίαν facit, non debet ſumi è maxima. Exempli gratia, inter naves quæ ſingulari ordine remigum inſtructæ ſunt, maxima eſt ἑκατόντορος. Nulla enim maior reperitur apud auctores. Si ad hanc magnitudinem referretur ἡμιολία ναῦς, de ea diceretur quæ centum & quinquaginta remis ageretur. Nam numerus centum & quinquaginta ἡμιόλιος eſt ad centum. Sed nomen non habet hæc navis apud Græcos. Alia igitur quærenda. Non illa etiam invenienda eſt, quæ mediæ ſit magnitudinis inter maximam, & minimam. Cum enim plures ſint quæ medium locum occupant inter maximas & minimas, ſemper vagaretur ſignificatio ἡμιολίας, nec quicquam certi de ea teneri poſſet. Ergo in minima hærendum ad quam comparatio ἡμιολίας fiat. Ea eſt εἰκόσορος. Nam inter naves quæ remorum ſingulis ordinibus aguntur, nulla nomen habet apud Græcos infra εἰκόσορον, quæ alicuius ſit momenti. Piſcatoriæ ſunt fere omnes hoc numero remigum inferiores. Hæc etiam uſitatiſſima & antiquiſſima forma fuit actuariorum navigiorum. Homerus Odyſſ. A. Νῆ' ἄρσας ἐρέτησιν ἐείκοσιν. Deſignavit εἰκόσορον. Alibi ſic expreſſim

preſſim nominavit, ut in Odyſſ. ι. ubi baculum ſive clavam Cyclopis comparat malo navis ἐεικοσόρυ, id eſt, vicenis remis incitatæ.

--- τὸ μὲν ἄμμες ἐΐσκομεν εἰσορόωντες,
Ὅπποσον θ' ἱστὸν νηὸς ἐεικοσόροιο μελαίνης.

Corbitam reddidit Lucillius τὴν εἰκόσορον illam Homeri, cum eamdem rem ex illo verſu Homerico declararet.

Multa homines portenta in Homero verſificata
Monſtra putant, quorum in primis Polyphemus ducentos
Cyclops longus pedes, & porro huic maius bacillum,
Quam malus navis corbitæ maximus ullæ.

Corbita eſt oneraria navis. Onerariæ autem quæ remis agerentur raro hunc numerum remigum tranſcendebant. Vnde maxima navis illa Hieronis oneraria, quam deſcribit Athenæus, lib. v, ad εἰκοσόρυ inſtar facta proditur. Ἦν δὲ ἡ ναῦς τῇ μὲν κατασκευῇ εἰκοσόρος, τριπάροδος. Non plus quam vicenis remis inſtructam fuiſſe indicat, ex unoquoque latere denis. Nam πεντηκοντόρος, inter longas naves locum habuit, qualis Argo prima fabricata eſt, cum ſimplici ordine remorum. Et nullam plane onerariam liquet fuiſſe

fuiſſe πεντηκόντορον, cum enormis magnitudinis illa oneraria Hieronis, non plures habuerit remiges quã mediocris εἰκόσορος. At medium genus fuit inter πεντηκόντορον, & εἰκόσορον, ea nempe quam τριακόντορον vocabant. Ipſa eſt quam quærimus. Ei duplex nomen. A numero remorum dicta quippe τριακόντορος, & à proportione ad εἰκόσορον, ἡμιολία appellata. Quia tricenarius numerus ἡμιόλιος eſt vicenarii. Si quæ onerariæ remis agebantur, eæ non plures quam vicenos habuerunt, & εἰκόσοροι ideo appellatæ. Quo plures autem remos haberet navis, eo neceſſario longior erat. Ideo & πεντηκόντορος *longæ* nomen meruit, & prima longa quæ inventa eſt tot remos eſt ſortita, cum hac appellatione à numero remigum ducta. Media inter utramque, id eſt, inter πεντηκόντορον & εἰκόσορον fuit ea quæ dicebatur τριακόντορος, atque ἡμιολία, quia ἡμιολία eſſet τῆς εἰκοσόρου, qua piratæ vulgo utebantur. Non tam longa erat quam πεντηκόντορος, & longior εἰκοσόρῳ, leviorque & agilior, quia pluribus remis incitabatur. Thycydides lib. IV. τριακόντορον inter piratica navigia recenſet, ἀλλὰ καὶ ταῦτα ἐκ λῃστρικῆς Μεσσηνίων τριακοντόρου καὶ κέλητος ἔλαβον. Veteres quoque Grammatici ἡμιολίαν pi-

 raticæ

raticæ genus eſſe interpretantur. Suidas, ἡμιολίοις, πειρατικοῖς πλοίοις. Auctor incertus apud enndem, & fortaſſean Polybius. Λῃσταί τινες εἰς πολυχειρίαν καὶ πειρατικαῖς ἡμιολίαις τῇ Λακωνικῇ προσσχεθέντες εἰς τὰ χωρία ἐπιστάμενοι λείαν ἀπήγαγον. Non ergo dubium eſt ex his quæ diximus, quin τριακόντορος & ἡμιολία idem ſit navigii genus, quo ut plurium piratæ uti conſueverant. Non enim longis navibus quales erant πεντηκόντοροι utebautur, nec rurſus onerariis quales εἰκόσοροι, quia tardiores erant, utpote paucioribus impulſæ remis. Aptiſſima forma videtur fuiſſe prædas in mari agentibus τριακόντορος ſive tricenis remis acta, quia levior eſſet & velocior εἰκοσόροις, quę uſitatiſſima ſpecies fuit onerariarum remis inſtructarum, ideo & τριακόντορος, ἡμιολία dicta eſt τῆς εἰκοσόρου. Actuaria autem fuiſſe navigia piratarum, id eſt, ἐπίκωπα ſive κωπήρη, certo certius eſt. Nullum autem actuariarum genus magis eorum propoſito convenire viſum eſt quam τριακόντορον. Salluſtius, *Ad hoc pauca piratica, actuaria naviga*, id eſt, τριακόντοροι ſive ἡμιολίαι πειρατικαί. Et hæ quidem ἡμιολίαι ſive τριακόντοροι fuere ſimplices, id eſt, unico remorum ordine inſtructæ, in ſingulis lateribus quindenos habentes remiges.

miges. At fuere etiam quæ pluribus ordinibus remorũ conſtarent, & binos ternoſque haberent. Quæ ternos habebant, dictæ τριηρημιολίαι, id eſt hemioliæ terno remorum ordine ſurgentes. Vox τριήρης generalis eſt de quacunque navi ternos remorum ordines ſortita. Sed cum abſolute ponitur, de longa navi id nomen intelligi debet, id eſt, de πεντηκοντόρῳ vel ἑκατοντήρῳ triplici remigiorum gradu adornata. Cum de minore navigio ſermo eſt, quod ternos habet remigum ordines, ἡμιολία τριήρης appellatur, vel etiam voce compoſita τριηρημιολία, quod eſt uſitatius. Heſychius, τριηρημιολία, ναῦς μακρὰ ἄνευ καταστρώματος. Vt plurimum vulgares trieres fuere conſtratæ, hoc eſt, cum καταστρώματι. Sed falſum eſt eam eſſe τριηρημιολίας ſignificationem. Nã τριηρημιολία nihil aliud fuit quam ἡμιολία triremis, id eſt, τριακόντορος τριήρης, nempe, terno remorum ordine inſtructa, ac triplici ἐρεσίᾳ incitata. Si ſimplex τριακόντορος ſive ἡμιολία tricenos habuit remiges in uno ordine, triplex in ordinibus ternis nonaginta habuerit oportet. Ita diſtinguit τριηρημιολίας & τριήρεις Polybius lib. XVI. μετὰ δὲ πέντε καὶ ἐννέα τριηρημιολίαι καὶ τριήρεις ὑπῆρχον. Trieres ſunt longæ naves cum ternis remorum ordi-

nibus, τριηρημιολίαι vero ſunt hemioliæ quæ ternos ſimiliter ut τριήρεις nactæ ſunt remorum ordines, & triplici ἐλασίᾳ impelluntur, ſed multũ lõgitudine& magnitudine cedunt legitimis τριήρεσι. Nã τριήρης, ſic abſolute & κατ' ἐξοχὴν appellata, longa navis fuit quę triplici remigio navigabat. Ex longa ſimplici, ut iam docuimus, facta fuit triplex longa. Cum autem longa ſimplex πεντηκόντορος eſſet aut ἑκατόντορος, id eſt, quinquagenos aut centenos remiges haberet in ſingulari & unico ordine remorum; quæ ternos tales ſortita eſt ordines, triplum quoque numerum habuit remigum. Duplicata πεντηκόντορος remigii ordinibus, duplicat quoque numerum remigum. Idẽ de ἑκατοντόρῳ, quę maxima fuit longarum navium ſimplicium. Fac utramq; triplicem cum triplici ἐρεσίᾳ, idem fuerit, & habebis τριήρη. Si quinquaginta remi fuerint in ſimplici longa, viceni quini erunt in unoquoque latere. Et in biremi totidem, & in trireme quoque, ut ſupra notavimus. Sed hic minimus numerus in longis fuit, ut Leo teſtatur, qui dicit, biremem ad minimum debere habere viginti quinque remiges in ſingulis ordinibus. Hæc duplex fuit πεντηκόντορος. At duplex ἑκατόντορος duplum

plum habuit numerum remigum in ſingulis lateribus & ſingulis ordinibus. At ἡμιολία ſimplex cum longe minori cenſeretur numero remorum, eadem proportione cum plures ordines accepit remorum, eundem quoque numerum habuit in ſingulis ordinibus quot habuit ſimplex in toto. Simplex ἡμιολία fuit tricenorum remorum, triplex ergo cum ternis ordinibus, habuit nonaginta. At triplex πεντηκόντορος centum quinquaginta. Triplex ἑκατόντορος in ternis ordinibus trecentos ut eſt apud Polybium. Apud Athenæum lib. v. de navibus quas habuit Ptolemæus Philadelphus, maxima eius navigia dicuntur fuiſſe tricenis ordinibus, hoc eſt, τριακοντήρη, qualia bina tantum habuiſſe eum narrat, unam εἰκοσήρη, quattuor τρισκαιδεκήρεις, duas δωδεκήρεις, quattuordecim ἑνδεκήρεις, triginta ἐννήρεις, triginta ſeptem hepteres, penteres ſeptemdecim, τὰ δ' ἀπὸ τετρήρους μέχρι τριημιολίας διπλάσια τούτων. *Tam quadriremes quam triremes & trieremiolias duplo plures.* Duum generum inde apparet fuiſſe τριήρεις, *longas* & cum terno ordine remorum, quæ proprie τριήρεις dictæ, & *actuarias* ſive hemolias ſimiliter triplici extractas remigiorum gradu, quæ proprie τριημιολίαι dicebantur, vel

ἡμιολίαι τριήρεις. Fuere etiam ἡμιολίαι δίκροτοι, id eſt, cum binis remorum ordinibus. Vnde & Heſychius Ἡμιολίαν interpretatur δίκροτον ναῦν. Item, ἡμιόλιος, δίκροτος. Et certe biremium illæ ſignræ & triremis etiam quas produxit ex antiquis marmoribus Bayſius, hemioliarum δικρότων & τριηρημιολίας potius εἰκόνες ſunt quam iuſtarum biremium aut legitimæ trieris ſive triremis. Nam illæ biremes quattuor tantum habent remos in ſingulis ordinibus, cum legitima biremis vel minimi modi viginti quinque remos per ſingula latera, & in ſingulis ordinibus quinquaginta habere deberet. At triremis illa cuius εἰκόνα idem Bayſius produxit, non vera ac iuſta fuit triremis, cum decem tantum habeat in totum remiges in trinis ordinibus, quattuor in primo ac ſummo ordine, & ternos in ſingulis duobus infra poſitis. An iſtam fuiſſe dicemus τριηρημιολίαν veterum? Sed & biremium ſpecies quas idem ex antiquis marmoribus exhibuit expreſſas, in ſuperiore ordine quaternos remos oſtentant aut ternos, in inferiore ternos. Etiamne putabimus has fuiſſe ἡμιολίας δικρότους? Si ita ſit, ſimplices ἡμιολίαι quaternos tantum remos vel quinos in ſingulis partibus ſive lateribus

ribus habuerint. Quod ſi placeat, vox ἡμιόλιος aliam in re navali ſignificationem videretur habuiſſe quã in Arithmeticis. Nã Arithmeticis numerus eſt aſſem continens cum ſemiſſe, τὸ ὅλον καὶ ἥμισυ. Vulgo vero etiam ſumebatur pro ſemiſſe. Nam ut ἡμιόλιον ſit ἥμισυ τοῦ ὅλου, ita *ſemiſſem* Latini dixerunt pro *ſemiaſſe*, quod ad verbum eſt, ἡμιόλιον, cum *aſſem* pro toto poſuerint, ut *ex aſſe*, ἐξ ὁλοκλήρου. Ita interpretatur Suidas in iſtis verbis auctoris Græci quẽ citat, qui videtur eſſe Polybius, δίδωσι δὲ ὀψώνιον τοῖς στρατιώταις αἱρουμένοις παρ' αὐτῷ ἡμιόλιον τοῦ νῦν διδομένου. Et ἡμιολίους, ἡμισείας. Idem interpretamentum ἡμιολίου reperire eſt Heſychio notatum. Sic ἡμιολία ναῦς ad εἰκόσορον comparata cum hac ſignificatione, dimidiata eſſet εἰκοσόρου. Et cum εἰκόσορος viginti remis agitetur, ἡμιολία dimidium haberet numerum remigum, id eſt, denos, & in unoquoque latere quinos. Τριηρημιολία autem quę ἡμιολία eſt, ternis ordinibus extructa remorũ, denos in ſingulis ordinibus habens remiges, & in ſingulis lateribus quinos, tricenos in totum præferet. At ea triremis cuius exemplum ex marmoribus protulit Bayſius, vicenos tantum habet remos, in primo ac ſuperiori ordine octonos, in reliquis

duobus inferioribus ſenos, qui in totum ſunt viceni. An hæc τετρημιολία fuit veterum, ut ſimplex ἡμιολία quæ denis tantum agebatur remis? Certe inter minoris formæ remigia Pollux ἡμιολίας recenſet. Poſtquam enim maioris κατασκευῆς naves recenſuit, tam onerarias, quam eas quæ *longæ* vocabantur, quæque in -ορος & in -ηρης terminabantur, μυριάγωγος, ἑκατόντορος, πεντηκόντορος, τριακόντορος, εἰκόσορος, ἑννήρης, ἑπτήρης, τριήρης, διήρης, μονήρης, ad minores deſcendit in utroque genere enumerandas, & poſtremo ad minimas: ἀλιάς, δίκροτον, ἀμφηρικὸν, ἀμφήρης, δίηρες, δίκωπον, ἡμιολὶς, ἡμιολία, σκάφη, πλοῖον μονόξυλον. Apparet ex his, inter minimas naviculas reponi ἡμιολίαν. Quod ſi verũ eſt non potuit aliunde nomen videri nacta quam à dimidio numero τῆς εἰκοσόρου. Et ſic ἡμιολίαι δίκροτοι & ἡμιολίαι τριήρεις ſive τετρημιολίαι convenirent cum illis biremibus & triremibus quas Bayſius ex vetuſtis marmoribus exprimendas curavit. Cum autem talis τετρημιολία in trinis ordinibus haberet tricenos aut vicenos remos, hic quæri poſſet, utrum τριακόντορος navis, qualis piratis tribuitur à Thucydide, tricenis remis in porrectum ſingulari ordine diſpoſitis incitata, celerior videatur fuiſſe τετρημιολίας.

μιολίᾳ, quæ non pluribus remis ageretur, ſed qui in ternos ordines alios ſuper alios poſitos eſſent diſtributi. Non dubium eſt agiliorem fuiſſe pari remorum ordine quæ eos expanſos in porrectum haberet unico ordine. Vt τριακόντορος ordine ſimplici velocior erat ἡμιολίᾳ τριήρης, quę in tribus ordinibus tricenos remos haberet, in ſingulis denos. Sed ſi τριακόντορος illa ſimplex duplicetur remorum ordine pariter ac numero, ac pro tricenis impellatur ſexagenis remigibus, hæc δίκροτος velocior erit μονοκρότου. Si triplicetur, & ternos ordines pro geminis accipiat, & nonagenos remiges pro ſexagenis, celerior etiam evadet biremi. Nec ſecus ſe res habebit in longis navibus. Simplex πεντηκόντορος quinquagenis remis una ſerie per utrumque navis latus diſpoſitis agitur. Si ſeriem remorum duplices, & numerum duplo maiorem facias, vel triplices, non erit dubium quin triremis biremi velocior ſit futura, & biremis monere. Nam numerus remorum celeritatem navigio addit, ſive in altum extructi ſint pluribus ordinibus, ſive in longum expanſi ſingulari ſerie. Ita quinqueremis apud Livium celerior triremibus, & ſex ordinū navis ſive ἑξήρης apud Cæſa-

rem celeritate vincit triremem. Hoc tamen citra certam magnitudinem locum habuit, utpote uſque ad quinqueremē aut ad ſummum ſenorum ordinum navem. quales omnes fuere naves Auguſti in Actiaco certamine. Ε'ννήρεις & in plures ordines extructæ tametſi pluribus impellantur remigibus, quia ex tanta altitudine remi cum pari efficacia vortices ſcindere non poſſunt, ideo tardiores eo ipſo evadunt, & ad motum regimenque difficiliores. Hinc Florus in Breviario Rerum Romanarum, Auguſti naves quæ quinque & ſex ordinum erant, habiles in omnia quæ uſus poſcebat, ad impetus & recurſus flexuſque capiendos, fuiſſe dicit, cū illę Antonii, quę & pluribus remorum ordinibus extructæ ſurgebant, & pluribus ſubigebantur remis, propter enormem altitudinem graviores eſſent & ad omnia præpeditæ. Non ſolum autem longæ naves, quales fuere πεντηκόντοροι & ἑκατόντοροι, pluribus extruebantur in altum remorum ordinibus, ſed etiam breviores, ut erant piratarum τριακόντοροι & prædatoriæ naves, myoparones & celoces. Nam *myoparonem piraticum* Cicero in Verrinis *ſex remorum numero* factum fuiſſe ſcribit; id eſt, ſenorum ordinum.

Sic

Sic enim triremis dicebatur & biremis à duplici ac triplici remorum ordine, ut iam ſupra docuimus. Et apud Livium *celoces piraticas*, *& quinqueremes celoces* legere eſt. Appianus τριηρικοὺς φασήλους appellat, phaſelos triplici ordine remorum extructos in altitudinem. Atqui phaſelus non inter longas naves, ſed inter minores. Cum hæc ita ſint, non videtur veriſimile, quæ pluribus ordinibus creſcerent navigia breviora, quattuor tantum aut quinque remos in ſingulis partibus eſſe ſortita. Altitudo non reſpondiſſet longitudini. Quoties igitur occurrunt in veterum ſcriptis τριηρημιολίαι naves, de ἡμιολίαις intelligendæ ſunt quæ τριακόντοροι erant, & ſic ἡμιολίαι habebantur ad εἰκοσόρους. Cum piraticæ autem naves ut plurimum τριακόντοροι eſſent, & proinde ἡμιολίαι, tricenis remis agi ſolitæ, quæ ternos ordines pari numero remorum in altum extructos accipiebant, ſic fiebant τριηρημιολίαι vel ἡμιολίαι τριήρεις. Eodem quippe modo quo longæ naves ſimplices πεντηκόντοροι & ἑκατόντοροι multiplicabantur remorum ordinibus, ita etiam τριακόντοροι. Atque ut πεντηκόντοροι ſimplices triplicatæ, dicebantur ſimpliciter τριήρεις, ita τριακόντοροι triplici remorum ordine

ordine accepto vocabantur τετρηημιολίαι, id eſt, τριήρεις ἡμιολίαι, quia ἡμιολίαι & τριακόντοροι eædem, ut ex his quæ ſupra diximus conſtat. Nec audiendus Budæus, cui τριηρημιολίας eas fuiſſe placuit, quæ ternorum eſſent ordinum & ſemis. Nullas tales unquam naves antiquitas fabricavit: Inter triremes quippe & quadriemes nullæ fuere mediæ, nec dimidiatus ordo in ulla navi remorum unquam inſtitutus legitur. Præterea vox τριηρημιολία id non poteſt ſignificare, cum nihil aliud ſit quam ἡμιολία τριήρης, id eſt, hemiolia cum ternis ordinibus, cum hemioliæ ſimplices eſſent, id eſt, ſingulari remorum ordine. Etymologici auctor miram navis ἡμιολίας expoſitionem habet, quam piraticam navem fuiſſe olim dicit, & ſic appellatam quod pars ἡμιολία remigum remis deſtituta ex ea pugnaret. Ἡμιολία ναῦς, inquit, πάλαι ἐλέγετο ἧς τὸ ἡμιόλιον μέρος ψιλὸν ἐρετῶν ἦν πρὸς τὸ ἀπ' αὐτοῦ μάχεσθαι. *Olim dicebatur hemiolia navis piratica, quod pars eius dimidia & alterius dimidiæ etiam dimidia remis vacaret & remigibus, ut locus eſſet ex ea dimicandi pugnatoribus.* Ubi ἡμιόλιον μέρος videtur accepiſſe pro διμοίρῳ. Non enim video quomodo ἡμιόλιον μέρος navis aliter ibi exponi poſſit, præſertim cum ἡμιόλιον ἀρι-

ἀειθμὸν ibi interpretetur τὸν ἔχοντα ὅλον ἄλλον ἀειθμὸν καὶ τὸ ἥμισυ αὐτοῦ. Sed cum ibidem ἡμιολίαν dicat eſſe ἥμισυ τοῦ κεφαλαίου, & ſubiungat de navi ἡμιολίᾳ, ſic dicta quod pars eius ἡμιολία vacua ſit remigibus ad pugnandum, ſinẽ dubio per ἡμιόλιον μέρος navis intellexit unum eius latus. Sed non vera mihi videtur hæc ἡμιολίας interpretatio. Sculptores autẽ marmorum antiqui, qui biremis ac triremis exhibẽt picturas cum quaternis aut ternis per ſingula latera remis, videntur ſatis habuiſſe ad repræſentandam biremẽ ac triremem, numerum ordinum expreſſiſſe cum remorum nõ exacte poſuerint. Quod eſt veriſſimum. Nunquam enim tam parva navigia, ut illa erant quæ quaternos aut quinos remos in ſingulis lateribus acceperunt, plures ordines ſortita videntur. A numero ſcalmorum appellabantur, & minimæ inſtar actuariarum navicularum habuere. Inde *actuarioli decemſcalmi* mentio apud Ciceronem in epiſtolis ad Atticum, δεκασκάλμου, quod remis quinis nimirum per ſingula latera agebatur, & decem remis in totum. Sic etiam δωδεκάσκαλμον πλοῖον, quod duodecim remis impellebatur, ſenis in unoquoque latere. At piratica actuaria navigia τριακόντορα ut

ut plurimum fuere, ut iam diximus, id eſt, tricenis remis agebantur, quindenis in unoquoque latere. Nunc de *longarum* navium ab *onerariis*, ac reliquis quæ *actuariæ* dicebantur differentia tradendum. Nam in his explicandis valde hallucinati ſunt viri docti. Cum autem *longas* ab *onerariis* diſtinguat, item ab *actuariis*, lex. 1. D. de poſtliminio, quod harum diſcrimen fuerit, aperiendum eſt. Summa navium diſtinctio fuit in *longas*, *onerarias*, & *actuarias*. *Longæ* dictæ à forma, quia onerariis atque actuariis eſſent longiores. Longitudinem faciebat remorum multitudo in ſingulis lateribus. Quo plures enim remos habebat in ſingulis lateribus, eo longiorem eſſe oportuit. Legitimum intervallum inter remos fuit binorum cubitorum. Unde interſcalmium, quod eſt ſpatium inter ſcalmos ad quos remi religati erãt, διπηχυαῖον Vitruvio vocatur. Longius itaque debuit eſſe navigium quod viginti quinque remos in ſingulis partibus habebat, quale fuit πεντηκόντορον; quam quod quindecim tantum haberet ut τριακόντορον, aut decem, ut εἰκόσορον. Minimum autem navigium, quod in longæ navis appellationem cadebat, πεντηκόντορον eſſe debuit, & quinqua-

quagenis inſtructum remis per utrumque latus. Maximum fuit ἑκατόντορον, id eſt, centeno remige fluctus ſcindens, quinquagenis per ſingula latera remis. Intra πεντηκόντορον nulla navis longa appellata eſt. Et citra eum navium modum nullæ uſitatiores εἰκοσόροις aut τριακοντόροις. Εἰκόσορος onerariis, ſi quæ remigio impellerentur, conveniebant. Τριακόντορος lembis & myoparonibus piraticis, vel etiam *actuariis*, ad vectores transfretandos aut milites. Primam longam navem πεντηκόντορον fuiſſe cõſtat, quali Argonautas remiges, qui hunc numerum explebant, in Colchidem eſſe velificatos Græcorum monumenta teſtantur. Ideo nulla longa infra hunc modum & numerum. Simplex illa fuit, id eſt, una remorum ordine, quam μονήρη Græci dicebant, Latine *uniremem* liceat dixiſſe. Tales, ut dictum eſt, noſtræ nunc ſunt *Galeæ*. Perperam Scaliger, & qui eum ſequuntur, exiſtimarunt, hoc ſolum genus *longæ* navis nomine ab antiquis fuiſſe donatum, & differentiam *longarum* navium conſtituiſſe numerum ordinum. Quæ igitur unicum ordinem haberẽt, eas appellatas eſſe *longas*: quibus vero plures eſſent ordines, ab hoc cẽſu fuiſſe expunctas. Scribit enim ad Euſe-

Euſebium, veteres primis temporibus, *longis* tantum navibus uſos eſſe, & talem exſtitiſſe, quæ Argonautas in Colchidem vexit. Sed hæc obſervatio falſiſſima, & ſenſui etiam communi, nedum rationi repugnat. Si prima navis, qua Argonautæ in Colchidem navigarunt, longa fuit, & dicta eſt quæ unico tantum remorum ordine agebatur, & qua nulla antea longior nota fuit; quæ poſtea ad hoc exemplum & ad hoc inſtar inventæ ſunt, quæq; in duos pro uno, vel tres, vel etiam plures remorum ordines in altum extructæ, non minus longas factas eſſe, perſpicuum eſt quam illa longa prima & ſimplex, ſed etiam longiores. Longa appellata eſt Argo uniremis, quinquagenis remigibus conſtans in una ſerie remigantibus. Biremis non minus longa fuit, totidem remos ſortita in ſingulis ordinibus, quamvis binos ordines habuerit. Nec minus etiam longitudinis habuit triremis. Si quæ autem in plures ordines extructæ ſunt, etiam longiores factæ ſunt, ut altitudini σύμμετρος eſſet longitudo. Ut conſtat illam Ptolomæi Philopatoris navem quadraginta ordinum, ducentos octoginta cubitos longitudinis habuiſſe, cum ſimplex ἑκατόντορος longa centenos tantum

tantum cubitos plus minus haberet. Quinquaginta quippe vel quadraginta novem interſcalmia in ea fuere, quæ faciunt centenos cubitos. Si pedis menſura datur ſingulis ſcalmis, fient viginti quinque cubiti. Sic longa erat ἑκατόντορος ſimplex, tota ea parte quam remi occupabant, centum ac viginti quinque cubitos. Aeque longam fuiſſe oportet biremem ἑκατόντορον, & triremem; aut etiam ſi forte longiorem. Sed omnino longiores fuere quæ in tantam altitudinem ſurgebant; ut iam non binos aut ternos, ſed ſenos, ſeptenos, octonos, duodenos, vicenos, tricenos, & quadragenos remorum ordines accipere poſſet. Omnes igitur hæ naves æque longæ, aut etiam amplius, quam prima fuit quæ hoc nomine appellata eſt, quamvis plurium tabulatorum eſſent, *longarum* appellatione cenſebantur. Aeſchylus triremes Græcorum & Xerxis μακρὰς appellavit in Perſis.

Τάξις δὲ τάξιν παρεκάλει νεὼς μακρᾶς. Ubi vetus interpres, μακρὰν interpretatur πολεμικήν. Plutarchus vocat μαχίμους νῆας, in Catone. Tales triremes fuere, quadriremes, quinqueremes, uſque

 ad

ad decẽremes. Vltra hunc modũ & ordinum numerũ oſtentationi potius, ut dixi, & pompæ paratæ, quam uſui, & bello. Diodorus lib. XVI. Triremes vocat *ναῦς μακρὰς*, de Dione claſſem adverſus Dionyſium tyrannum ducente, Ἡρακλείδης δὲ ὁ καταλελειμμένος ὑπὸ Δίωνος ναύαρχος τῶν μακρῶν νεῶν ἐν Πελοποννήσῳ. Et paulo poſt: Ἧκε δ' ἄγων μὲν μακρὰς ναῦς εἴκοσι, χιλίους δὲ στρατιώτας καὶ πεντακοσίους. Idem Diodorus, lib. XX. de Ptolemæo contra Demetrium navale bellum parante, naves eiuſdem Ptolemæi, quæ omnes erant quinqueremes aut quadriremes, *longas* indigetat, εἶχε δὲ πάσας ναῦς μακρὰς ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα. τούτων δ' ἦν ἡ μεγίστη πεντήρης, ἡ δ' ἐλαχίστη τετρήρης. στρατιωτῶν δὲ πορεία ταύτης παρηκολούθει πλείω τῶν διακοσίων. Atque ita alibi paſſim idem auctor triremes, & plurium ordinem naves, quarum tunc ad bella navalia uſus fuit, *μακρὰς* nominat, cum eo tempore ſimplices longæ, qualis fuit prima ab Argonautis inventa, ab uſu militari certaminum navalium plane receſſiſſent. Plutarchus in Pompeio triremes dictas eſſe naves longas, his verbis oſtendit. ὡς δ' οὖν ἐνίκα φεύγειν εἰς τὴν Αἴγυπτον, ἀναχθεὶς ἀπὸ Κύπρου Σελευκίδι τριήρει μετὰ τῆς γυναικός, τῶν δ' ἄλλων

οἱ

οἱ μὲν ἐν μακραῖς ὁμοίως ναυσὶν, οἱ δ' ἐν ὁλκάσιν ἅμα συμπαρέπλεον. Dicit, Pompeium cum uxore in fuga uſum eſſe triremi, alios autem amicorum partim navibus ſimiliter longis, partim onerariis adnavigaſſe. Ariſtophanes in Equitibus, quas primo τριήρεις vocaverat hoc verſu, τὰς τριήρεις παραδραμὼν ἂν ᾤχετο, paulo poſt, ναῦς μακρὰς appellavit.

Πρῶτον μὲν ὁπόσοι ναῦς ἐλαύνουσιν μακράς.

Vbi vetus Scholiaſtes, πολεμίας, τὰς τριήρεις δέ φησι, τὰ δὲ στρογγύλα πλοῖα φορτηγά ἐστι. Idem poëta in Avibus:

Ἐκπονεῖν ὑψηλὰ τείχη, ναῦς τε κεκτῆσθαι μακράς.

Ad quem locũ idẽ interpres, τὰς τριήρεις exponit. Inde etiam *tectæ* longæ, quas Thaſios inveniſſe ſcribit Plinius lib. VII. Eæ tectæ naves ſunt Græcorum κατάφρακτοι, quæ κατάστρωμα habent, & Latinis *conſtratæ* etiam dicuntur: *Tectas longas Thaſii.* Raro ea ætate aliæ tectæ, ſive conſtratæ fiebant, niſi quæ plures gradus remigũ haberent. Argo ſane quæ ſimplici ordine remorũ fabricata eſt, κατάστρωμα non habuit, ſed plane ἄφρακτος fuit, ut Rhodiorum ἄφρακτα fuere ſine cataſtromate, quę Latinis *aperta* navi-

gia. Ut mirer, aſtrologos Argo navi inter aſtra relatæ cataſtroma tribuere, & in eius cataſtromate quinque ſtellas, alios quattuor, collocare. Sed Hyginus recte pro cataſtromate *retectum* vocat. *Et ſub retectum quinque.* Retectum idem eſt quod *protectum*, quaſi replicatum, quod ex lateribus navis prominet, & provolat. Græci ἐξώστραν & ἐνθέτην appellant. Alii auctores κατάστρωμα id in navi Argo vocarunt abuſive. Nam κατάστρωμα eſt tabulatum in navibus conſtratis & bellicis in quo conſiſtebant pugnatores in navali tertamine. In navibus autem apertis, non è cataſtromate pugnabatur, ſed è prora, & puppi, ut idem ait Plinius. *Tectas longas Thaſii. Antea ex prora ac puppi pugnabatur.* In tabulis Aſtronomicis *caſtratum* corrupte ſcribitur in Argo navi quod eſt *conſtratum*, idem nempe quod κατάστρωμα triremium Græcarum. Recentiores vocarunt κατάστεγον. Baſilius Patricius in Ναυμαχικοῖς, capite περὶ μερῶν νεώς, τὰ δὲ ἑκατέρων τῶν τοίχων κατάστεγα, κατάστρωμα λέγεται, καὶ θρᾶνος, καὶ σανιδώματα. Altitudo igitur navis, & altiorum remigum ordo ſumitur ex cataſtromate, quod & θρᾶνος, à quo remiges θρανῖται. Ergo triremes naves longæ. Et ſane cum

cum ea tempeſtate non aliæ forent in uſu bellico quam triremes, non alias etiam proprie *longarum navium* nomine appellabant, & ab *onerariis actuariiſque* diſtinguebant, quam triremes, quadriremes, & plurium etiam ordinum naves. Apud auctores omnes itaque Latinos, ut Cæſarẽ, Ciceronẽ, & alios, ubicunque fit mentio *longarum navium*, quæ ab *onerariis* ſeparantur, de triremibus eæ ſunt intelligendæ, aut etiam plurium ordinum navigiis quorum ad certamina navalia uſus fuit. Nec aliter Græcorum de his ſcripta interpretanda, cum uſpiam μακρῶν νεῶν mentionem faciunt. Vnicus extat locus apud Thucydidem poſitus, qui videtur obſtare ne triremes ſint longæ naves, quia à longis navibus τριήρεις diſtinguit his verbis, ex lib. 1. φαίνεται δὲ καὶ ταῦτα πολλαῖς γενεαῖς ὕστερα γενόμενα τῶν Τρωϊκῶν, τριήρεσι μὲν ὀλίγαις χρώμενα, πεντηκοντόροις δ᾽ ἔτι καὶ πλοίοις μακροῖς ἐξηρτυμένα ὥσπερ ἐκεῖνα. Satis aperte hic ſeparat μακρὰ πλοῖα, ſive *longas naves*, à triremibus, ſive τριήρεσι. Sed omnino mendum eſt in his verbis, & pro μακροῖς reponendum μικροῖς, ita ſuadente loci ſententia. Troicis temporibus nondum erant τριήρεις, quod ex Homero li-

quet, qui earum non meminit. Corinthii primi perhibentur triremes inveniſſe. Ne poſt inventas quidem triremes ſtatim id generis navium ubiq; per Græciam uſus increbuit, ſed multis in locis adhuc utebantur πεντηκοντόροις, antiquorum more, & aliis minoribus navigiis, nempe εἰκοσόροις, & τριακοντόροις eodem modo, ut apud veteres ædificabantur, contextis, id eſt, cum ſingulis ordinibus remorum, non multiplici ſerie ordinum ſtructis. Nam poſtea non ſolum longæ naves, ut πεντηκόντοροι, in plures remorum ordines elevatæ ſunt, ſed etiã minores, ut τριακόντοροι, factæ ſunt τριηρικαὶ, & τετρηρικαί. Si retineretur vulgata lectio in Thucydide, *naves longas* à πεντηκοντόροις diſtingueret, cum ſatis conſtet, primam navem longam fuiſſe πεντηκόντορον. Præterea diverſas idem faceret *naves longas* à triremibus, cum auctor æque Atticus, nempe Ariſtophanes, qui eodẽ ferme ſæculo vixit, μακρὰς ναῦς de triremibus dixerit. Ab eo igitur tempore, quo triremes & pluriũ ordinum naves ad uſum belli navalis receptæ ſunt, ſolæ fere *longarum navium* nomine venerunt. Quæ antea *longæ* dicebantur, cũ ſimplices erant, eæ appellatione κελήτων, & μονοκρότων,

κρότων potius cenſebantur. Omnes autem ſimplices ſive *μονήρεις* naves, quæ infra longarū magnitudinē erant, & *πεντηκοντόρων*, *actuariæ* vocabātur, id eſt, *κωπῆρεις*, vel *ἐπίκωποι*, ut *τριακόντοροι*, *εἰκόσοροι*, & quęcunque remis agerentur. Nam inde appellatæ. *Actus* eſt *ἐλασία*. *Agere* quippe eſt *ἐλαύνειν*, quod proprie dicitur de navigio quod remis agitur. Ab *actu* igitur, quæ eſt *ἐλασία*, omnis navis quæ remis agitur, *actuaria* appellabatur. *Actus* varia ſignificat, prout eſt res de qua agitur. Via qua iumenta & vehicula agi poſſunt, Iuriſconſultis *actus* eſt. Vnde differentia viæ, itineris, & actus. Apud agrimenſores, quia menſuræ *agi* dicuntur, & *limites agi*, inde *menſuræ actus*, & *actuarii limites*. Sic quod *remis agi* dicitur navis, inde etiam *actus* eſt *ἐλασία*, ſive *ἐρεσία*, & ex eo naves *actuariæ*, quæ remis aguntur. Græci quoque *ἐλαύνειν* proprie dicunt de navibus quæ remis impelluntur, & aguntur. Vt apud Ariſtophanem, *ναῦς ἐλαύνουσι μακράς*. Inde *ἐλασία*, pro *actu*, & *κατήλατα* navigia Appiano quæ Latinis *actuaria*. Sed hodie apud Appianum perperam legitur, *καταφράκτους ναῦς*, pro *κατηλάτους*, vel *κατηρέτους*. Livius lib. XXXVII. de fœdere Antiochi cum Roma-

manis, *Tradito & naves longas, armamentaque earum, neve plures quam decem naves actuarias, nulla quarum plusquam triginta remis agatur, habeto.* Appianus in eadem re narranda ναῦς καταφράκτους appellat quas Livius *actuarias naves.* Quod omnino mendoſum eſt. Nam κατάφρακτοι naves longæ fuere, & tectæ, & nulla κατάφρακτος facta eſt unquam quæ de longis non eſſet. Antiochus autem tradere omnes longas naves iuſſus, non retinuiſſet καταφράκτους, quia nulla κατάφρακτος, niſi longa Scribendum igitur in Appiano, ναῦς ἢ κατελάτους δέκα ἔχειν μόνας, vel κατηρέτους, *naves autem habeto actuarias. decem ſolas.* At Livius etiam expreſſit quod genus actuariarum liceret habere Antiocho, ut ne *actuarias* haberet maiores quam quæ triginta remis agerentur. Eæ ſunt τριακόντοροι Græcorum. Nec maiores ſane fiebant quæ infra magnitudinem longarum viderentur. Nam πεντηκόντοροι, id eſt, quæ quinquaginta remis aguntur, inter longas numerabantur, non inter *actuarias*. Prima quippe navis longa, qua Iaſon cum cæteris Argonautis in Colchidem navigavit, πεντηκόντορος fuit. Et perperam Bayſius, & alii recentiores interpretes, πεντηκόντορον Latine reddunt *actua-*

Digitized by Google

actuariam, cum longa ſit navis. Antiochus autem qui ex pacto omnes longas naves quas habebat, tradere debuit Romanis, haud potuit retinere πεντηκοντόρους, cũ eæ in cenſu ac numero longarũ eſſent. Quãvis autẽ πεντηκόντορος, & omnes longæ naves, ſive ſingulorum ordinum forent, ſive plurium, remis etiã agerentur, non tamen *actuariæ* dicebantur, ſed illæ ſolæ quæ infra magnitudinem longarum erant. Non alius autem modus maior fuit actuariarum infra longas quam τριακοντόρων. Minimæ longarum fuere πεντηκόντοροι, ac maximæ actuariarum τριακόντοροι. Præter has & illas eſſe poterant τετταρακόντοροι, quæ quadragenis remis impellerentur, ſed earum nulla extat mentio in veterum ſcriptis. Et inde colligitur, maximas *actuariarum*, quæ à *longis* diſcernerentur, fuiſſe τριακοντόρους. Pollux lib. I. cap. IX. ἑκατόντορος, πεντηκόντορος, τριακόντορος, εἰκόσορος. Non infra hunc numerum remorum ſic dictæ ullæ *actuariæ* reperiuntur. Nam citra εἰκοσόρους, quæ vicenis remis agebantur, omnes minores *actuariæ* à numero ſcalmorum vocari conſueverant, uſque ad δίκωπον. Ut ὀκτωκαιδεκάσκαλμος, ἑκκαιδεκάσκαλμος, πεντεκαιδεκάσκαλμος, δωδεκάσκαλμος,

δεκάσκαλμος, ὀκτάσκαλμος, ἑξάσκαλμος, τετράσκαλμος, δίκωπος. Hæc minima actuariarum fuit, ut maxima τριακόντορος. Δίκωπος autem dicta navicula quæ ab uno remige duobus ſimul remis agebatur. Μονερέτης vocabatur qui δίκωπον agebat. In verbis Pollucis ἑκατόντορος & πεντηκόντορος *longæ* ſunt. Τριακόντορος & εἰκόσορος *actuariæ* maioris modi uſque ad δίκωπον, ut dixi. Livius lib. XXX: *Quingentas fuiſſe omnis generis, quæ remis agerentur, quidam tradunt.* Generaliter de omnibus navibus quæ remis agerentur, id eſt, quæ ὀνήρεις, vel κατήρεις eſſent, intelligit. *Actuariæ* autem diverſæ à *longis*, ſed & ab *onerariis*, quamvis & multæ onerariæ etiam remis agerentur. Cæſar lib. V. de bello Gallico, cum naves onerarias curaret ædificandas, *actuarias fieri* eas iuſſit, id eſt, καπλάτυς, ſive remis agendas. Non enim omnes onerariæ remis agebantur, ſed ut plurimũ remigio carebant, ſola uſæ velificatione: *Ad onera, & ad multitudinem iumentorum tranſportandam, paulo latiores, quam quibus in reliquis utimur maribus. Has omnes actuarias imperat fieri.* Ubi perperam vulgaris interpres Græcus, φορτικὰς reddidit *actuarias*, καὶ πάσας πρὸς τούτοις φορτικὰς ποιεῖσθαι προσέταξεν.

ταξεν. Immo *actuariæ* ſunt naves quæ remigio utuntur. Et cum onerarias tum ædificari iuberet Cæſar, voluit ut eæ onerariæ etiam fierent *actuariæ*, id eſt, remigio inſtruerentur, ut remis agi poſſent, quia, ut dictum eſt, pleræque tum onerariæ remis carebant, & præcipue illæ quæ apud Romanos uſitatæ erant. Græcanicæ quippe ὁλκάδες, id eſt, onerariæ, ut plurium actuariæ fuere, & quidem εἰκόσοροι, qui legitimus modus remigum fuit in onerariis, ut ante docuimus. Dio, cum illa ex Cæſaris commentario in ſuam hiſtoriam transferret, de navibus onerariis à Cæſare factis *actuariis*, medias eas factas ſcribit inter celeres & onerarias, τά τε ἄλλα καὶ ναῦς ἐν μέσῳ τῶν τε σφετέρων ταχειῶν, καὶ τῶν αὐτόθεν τῶν φορτίδων, ὅπως ὡς μάλιστα καὶ κουφίζωσι, καὶ πρὸς τὸ κῦμα ἀντέχωσιν, ἐπὶ τοῦ ξηροῦ ἱσταμέναι, μὴ λυμαίνωνται, παρεσκευάσατο. Ex quibus perſpicuum eſt, communes Romanorum onerarias, non fuiſſe *actuarias*, id eſt, remis inſtructas. Nam Cæſar onerariis quas tunc fabricandas curavit, remigium addidiſſe ſe dicit, ut eſſent celeriores. Et ſic tertium genus navium ex his evaſit, inter *oneriarias*, id eſt, tardas naves, & *actuarias*, id eſt, veloces, medium. Nam

forma

forma *onerariarum* erant, ſed remiges habebant ſicut *actuariæ*, Ideo tradit Dio, illas Cæſaris onerarias ἐν μέσῳ τῶν ταχειῶν & φορτίδων fuiſſe. Nam *actuariæ naves* de celeribus intelliguntur, quia remi addunt celeritatem navigiis, & *actuariæ* eæ ſunt propriæ quę *actu*, id eſt, ἐλασίᾳ impelluntur, hoc eſt remigio, Virgilius *verſum* dixit,

--- triplici pubes quas Dardana verſu
Impellunt.

Id eſt, ἐρεσίᾳ, ἐλασίᾳ, ſive triplici actu, Non enim verſus ubi ςίχος eſt, ut putavit Scaliger. Nonius Marcellus: *Actuariæ, naviculæ celeres, dictæ quod cito agi poſſent.* At cito agi non poteſt navis, niſi ope remigum. Hinc *actuariæ* ab *onerariis* diverſæ apud Siſennam ex lib. III. Hiſtoriarum, eodem Nonio citante; *Quibus occiſis actuarias ad viginti, naves item complures onerarias incendunt.* Ergo *onerariæ* ſine remis, quia ab *actuariis* diverſę, quę remigio agebantur. Onerarię autem Cęſaris cum remis, ideo *actuariæ* ſimul & *onerariæ* fuere, atque, ut dicit Dio, inter ταχείας, & φορτίδας. Huiuſmodi onerarias quę remis incitabantur, Gręci δρομάδας ὁλκάδας, id eſt, citas vel celeres onerarias, aut, quod idem eſt,

remis

remis impelli ſolitas, quales & εἰκόσοροι, vocabant. Pollux: λέγοιτο δ' αὖ ταχεῖα ναῦς, καὶ ταχυναυτοῦσα, καὶ δρομάδες ὁλκάδες, ὡς Ἀριστοφάνης. λέγεται δὲ καὶ βαρεῖα ναῦς σιτηγὸς, σιτηγός. Onerarię enim graviores ac tardiores, quia remis non agebantur: actuarię celeriores, quia remis impellebantur. At onerarię quę remigio utebantur, δρομάδες ὁλκάδες, Ariſtophani vocatę, id eſt, celeres onerarię, ſive remis incitatę. Ut Siſenna *actuarias* ab *onerariis* diſtinxit apud Nonium, ita etiam Dionyſius, in Antiquitatibus Romanis lib. III, ἐπικώπους, & ὁλκάδας, id eſt, *actuarias*, & *onerarias*. Ibi tradit, ἐπικώπους, id eſt, *actuarias naves*, ab oſtio Tiberis, quantęcunque ſint formę, Romam uſque pervehi remigio, onerarias autem, id eſt, ὁλκάδας, uſque ad trium millium modiorum onus, remulco ad urbem pertrahi, maiores autem onerarias, in ipſo oſtio ſtare ad ancoram, & minoribus naviculis fluviatilibus exonerari. Αἱ μὲν οὖν, inquit, ἐπίκωποι νῆες ὁπηλίκαι ποτ' ἂν οὖσαι τύχωσι, καὶ τῶν ὁλκάδων αἱ μέχρι τρισχιλιοφόρων, εἰσάγουσί τε διὰ τοῦ στόματος αὐτοῦ καὶ μέχρι τῆς ῥώμης ἐρεσίᾳ, καὶ ῥύμασι παρελκόμεναι κομίζονται. αἱ δὲ μείζους πρὸ τοῦ στόματος, ἐπ' ἀγκυρῶν τῷ ποταμῷ, ἀπο-

ἀπογεμίζονταί τε, καὶ ἀποφορτοῦνται σκάφαις. Vbi ἐρεσία refertur ad ἐπικώπους, id eſt, *actuarias*: τὰ ῥύματα, id eſt funes, quibus trahitur navis oneraria quę remigio non utitur, ad ὁλκάδας. Hinc etiam conſtat, vulgares onerarias caruiſſe remigio. Τετρακισχιλιόφοροι autem onerarię modicæ formę modiquę fuerunt, cum maximæ fuerint μυριόφοροι, quas μείζους appellat Dionyſius. Sic enim vocat Thucydides, alii etiam μυριαγωγοὺς dixerunt. Frumentariarum magnitudo *modiatione* æſtimabatur, ut navis mille modiorum capax, vinariæ ab amphoris immo etiam frumentariæ: quæ alias merces vehebant in pondere conſiſtentes, talentis vel centúpondiis ſive cētenariis. *Quintalia* vulgo appellāt. Thucydides lib. IV. Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους πλεῖν μὴ μακρᾷ νηΐ, ἄλλα δὲ κωπήρει πλοίῳ εἰς πεντήκοντα τάλαντα ἄγοντο μέτρον. Hodie à numero *tonnellorum*, ut appellant, magnitudinem onerariarum metiuntur. Sed hæc non ſunt huius loci. Agimus hoc loco tantum de *longarum*, *onerariarum* & *actuariarum* differentia, in quas tres ſpecies genus omne navium poteſt dividi. Nam aut *onerariæ* ſunt, aut *longæ*, aut *actuariæ*. Et his omnibus poſtliminii ius fuiſſe, ex Cice-

Cicerone & Aelio Gallo conſtat, qui *navem* generaliter nominant inter eas res mobiles quibus poſtliminium erat. Omnis autem navis, aut *longa* eſt, aut *oneraria*, aut *actuaria*. Actuariæ autem naves omnes quæ remis aguntur, à τεσσαρακοντόρῳ, hoc eſt, tricenorum remorum nave uſque ad δίκωπον. Hęc tria genera his verbis recenſet Appianus, lib. v. de bellis civilibus, διεφέροντο δ' αὐτοῖς νῆες βαρεῖαι μὲν ἓξ, κουφότεραι δὲ εἴκοσιν, λιβυρνίδες δ' ἔτι πλείους. Ubi βαρεῖαι νῆες ſunt graves, & *onerariæ*: κουφότεραι *actuariæ*: λιβυρνίδες ſive Liburnicæ, *longæ*. Euſtathius ſcholiis in Dionyſium περιηγητὴν, notat, in Lexico Latino vetere *Liburnicas*, exponi naves longas, ἰστέον δὲ ὅτι ἐν λατινικῷ λεξικῷ εὕρηται ὅτι λιβυρνίδες εἰσὶ νῆες μακραί. His tribus igitur generibus poſtliminum fuit. De *longis* & *onerariis* nihil eſt dubiũ, cum Iuriſconſultus eas nominatim recenſeat inter illa quibus erat poſtliminium: *Navibus longis & onerariis propter belli uſum poſtliminium erit*. Numquid minus uſui ad bella navalia fuere *actuariæ*? Immo etiam uſus vel maximi fuere ad tranſportandos milites, ad explorandum, ad alia belli miniſteria plurima utiles *actuariæ*. Inde enim

ſunt

ſunt exploratoriæ & ſpeculatoriæ naves, quæ Greci κατασκοπικὰ πλοῖα appellant, & περίπλυς νῆας. Inde ſunt & ςρατιώτιδες, vel ςρατιωτικὰ πορεῖα, *actuariæ* naves ſive *vectoria* navigia tranſportandis militibus idonea. Sic enim Græci vocant. Diodorus lib. xx. de claſſe Ptolemæi bellum parantis navale contra Demetrium, εἶχε δὲ πάσας ναῦς μακρὰς ἑκατὸν ἢ τεσσαράκοντα, τούτων δὲ ἦν ἡ μεγίςη πεντήρης, ἡ δ' ἐλαχίςη τετρήρης, ςρατιωτικὰ δὲ πορεῖα, τούτοις ἐπηκολούθει πλείω τῶν διακοσίων, ἄγοντα πεζοὺς οὐκ ἐλάττους τῶν μυρίων. Ea πορεῖα, *vectoria* ſunt, & *actuaria* navigia, non ſolum militibus vehendis, ſed etiam quibuſlibet idonea, unde & *vectoria* appellata Cæſari. Cum milites vehunt, ὁπλιταγωγοὶ appellantur, & ςρατιώτιδες, & ςρατιωτικὰ πλοῖα, diverſa utique à *longis* belliciſque navibus, & ab *onerariis*. Cæſar lib. v. de bello Gallico *vectorias* vocat: *Qua in re admodum fuit militum virtus laudanda, qui vectoriis gravibuſque navigiis, non remigandi labore, longarum navium curſum adæquaverunt*. Hæc etiam *actuaria* fuiſſe, non eſt dubium, cum remigio actas ſignificet. Sed *gravia* vocat, quod erant *onerariæ* quas & *actuarias*, id eſt, ἐπικώπους, id eſt, remigio inſtructas, fieri curaverat

Cæ-

Cæſar. Alioquin actuariæ quæ onerariæ non fuerunt, inter celeres naves ac leves reponebãtur, non tamen ut exęquare poſſent velocitatem longarum navium, id eſt, triremium, quæ terno remorum ordine, impellebantur, & lõge plures in ſingulis ordinibus remos habebant quam actuariæ? Maxima quippe actuaria τριακόντορος aut ad ſummum τεσσαρακόντορος fuit, id eſt, quadraginta remorum, ut ſupra oſtendimus, cum triremis in ſingulis ordinibus centenos haberet remiges, & in ternis in totum trecentos, & ad minimum centum quinquaginta. Celeres itaque naves fuere actuariæ in comparationem onerariarum & gravium quæ remis non agebantur, ſed comparatæ cum triremibus tardæ videbantur & ipſæ, præcipue illæ *vectoriæ* de quibus loquitur Cæſar, quæ onerariæ erant, remigio inſtructæ. Inde & *dromones* Latinitas infima voce Græca appellavit triremes à celeritate, Græci Conſtantinopolitani δρόμωνας quæ triremes veteribus, & *liburnæ* & *naves longæ* dicebantur. Iſidorus lib. XIX. cap. I. *Longæ naves ſunt quas dromones vocamus, quia longiores ſunt cæteris.* Quã vocem viri docti perperam apud Iſidorum mutãt in δρομάδες. Sed infimi imperii Græcis

δρόμωνες ut plurimū fuere uniremes, quales ſunt noſtræ *Galeæ*, aut biremes, ut iam ſupra docuimus. Talia fuere *ἄφρακτα* Rhodiorum. Naves erant longæ *μονήρεις* & apertę, quas ab actuariis Cicero diſtinguit, quibus vectores tranſportabantur, lib. x. Epiſt. ad Atticum: *Recordor enim æſtate cum illo Rhodiorum ἀφράκτῳ quam fuerim ſollicitus. Quid duro tempore anni actuario fore cenſes?* Id eſt, vectoria nave & communi. Agellius lib. x. cap. xxv. Actuarias Græce vocari *ἐπακτίους* docet, vel *ἐπιβάτιδας*, id eſt, vectorias: *Gauli, corbitæ, codiceæ, longæ, hippagines, cercuri, oriæ, lenunculi, actuariæ quas Græci ἐπακτίους vocant vel ἐπιβάτιδας*. Sic reſtituendus ex veteribus libris ille locus, qui vulgo corruptiſſimus circumfertur in editionibus. Cum *actuaria* generaliter omnis navis Latinis dicatur quæ remis agitur, ut iam demonſtravimus, ſpecialiter tamen de eo genere navium id nomen uſurparunt quo homines vehebantur, quas Græci *ἐπιβάτιδας* aut *ἐπιβατηγοὺς* appellant, & ſic vocatas oſtendit Ulpianus leg. 1. D. de exercitoria actione, ubi eas ab onerariis diſcernit, quod hominibus tantum vehendis eſſent idoneæ, non etiam oneribus ferendis: *Quædam enim naves onerariæ,*

quæ-

quædam, ut ipſi dicunt ἐπιβατηγοὶ *ſunt. Et pleroſque mandare ſcio ut victores recipiant, & ſic certa regione & certo mari negotietur, ut eæ ſunt naves quæ Brunduſium à Caſſiopa vel à Dyrrachio vectores traiiciunt, ad onera inhabiles.* Hæ ſunt igitur quæ proprie *actuariæ* dicebantur, ut ex Agellio & Cicerone diſcimus, cum alias omnis navis quæ remigio utitur *actuaria* vocaretur. Actuariis autem illis ſive vectoriis poſtliminium etiam fuiſſe haud minus quam onerariis non eſt dubitandum. Nam ad milites vehendos æque erant idoneæ, ut aliis vectoribus tranſportandis. Et falluntur viri doctiſſimi qui *actuariis* abſolute negant poſtliminium fuiſſe, qui revincũtur ipſis Iuriſconſulti verbis, dum ex omnibus actuariis ſolas videtur excipere, quæ voluptatis cauſa habebantur, quibus poſtliminium non eſſet: *Non piſcatoriis, aut ſi quas actuarias voluptatis cauſa paraverant.* Ergo cæteræ omnes actuariæ exceptis iis quæ voluptatis cauſa parabantur, poſtliminii ius habebant. Piſcatoriæ etiam actuariæ quia remis incitabantur. Unde & *actuariolum navigium decemſcalme* Ciceroni, id eſt, decem remorum. Vel δίκωπον navigium actuarium eſt. Falſus eſt etiam vir plurimæ ac variæ le-

 ctionis

ctionis Hugo Grotius in libris de Iure pacis & belli, qui *luſorias* naves ſimpliciter & abſolute iure poſtliminii caruiſſe affirmat, lib. III. cap. IX. Inter eas quæ poſtliminii ius habent, *Naves ſcilicet longæ, atque onerariæ, non item luſoriæ aut actuariæ voluptatis cauſa paratæ*. Non omnes, ut iã diximus, actuariæ voluptatis cauſa paratæ, cæteris autẽ præter has, id eſt, omnibus navigiis quæ remigio agerentur, ius poſtliminii fuit. Sed nec *luſoriis* abſolute id ius negatum. Nam *luſoriæ* etiam dictæ ſunt quæ ad belli uſum præparatæ erant, & ad limitum cuſtodiam deſtinatæ in Danubio & Rheno excubabant. Quæ ex his refectæ fuerant vetuſtate corruptis, tranſvectioni ſpeciei annonariæ ſerviebant. Quas nemo etiam iure poſtliminii fraudaverit. Extat titulus in Codice Theodoſiano, de *Luſoriis* Danubii, leg. unica, in cuius fine hæc leguntur: *Illo nihilominus obſervando, ut iſtis ſecundum diſpoſitionem tuæ præſtantiæ ad belli aleam præparatis, atque in conflictus ſpecula munitiſſima ſtatione vel diſcurſus opportunitate diligenter poſitis, hæ duntaxat quæcunque ex veteribus fuerint reformatæ, tranſvectioni ſpeciei annonariæ ſecernantur*. Sic enim hæc ſcribenda, quæ in editis corrupta

pta ſunt. Duo genera ibi *luſoriarum* facit, *iudiciarias* & *agrarienſes*. Iudiciariæ erant quæ ipſis præſidibus limitis inſerviebant, *agrarienſes* quæ ſtationes in flumine habebant agrarias. De his luſoriis Danubii mentionem etiam habet Vegetius lib. VI. cap. ult. *De luſoriis quibus in Danubio quotidianis utuntur excubiis reticendum puto*. Vopiſcus in Probo *luſoriarum Rheni* meminit, quæ idem munus habebant in illo limite tuendo, quod illæ Danubii *luſoriæ* ad limitem Mœſicum & Scythicum defendendum. *In Rheno*, inquit, *Romanas luſorias Barbari incenderunt*. Ad quem locum videnda quæ notavit Salmaſius. *Luſoriæ* illæ lembi fuere, ut idem obſervavit, & qui in his excubabant milites *Lembarii* dicti, ut *Claſſici* qui in Liburnis ac longis navibus ad mare tutandum excubabant milites. In leg. IV. Cod. de officio iudicum militarium, iniungitur huiuſmodi ducibus limitum, *ut caſtrorum refectionis & luſonarum curam habeant*. Ita enim ibi ſcribendum, non *cluſuriarum*, nec *luxuriarum*, nec *luſtrationis*. Item leg. IV. Cod. de officio magiſtri officiorum; *Curæ tui perpetuæ culminis credimus injungendum, ut ſuper omni limite ſub tua iuriſdictione conſtituto*

quemadmodum ſe militum numerus habeat, caſtrorumque ac luſoriarum cura procedat, quotannis ſignificare nobis propria ſuggeſtione procures. Utut alii defendant & explicent vulgatam lectionem in hac & in ſuperiore lege Codicis, veriſſima eſt Salmaſii coniectura, *luſorias* reponentis, quæ naves, ut dixi, fuere ad cuſtodiam limitis conſtitutæ, in iis fluminibus quæ imperium Romanû à barbaris diſterminabant. Quæro à viro doctiſſimo an iſtæ *luſoriæ* non pertineant ad ius poſtliminii. Sed miror etiam eundem virum, cum ea enumeraret quibus poſtliminii ius non erat olim, cur *piſcatorias* naves reticuerit, quas nominatim ex earum numero navium exemit Iuriſconſultus quibus negavit ius eſſe poſtliminii. An voluit Hollandis ſuis favere & cavere, qui lõge maximum numerum habent piſcatoriarum navium, quibus nollet hoc ius ademptum? Magnopere porro errãt viri docti qui putant *luſorias*, quæ ſic vocantur Senecæ, & voluptuariæ ſunt naves, eaſdem eſſe cum illis *luſoriis*, quibus ad excubias & ſtationes agendas in limite utebantur Romani. Non omittam, in loco Agellii, quẽ ſupra emẽdavimus, ubi *actuarias*, quomodo Græcè dicerentur, expoſuit, viros doctos perpe-

perperam pro ὀμβάνδας legere ἐπακτρί-δας, quæ ſunt naves piſcatoriæ. Nam ἐπακτῆρες Græce piſcatores dicebantur ab inducendis in retia piſcibus, item venatores ab inducendis quoque feris in plagas ac retia. Inde ἐπακτρὶς navigium piſcatorium. *Actuaria* autem proprie ſumpta non ſignificabat Latinis navem piſcatoriam, ſed eam quam diximus, & cui poſtliminium æque fuit iure Romano, ut *longis* & *onerariis*.

CAP. XXIX.

Lex XXVI. *Publia Mævia* π. *ult. explicata. Non eam adverſari receptæ vulgo opinioni, quæ docet, confeſſiones non ſcindi in rebus civilibus, ſed integras accipi debere. Perperam eam legem ab Advocato Pariſienſi eſſe emendatam. De obligatione nominum. Privatam ſcripturam olim fidem ſe ciſſe debiti. Hanc eamdem & litterarum obligationem dictam. Legem ſupraſcriptam ea parte mendoſam videri quam non viderit Advocatus.*

DUm omnia curioſo oculo circumvehor ac percurro in obſervationibus Advocati Pariſienſis, inſpecturus an aliquid me fugiſſet animadverſione dignum, ſingulis perluſtratis, comperi

me omiſiſſe leg. XXVI. D. depoſiti, quam idem homo, non tam acutus criticus quam diſertus Advocatus, corrigere tentavit cap. II. earundem emendationum & obſervationum. Sollemnem quippe hariolationem ibi quoque adhibuit, gloſſema fingendo quod nullum erat, & ea verba quaſi ſuperflua temere reſecando quæ ad legis intellectum plane neceſſaria videntur. Vulgo receptum eſſe ibi notat, cōfeſſiones non ſcindi in rebus civilibus, ſed integras accipi debere ex leg. XXXIX. D. de operis libertorum. Cui ſententiæ non leviter putat adverſari leg. Publia Mævia XXVI. ꝫ. ult. D. Depoſiti, ubi confeſſionem de depoſito valere adverſus depoſitarium, non itē de pecunia debita ab eo qui res de quibus agebatur depoſuerit, ſignificare videtur Paulus. Hæc Advocatus. Videndū igitur an illæ leges contrariæ ſint, & pugnantes inter ſe frontibus adverſis ſententias contineant. Quod ex utriuſque thematε poſito facile conſtabit. Verum quidem eſt confeſſiones non ſcindi in rebus civilibus, ſed integras accipi debere, ſi ea res agatur quæ dividi non debeat, quia una ſit & unam confeſſionem contineat, quam in partes ſcindi non o-

por-

porteat. In lege xxxix. de operis libertorum, ſtipulatio à patrono ita facta refertur, *Si decem dierum operas non dederis, viginti dare ſpondes?* Operas, id eſt, diurna officia à libertis exigebant qui eos manumiſerant, non item pecuniam ne libertati hoc onus imponeretur. Ideo prætor ne premerentur ac nimis onerarentur libertinæ perſonæ iudicium operarum ſe daturum in libertos ac libertas edicto de ea re propoſito pollicebatur, non vero pecuniæ à libertis promiſſæ, vel à patronis ſtipulatæ. Quid igitur feciſſet prætor cũ patronus à liberto ſtipulatus erat viginti, ſi decem dierum operas non dediſſet? Videndum eſſe reſpondet Iuriſconſultus, an nec viginti actio danda ſit, quaſi onerandæ libertatis gratia promiſſi ſint, nec operarum quæ promiſſæ non ſunt. Operas non promiſerat patrono libertus. Ergo nec exigi poterant. Promiſerat nummos viginti, ſed eos non debebat, quia nec eos ſtipulari patrono licuit. Sed quærit ibidem Iuriſconſultus, an non fingi debeat, operas duntaxat promiſſas eſſe ne patronus omnino excludatur. Et in ea ſententia eſt, ita fingi debere, ac prætorem quoque ita ſentire, operas duntaxat fuiſſe promiſſas. Aliam ibi

quæſtionem proponit Paulus, quæ ex priore conſequitur: *An libertus impetrare debeat, ne maioris ſummæ quam viginti condemnetur, quia videtur quodammodo patronus tanti operas æſtimaſſe, ideoque ipſe non deberet egredi taxationem viginti*. Sed cur hanc ſequentem eſſe quæſtionem dicit, aut cur id proponit diſceptandum, cum de eo videatur quæri non debuiſſe; ſi operas tantum debuit præſtare libertus, quamvis viginti promiſerit patrono eam ſummam ſtipulanti, ſi decem dierum operas non dediſſet? Nam dixit ante Paulus, actionem in viginti non dari, quaſi libertatis onerandæ cauſa promiſſi ſint, ſed nec in operas ipſas, quia promiſſę non ſint. Videri tamen, hanc fictionē admitti poſſe, quaſi operæ duntaxat promiſſæ eſſent, ne patronus ſcilicet & operas perderet, & nummis quos pro operis ſtipulatus eſt, excideret. Atque ita prætori placuiſſe ſcribit, nimirum operas duntaxat fuiſſe promiſſas. Cur igitur ad ſequentem quæſtionem devolvitur? Quia dubitatum, an libertus impetrare debeat, ne maioris ſummæ quam viginti condemnetur à prætore. Atqui dixerat, actionē à prætore patrono non dari in illos viginti nummos quos ſtipulatus eſt pro operis decem

decem dierum, cum ea nempe fictione, quaſi operæ duntaxat promiſſæ eſſent. Sane non dabit actionem prætor patrono in libertũ recuſantẽ ſolvere viginti quos promiſit pro operis decem dierum ſi eas nõ dediſſet. Sed ſi libertus aſſenſus eſt ſolutioni viginti pro operis, & comprobavit eam obligationem qua ſe debitorem confeſſus eſt viginti nummorum pro operis dierum decem ſolvendorum, & patronus poſtea intendat, operas illas decem dierum nimis parvo à ſe æſtimatas eſſe, & amplius pro iis petat, hæc quæſtio eſt quam hic proponit Iuriſconſultus, an id impetrare debeat libertus, ne maioris ſummæ conveniatur, quia videretur patronus tanti eas æſtimaſſe. Reſpondit autem Paulus, iniquum id eſſe, nec oportere liberto hoc indulgere, *quia non debet ex parte obligationem comprobare, ex parte tanquam de iniqua queri.* Una eſt obligatio qua libertus pecuniam promiſit patrono pro operis. Ea pecunia taxatæ ſunt operæ quas debebat præſtare. Si maioris ſummæ condemnatus ſit quam quanti videbatur æſtimaſſe patronus eas decem dierum operas, non poteſt queri de ea condemnatione eo nomine quaſi pecuniam omnino non deberet pro operis

ris ſolvere. Ubi enim ſemel obligationem illam comprobavit, non debet ex parte ei aſſentiri, ex parte tanqam iniquã inprobare. Nunc videamus, an, ſicut viſum eſt Advocato, lex Publia Mævia, ". ult. D. Depoſiti, huic legi non leviter adverſetur. Ex themate eius recte expoſito id etiam apparebit. In ea Titius confitetur, ſe habere à Sempronio auri decem plus minus pondo & diſcos duos & ſaccum ſignatum, ex ratione autem patris Sempronii deberi ſibi decem & quod excurrit. Hic duæ ſunt diverſæ obligationes non una, & proinde duæ quoque diverſæ confeſſiones, duæ etiam perſonæ, una cui debetur, & quæ debet, altera pariter quę debet & cui debetur. Nam eſt quod Titius deberę ſe fatetur, & quod ſibi deberi intendit. In lege XXXIX. de operis libertorum una erat obligatio, uni debita & ab uno, quæ in partes ſcindi non poterat, nec ex parte comprobari, ex parte improbari. In hac duæ ſunt contrariæ obligationes, una paſſiva, altera activa. Titius Semproniis ſcribens fatetur ſe eis debere nomine depoſiti tot auri pondo, ſibi vero ab illis deberi quod reliquum erat ex ratione patris eorum certam ſummam. Quæſtio hinc

igitur

igitur Iuriſconſulto merito propoſita eſt, an ex huiuſmodi ſcriptura obligatio nata ſit, nimirum in qua fatetur Titius ſe debere Semproniis depoſiti nomine auri pondo decem, ab iis autem ſibi deberi dicit decem. Adeo vero utriuſque obligationis & confeſſionis diverſa cauſa, natura, conditio, ut altera omnino egeat probatione, altera non egeat. Quod enim fateor me debere, id probatione non eget, ſed ex mea confeſſione obligatio naſcitur. Ex eo autem quod dico mihi deberi, non poteſt mihi naſci obligatio, niſi probem qua ex cauſa aut quomodo debeatur. Valet igitur, ut etiam ponit Advocatus, confeſſio de depoſito adverſus depoſitarium, non item de pecunia debita adverſus eum quem ſibi debere quis profitetur. Merito igitur hæ confeſſiones dividi debent, cum nihil habeant inter ſe commune, ſed inter ſe intantum diſtent ut altera probanda ſit, altera nulla probatione videatur confirmanda. Nec ea quæſtionis ſententia eſt aut legis ſpecies quam his verbis Advocatus concepit. *Vnde quæſtio*, inquit, *proponitur eo paragrapho, an ex ea ſcriptura obligatio nata ſit. Exiſtimabant quidam, naſci poſſe ex ea ſcriptura obli-*

obligationem, Titii nempe qui depoſitum fatebatur, & Semproniorum, ſi Titii confeſſionem agnoſcerent, cum ea dividi & ſcindi non poſſet. Hæc ridicula & inepta ſunt. Neminē enim fuiſſe tum puto qui exiſtimarit talē ex ea ſcriptura quæ in præſcripta lege poſita eſt naſci & dividi poſſe obligationem, Titii depoſitum fatentis, & Semproniorū confeſſionem eius agnoſcentium. Qui conſuluit ſuper ea ſcriptura Paulum, non quæſtionem ullam moviſſe videtur de depoſito cuius confeſſio ex parte Titii in eius epiſtola ad Sempronios cōtinetur. Quis autem poſſet negare obligationem eſſe in tali debiti confeſſione quæ fieret à debitore in gratiam creditoris qui rem ita ſe habere agnoſceret? Nemo etiam poſſet fingere eam confeſſionem dividi & ſcindi, quæ ab uno ederetur, ab altero acciperetur. Qui igitur à Paulo quæſivit, *an ex huiuſmodi ſcriptura aliqua obligatio nata ſit*, recte ſubiecit, *ſcilicet quod ad pecuniæ cauſam attinet.* Non enim de depoſito quærebat, quod ſe Titius in ea ad Sempronios epiſtola habere fatebatur, ſed de ea pecunia quam Titius in eadem epiſtola ſibi deberi à Semproniis ſcripſerat. Et profecto illis verbis quæſtio ad ſolam pecuniæ cauſam in quam ſibi obligatos eſſe Sem-

Sempronios dicebat Titius reſtringitur, non contra Iuriſconſulti mentem, ut argutatur Advocatus, ſed plane ex eius ſententia. *Nam*, inquit, *ex eiuſmodi ſcriptura obligationem Titio natam adverſus Sempronios vix quiſquam exiſtimarit, cum debitorem ſibi conſtituere nemo poſſit adnotatione propria.* Eo tempore certe quo Paulus ſcripſit, nemo potuit adnotatione propria debitorē ſibi conſtituere, ſed priſco iure, quod etiam Ciceronis ætate obtinuit, & Iuriſconſultorum qui circiter illa tempore vixerunt, *ſcriptura fiebat obligatio, quæ & nominibus fieri dicebatur*, ut ſcriptum eſt in Inſtitutis lib. III. Tit. XXII. Quæ nomina in uſu tunc non fuiſſe ibidem Iuſtinianus affirmat. Ea ſcriptura privata fuit, & privata creditoris adnotatio, qui in tabulas ſuas referebat, expenſum id ſe tuliſſe ei cuius nomen adſcribebat. Et inde *nomen facere*, pro, huiuſmodi obligationē ſcriptura privata contrahere quę in iudicium prolata fidem faciebat, ut Cicero dicit in oratione pro Roſcio. Ex illis tabulis patrisfamilias domeſticiis, in quibus perſcripſerat quid ſibi & quantum à quoque deberetur, cum debitoribus ſuis agebat, & ad ſolutionem debiti eos cogebat. Aliud gitur tunc erat, ſimpli-

ſimpliciter *ex tabulis* agere cum aliquo, & *ex tabulis obſignatis*. Tabulæ obſignatæ erant ſyngraphæ, quæ confectæ erant à publico tabellione, & ſignatæ teſtibus, quibus debitum confirmabatur. At tabulæ non obſignatæ, codices vel kalendaria patrisfamilias fuere, in quibus nomina perſcripta habebat eorum qui ſibi aliquid debebant ex cauſa crediti. Inde *nomina*, & *nominum obligatio*, quæ & *litterarum* etiam *obligatio* dicebatur, ut Iuſtinianus ibi interpretatur, & *litteras* de privata ſcriptura videtur accepiſſe. De quibus videndus Salmaſius in libro de Modo Uſurarum. Doctus Iuris profeſſor commentario ad Inſtituta nuper volebat, huiuſmodi ſcripturam privatam *olim non valuiſſe, ſed vim duntaxat habuiſſe probationis*. Atqui ſi vim habuit probationis, etiam valuit ad obligationem, cum obligatio ex ea ſcriptura probaretur. Merito igitur Pauli ætate, cum Titius in litteris ad Sempronios datis ſcripſiſſet ſibi ab illis deberi decem ex ratione patris eorum, quæſitum eſt nomine Semproniorum, an ex ea ſcriptura obligatio nata eſſet. Veteris iuris & moris apud multos memoria & veſtigia tunc aliqua remanebant. Si valuit olim privata ſcriptura ad obliga-

tionem

tionē contrahendā, cum aliquis propria adnotatione adſcripſiſſet, hanc aut illam ſummam ab illo & illo ſibi deberi, multo magis ſi quis adnotaſſet alicui quid ſe debere, id pro certo & cōprobato obtinuiſſet. Nā & novo iure *ſiquis*, ut ait Iuſtinianus in Inſtitutis, loco iam citato, *debere ſe ſcripſerit quod ſibi numeratum non eſt, de pecunia minime numerata poſt multum temporis exceptionē opponere non poteſt*. Non igitur in hac lege *Publica Mævia*, quæſtio erat, ut vult noſter Advocatus, an Titius ex ſua confeſſione obligatus eſſet; quis enim de eo potuiſſet tum dubitare? Cum quis ſcripſit ſe debere ex cauſa mutui, etſi nihil ſibi numeratum ſciat, poſt certū tamen tempus non poteſt exceptionem opponere pecuniæ non numeratæ. At hic agitur, non de pecunia credita, quæ poſſet excipi non eſſe numerata intra certū tempus, ſed de depoſito. Qui fatetur ergo ſe depoſiti nomine habere ab aliqui auri pondo tot, & ſaccum ſignatū, nō poteſt poſtea id negare, & opponere exceptionem aliquam quaſi depoſitum apud ſe non fuerit quod depoſitum eſſe aliquando propria manu confeſſus ſit. Ad eā quæſtionē, inquit Advocatus, reſpondet Paulus *ex epiſtola de qua quæſitum eſt, obligationem qui-*

dem nullam natam videri, ſed probationē depoſitarum rerum impleri poſſe. Ergo ad pecuniæ ut vult cauſam non pertinebat ea quæſtio, ſed ad res depoſitas. Immo ad pecuniæ cauſam ſolam pertinebat, non ad res depoſitas. Cum enim reſpondit Iuriſconſultus, obligationem ex ea epiſtola nullam natam videri, ad id quod expreſſe quæſitum fuerat reſponſum iſtud direxit, nempe an obligatio nata eſſet ex ea epiſtola, in eo ſcilicet quod ad pecuniam attinebat, quam ſibi deberi à Sempronijs in illa eadem epiſtola ſcripſerat Titius. Nam de rebus depoſitis quarum in ea epiſtola fiebat mentio, non conſultus fuerat Paulus, & ille qui conſulebat diſerte adiecerat ſe propter pecuniam id quærere, non propter res depoſitas. Ad illud igitur de quo nominatim quæſitum fuerat, reſpondet Paulus, nullam obligationem natam videri, ſed obiter etiam addit, *probationem depoſitarum rerum impleri poſſe.* Quibus verbis ſignificabat quod ad res depoſitas attineret quas penes ſe eſſe depoſiti nomine fateretur Titius, tametſi propria confeſſione ſe ob eas obligatum depoſiti conſtituere videretur idem Titius, probationem tamen ex parte Semproniorum impleri poſſe

poſſe quomodo eas res depoſuerint apud Titium. Quod vero cauſam pecuniæ ſpectaret quam Titius eadem epiſtola ſibi deberi à Semproniis ſcripſerat, quoniam nulla obligatio ex ea ſcriptura nata videretur, ne quidem admittendum eum eſſe ad probationem eius quod ſibi deberi diceret, iudicem tamen æſtimaturum an id quoque probare deberet: *An autem is quoque, qui deberi ſibi cavit in eadem epiſtola decem, probare poſſit hoc quod ſcripſit, iudicem æſtimaturum*. Quibus ex verbis liquet, Paulum ſuperius reſponſum ad quæſtionem pecuniæ edidiſſe quam ſibi deberi in ea epiſtola caverat Titius, cum dixit ex ea epiſtola, *nullam obligationem natam videri*. Si enim de rebus depoſitis id reſpondiſſet, non adiecisſet, probationem rerum depoſitarum impleri à Semproniis poſſe. Tum enim probatio requiritur cum de obligatione dubitatur. Vbi vero nullam eſſe obligationem reſpondetur, de ea obligatione quæ nulla eſt, probatio non admittitur. Ideo ſubiunxit, iudicem æſtimaturum an Titius probare id poſſet quod ſcripſerat in epiſtola, decem ſibi deberi à Semproniis. Ad hariolationes ſuas mox decurrit Advocatus, qui putavit, quæſtionem in ea lege

propoſitam non ad pecuniæ cauſam, ſed ad res depoſitas pertinuiſſe, atque ita hariolari ſolens incipit: *Quod cum ita ſe habeat, delenda ea verba quæ quis parum caute notaverat in margine libri ſui, & quæ in textum poſtea recepta ſunt*, ſcilicet quod ad ſolam pecuniæ cauſam attinet, *quaſi non dubitaretur, quin depoſitarum rerum obligatio exiſteret, quod negat Paulus exerte.* Ego vero nego exerte id Paulum negare. Vbi enim Paulus hoc negavit? Duo ſunt quæ Titius in epiſtola dicit, debitorem eſſe ſe Semproniis rerum depoſitarũ cauſa, ſibi vero viciſſim debitores eſſe Sẽpronios ex ratione patris eorum. Vtra videtur difficilior fuiſſe quæſtio digniorque quæ Iuriſconſulto proponeretur diſſolvenda? Citiuſne in iure auditur qui ſibi deberi dicit quam qui ſe debere? An magis denique alterum obligat qui ſcribit eum ſibi pecuniæ debitorem eſſe, quam obligatur qui propria ſcriptura debitum agnoſcit quod alteri ſe debere fatetur? Ad utram quæſtionem reſpondere debuiſſe potius videtur Paulus? An ratio aliqua iuris ſuadet, debuiſſe eum de rebus depoſitis, quas ſe habere faſſus eſt Titius, reſponſum dare, de pecunia autem quam ſibi deberi ſcripſit idem Titius omnino ſile-

ſilere? Certe vel ſenſus communis dictat nulla iuris adiutus peritia, cum quis fatetur ſe debere alteri, obligationem ex ea confeſſione magis naſci, quam cum idem ſcribit alterum ſibi debere. Ergo ad illud potius reſpondere debuit Paulus, nullam obligationem ex ea ſcriptura natam videri, qua quis poſuit pecuniam ſibi deberi, præſertim cum quæſtio de ea re ſola facta proponatur ab eo qui conſuluit. De rebus autem depoſitis confeſſio depoſitarii magis eũ obligavit, dũ eas penes ſe habere ſcripſit quam eiuſdẽ aſſertio obligatos ſibi reddidit Sempronios, dicendo eos ſibi debere. Hinc Theophilus in Inſtitutis lib. III. Tit. XXI. *de litterarum obligatione* oſtendit, quomodo etiam tunc obligari aliquis *litteris* poſſet, cum tamen ea obligatio pridem exoleviſſet. Non amplius nunc erat in uſu, ut aliquis privata ſcriptura alium debitorem poſſet conſtituere, ſed adhuc manebat modus, quo aliquis privatis litteris alium ſibi poſſet obligare, ſi quis nimirũ ſcripſiſſet ſe debere alteri. Λείπεται οὖν, inquit, ἀπὸ μόνων τῶν γραμμάτων ἔνοχον αὐτὸν γίνεσθαι, καὶ ἰδοὺ, ποτὲ καὶ σήμερόν τις ἔνοχος ταῖς *litteris*. Qualiſcunque autem ſcriptura ſufficiebat, ut aliquis ſe debito-

 rem

rem conſtitueret. Adeo autem omnis ſcriptura contra eum valuit, qui ſe debitorem eſſe fatebatur, ut poſt quinquennium veteri iure non poſſet petenti exceptionem opponere de pecunia non numerata. Quod quinquennii tempus ad biennium redegit Iuſtinianus. Poteſt igitur aliquis fatendo debitum ſe debitorem conſtituere, non autem ſcribendo ſibi deberi, alium facere debitorem. Quod olim tamen cum liceret, poſtea non licuit. Falſum itaque quod hic affirmavit Advocatus, exerte Paulum negare depoſitarum rerum obligationem ex ea ſcriptura exiſtere qua depoſitarius confeſſus eſt penes ſe eas eſſe. Cum enim reſponderit obiter ad illum caſum, rerum depoſitarum probationem impleri poſſe, ſignificavit obligationem depoſiti natam ex confeſſione depoſitarii. Nam ſi nullam inde obligationem exiſtere pronuntiaſſet, perperam ad probationem admiſiſſet eos qui depoſuerant. Nec ratione nititur Advocatus, cum dicit, verba illa Titii quibus confeſſus eſt, res depoſitas penes ſe eſſe, *obligationem non inducere, quippe cum depoſitum re & depoſitione perficiatur*. Hac eadem quippe ratione dici poſſet, cautionem chirographariam

in

in pecunia mutuo data non inducere obligationem, quia mutuum re & datione contrahitur, non litteris nec conſenſu. Certe chirographum ipſum, & in mutuo, & in depoſito non facit obligationem, quæ rei datione perficitur, ſed probationem obligationis præſtat, & fidem facit debiti. Hinc *chirographarius creditor* in iure eſt qui cōtentus eſt chirographo debitoris, & diſtinguitur ab hypothecario. Similiter *chirographarius debitor* appellatur, qui per chirographum ſuum ſe obligavit. Hinc cum chirographa legabantur, non ipſæ tabulæ ſed debitum legari intelligebatur. Similiter & cum vænibat chirographum, nomen ipſum vænundatum cenſebatur, leg. XLIV. π. V. D. de legatis I. *Eum qui chirographum legat, debitum legare, non ſolum tabulas, argumento eſt venditio. Nam cum chirographa væneunt, nomen vaniſſe videtur.* Chirographo continebatur probatio debiti. Ideo legato chirographo ipſum debitum legabatur, leg. LIX. D. de legatis III. *Qui chirographum legat, non tantum de tabulis cogitat, ſed etiam de actionibus, quarum probatio tabulis continetur.* Similiter chirographo cavebant depoſitarii ſe depoſiti nomine penes ſe habere quod ipſis cō-

mendatum eſſet. Et pro chirographo epiſtola ſcripta valebat, cuius exemplum extat in leg. XXIV. D. depoſiti. *Lucius Titius Sempronio ſalutem. Centum nummos quos hac die cõmendaſti mihi adnumerante ſervo Sticho actore, eſſe apud me, ut notum haberes, hac epiſtola manu mea ſcripta tibi notum facio, quæ quando voles, & ubi voles confeſtim tibi numerabo.* Extat & aliud exemplũ lege ſequenti, D. eodẽ, ſcriptũ Græce, ἔλαβον καὶ ἔχω εἰς λόγον παρακαταθήκης τὰ προγεγραμμένα τοῦ ἀργυρίου δηνάρια μύρια. *Accepi & habeo nomine depoſiti penes me præſcripta argenti denarium decem millia.* Et quæ ſequuntur. An alia ratio eſt aut ſententia in eadem lege continenter ſequentis paragraphi, in quo poſita eſt epiſtola Titii ad Sempronios, qua fatetur, *ſe habere ab illis auri pondo plus minus decem, & diſcos duos, ſaccumque ſignatum?* Certe non eſt. Ut autem in prioribus chirographis pro depoſito factis, non quæſitum eſt an obligatio ex ea ſcriptura nata eſſet propter res depoſitas, ita nec in iſta epiſtola quæ pro chirographo valet, id quæri debuit. In ea epiſtola, quæ fidem facit de depoſito, quæque Papiniano propoſita eſt leg. XXIV. eiuſdem tituli, poſt verba epiſtolæ poſita ſubiectum eſt, *Quæritur*

pro-

propter uſurarum incrementum. Quo ſignificatur, epiſtolam illā Titii ad Semproniū, qua ſe centum nummos depoſitos habere à Sempronio fatebatur, non ad hoc propoſitam fuiſſe Iuriſconſulto, ut quæreretur an obligatio ex ea ſcriptura nata eſſet, ſed in hoc tantum, ut de incremento uſurarum ſciretur an ex tali depoſito deberentur. Eadē ratio proponendi Paulo fuit chirographi pro depoſito in lege ſequenti, Publica Mævia, π. 1. nimirum ut quæreretur an uſuræ ex eo peti poſſint. At in paragrapho qui ſubiicitur, Titius ſimiliter in epiſtola quam dederat ad Sempronios fatebatur ſe habere à Semproniis auri pondo decem, & diſcos duos & ſaccum ſignatum, ſed quia in eadem epiſtola idem Titius præter depoſitum, quod habere ſe à Semproniis ſcripſerat, decem ab illis ſibi deberi poſuerat, Sempronii, qui ſuper ea epiſtola Paulum conſuluerant, non de rebus depoſitis quæſierunt, an obligatio depoſiti, quod fatebatur penes ſe eſſe Titius, nata eſſet, ſed de pecunia quām idem Titius in eodē ſcripto ſibi deberi à Semproniis adſcripſerat. Ideo Sempronii, cum de ea epiſtola Paulū interrogarent, quæ duos continebat diverſos caſus, depoſitarum rerum

confeſſionem ab auctore epiſtolæ factam, & debitæ pecuniæ aſſertionem ab eodem præſumptam, diſerte dixerunt, ſe de pecunia quã ſibi deberi in ea epiſtola Titius ſcripſerat, tantũ quærere: *Quæro an ex huiuſmodi ſcriptura aliqua obligatio nata ſit, quod ad ſolam pecuniæ cauſam attinet.* Nam de rebus depoſitis, quas caverat eodem ſcripto ſe habere Titius, ſuperfluum erat quærere. Ad quæſtionem igitur ſibi propoſitam de ſola pecunia reſpondens Paulus, dixit nullam obligationem natam ex eiuſmodi ſcriptura videri. Addiditque obiter, rerum depoſitarum probationem, quæ ex epiſtola Titii & propria eius confeſſione manifeſta eſſet, impleri poſſe & perfici: *An vero etiam is quoque qui deberi ſibi cavit in eadem epiſtola decem, probare poſſit hoc quod ſcripſit, iudicem æſtimaturum.* Quibus ex verbis ſatis perſpicue liquet, Paulum non exiſtimaſſe, ad probationem hanc eum admitti poſſe, quandoquidem nulla nata videretur obligatio ex eo ſcripto privato quo caverat Titius decem ſibi deberi. Quærit hic Advocatus de pecunia Titio debita à Semproniis, an etiam probationem adverſus Titium implere poſſint? Non negare id exerte ait Paulum, ſed iudicem æſti-

æſtimaturum. *Non ſi Titius*, inquit, *adverſus Sempronios ex ea ſcriptura agere velit, quod abſurdum eſſet, ſed ſi adverſus Sempronios ex ea epiſtola agentes de pecunia pro iis à ſe debita replicaret*. Non diſpicio ego, cur magis abſurdum videatur, Titium adverſus Sempronios ex ea ſcriptura agere, petentem eam ſummam quam ſibi ab iis deberi in epiſtola ſcripſerat, quam replicantem adverſus Sempronios ex eadem epiſtola agentes de pecunia pro iis à ſe debita. Ponamus, Semproniis ſatisfeciſſe Titium de rebus quas apud ſe ab iis depoſitas confeſſus fuerat. Si poſtea ageret idem Titius de pecunia quam ſibi debitam dixerat à Semproniis in eadem epiſtola, æque deberet vel andiri, vel non audiri, quam ſi adverſus eoſdem Sempronios ex cauſa depoſiti ſecum agentes replicaret. Nam ex ea ſcriptura privata Titii, aut obligatio ei acquiſita eſt, aut non acquiſita. Si acquiſita eſt, æque agere poteſt petendo quod ſibi ex ea deberi ſcripſit, quam replicando. Si non acquiſita eſt, ac nulla ipſi adverſus Sempronios nata eſt obligatio, ubi agere ad petendum non poterit, ſane nec replicandi locus erit. Quod igitur reſpondet Paulus, iudicem æſtimaturum an Titius

tius quoque, qui deberi ſibi cavit in eadem epiſtola decem, probare poſſit hoc quod ſcripſit, tam actionẽ quam replicationem reſpicit. Quæ enim in hoc differentia actionis & replicationis? Iure certe quod olim obtinuit, ex eo quod quis deberi ſibi privata adnotatione ſcripſiſſet, non ſolũ agere ad petandum id in iudicio potuit, ſed etiã adverſus agentes & ex alia cauſa deſitum repoſcentes replicare. Multis autem locis nec ſemel vitiatã eam eſſe legẽ poſſim probare, ſed non ea parte qua putavit Advocatus. Ex reſponſo Pauli patet, Titiũ decẽ ſibi tantum in ea epiſtola deberi à Sẽproniis caviſſe. Sic enim ſcribit: *An autem is quoq; qui deberi ſibi cavit in ea epiſtola decem, probare poſſit hoc quod ſcripſit, iudicem æſtimaturũ.* At ex verbis ipſis epiſtolę planũ eſt, non ſola decẽ Titiũ à Semproniis ſibi deberi ſcripſiſſe, ſed triginta. Ita enim in ea ſcriptũ habetur: *Ex quibus debetis mihi decem, quos apud Titium depoſuiſtis. Item quos Trophimati decem. Item ex ratione patris noſtri decem, & quod excurrit.* Iſta fiunt triginta. Cur igitur Paulus in ſuo reſponſo, decem tantum meminit? Deinde illa mihi videntur abſurda & aliena, quod ſcribit in ea epiſtola Titius, ſibi deberi decem à Semproniis, quos apud

Ti-

Titium depoſuerant. Oportet hunc alium Titium fuiſſe ab eo qui epiſtolam ſcripſerat. Scio quaidem, ficta hæc fuiſſe nomina Titii ac Sempronii, quibus Iuriſconſulti utebantur. Epiſtola tamen ipſa vera fuit, & vere ſcripta, quamvis propriis nominibus eorum, à quibus & ad quos erat ſcripta, abſtinuerit Iuriſconſultus, ſuppoſitis in eorum locum aliis, quæ ita nominum veritatem diſſimulabant, ut rei ipſius & epiſtolæ contextum ſicut conceptus fuerat exprimerent. Cum igitur ad manum haberet nomina quibus rem poſſet variare Iuriſconſultus, non bis poſuiſſet nomen Titii, quo ipſa redditur obſcura narratio. Titius ad Sempronios ſcribit epiſtolam, in qua dicit ſibi deberi decem, quos Sempronii apud Titium depoſuerunt. Deinde & illa non videntur ſana, quæ ſubiecta ſunt: *Item quos Trophimati decem.* Non videtur fictum hoc nomen. Ipſa autem loquutio non ſatis recta eſt. Dixit enim, *decem quos apud Titium depoſuiſſet*, & ſubiungit, *item quos Trophimati decem.* Nam debuit dicere, *item quos apud Trophimatem decem.* Vix Latinum quippe videtur, *deponere alicui*, pro, apud aliquem. Adeo autem manifeſte mendoſa ſunt, quæ

quæ in eadem epiſtola leguntur, ut nemo niſi prorſum cæcus aut ſtultus id negare poſſit: *Habere me à vobis auri pondo plus minus decem, & ſcyphos duos, ſaccum ſignatum. Ex quibus debetis mihi decem, quos apud Titium depoſuiſtis.* Ait Titius in ea epiſtola ad Sempronios, habere ſe ab iis decem auri pondo, diſcos duos, & ſaccum ſignatum, ex quibus decem ſibi deberi quos apud Titium depoſuerant Sempronii. Quomodo hoc poteſt procedere aut conſtare, ut ex illis decem auri pondo, duobus diſcis, & ſacco ſignato, quæ omnia ſe habere à Semproniis fatetur, decem ſibi ab iiſdem deberi affirmet? Non enim ex illis depoſitis apud ſe à Semproniis ſpeciebus, decem ſibi deberi potuit dicere, cum in pecunia numerata hæc eſſent quæ ſibi à Semproniis debebantur, illa autem alterius generis, auri pondo, & diſci, & ſaccus ſignatus. Præterea illos decem nummos quos ſibi deberi à Semproniis dicit, apud Titium depoſitos fuiſſe ab iiſdem Semproniis ſcribit. Non igitur ex illis fuerunt quæ apud ſe depoſita ibidem memorat. Hæc omnia interpolata fuiſſe apparet, & ex libris mendoſis à Triboniano deſcripta, quæ nullo modo ſibi cohærent,

hærent, nec conſtant. Ex reſponſo Pauli ad eam epiſtolam ſuper qua conſultus fuerat, apparet, duo tantum in illa epiſtola ad Sempronios propoſuiſſe Titiú. Primo loco de rebus quibuſdam apud ſe depoſitis faſſum eſſe. Illa fuere decem auri pondo plus minus, duo diſci, & ſaccus ſignatus. Secundo à Semproniis ſibi deberi decem. Quæſitum igitur ex Paulo fuit, non de rebus depoſitis quas fatebatur penes ſe eſſe Titius, ſed de pecunia quam ſibi deberi intendebat, an obligatio inde Titio nata eſſet adverſus Sempronios propter epiſtolæ eius verba quibus decem ſibi deberi adſcripſiſſet. Ita igitur concepta videtur ab initio fuiſſe epiſtola. *Titius Semproniis ſalutem: Habere me à vobis fateor auri pondo plus minus decem, diſcos duos, & ſaccum ſignatum. Vos autem mihi debetis decem, ex ratione patris veſtri, & quod excurrit.* Reliqua videntur intruſa ex alia epiſtola, vel chirographo, quod apud Paulum ſub eodem titulo extabat propoſitum. Hæc non vidit Advocatus. Quid enim videret, qui in his quæ non ſunt, nec fuerunt, perſpicax ſatis eſt, in illis, quæ apparent, & in oculos incurrunt, haud magis ſapit ac ſentit, quam ſi penitus

nitus eſſet. τυφλὸς, τά τ' ὄμματα, τόν τε νοῦν.

CAP. XXX.

An ſuper falſis teſtibus, ut ſuper falſis teſtimoniis, dicta ſententia nulla ſit, aut reſcindi poſſit. De differentia teſtium, & teſtimoniorum. Teſtimonia proprie dicta quæ per tabulas darentur. Græce dici μαρτυρίας. *Quid ſit teſtatio, & quot modis ſumatur, & quid differat à teſtimonio. Leges* I. *&* IX. *D. ad legem Corneliā de Falſis, correctæ, & explicatæ. Quid ſit Amteſtari: Quæ ſit* μαρτυρίας, τῆς ἐκμαρτυρίας, *&* διαμαρτυρίας *differentia. Quid ſit* πρόσκλησις. *Quomodo* μαρτύριον *&* μαρτυρία *differant. Teſtes facere, & teſtificari, quid ſignificent, & teſtationem facere.* Μαρτυροποιΐα, *&* μαρτυροποίημα. *Struere advocationē, & teſtimonia, an idem ſit, atque inſtruere litem advocatione & teſtibus. Obligatio innocentium. Repudiata Advocati coniectura. Multa alia ad ius Romanum, & Atticum, de teſtibus, pertinentia, hoc capite explicata. Denuntiare teſtimonium ac remittere.*

HActenus evolutis omnibus fermè paginis libri Obſervationum ac emendationum Advocati Pariſienſis, teſta-

teſtari vere poſſum; nihil me in eo inveniſſe niſi paſtoritia fiſtula dignum & cenſoria virgula notandum, excepta ſi forte una ut altera levicula emendatiuncula, id quod etiam reipſa oſtendi. Idem pariter facturus fui ſi per otium licuiſſet in libris eius duobus de auctoritate rerum iudicatarũ, qui eodem plane filo contexti ſunt, paremq; inſcitiam in rebus tractandis, & in legibus qua explicandis qua emendandis ineptiam & ἀσοχίαν ſimilem ubique præferunt. Materias quippe iam aliis pertractatas ſæpe tantum recoquit & exaggerat, ſi quid vero intactum aliis moliatur, & contra receptas ſententias diſputare aggrediatur, tam inſulſum in his ſe præbet & communis plerumque ſenſus expertẽ ut nihil plane ſapiat ubi maxime præter alios ſe ſapere putat. Verũ ne quis odio aut livore me adductũ, cuius utriuſque cauſę procul abſũt, hęc me obiectare cẽſeat, aut vanitate potius quã veritate impulſum iſta cõfingere; cum tamen quę iam animadvertimus contrarium perſuadere idonea ſint; Ecce teſtẽ dabimus vel unicã eius obſervationem ex lib. I. de auctoritate Rerum Iudicatarum cap. VI. deſumptam, in qua de falſis teſtimoniis ac teſtationibus falſis agit, eorumq; differẽ-

tias explicare, legeſq; aliquot partim enarrare, partim corrigere conatur. Ex ea quaſi parte aliqua eius auriculę facile qualis ſit probavero, haud ſecus atq; ex unguiculis leo dignoſcitur. De re ipſa nihil nunc dicā de qua ibi diſputat. Nā unicuiq; licet improbare quod alius iam dixerit, ſi vel minuta aliqua ratione ſe duci ad diſſentiendum oſtendere queat. Ut ibi facit Advocatus, qui ſcribit ſententiam ſuper falſis inſtrumentis datam ipſo iure nullam eſſe conſtare, ſed de ſententia ſuper falſis teſtimoniis data non adeo rem eſſe promptam aſſerit. Et rationem hanc adfert, *quia probatio ſit difficilior*. Eam vero ineptam admodum ac frivolam eſſe puto. Sit ſane difficilis huius rei probatio. An propter probandi difficultatē quę aliquādo in ea re intervenit, ſi alias facile talis probatio poſſit impleri, non admittetur? Si quis enim convincat teſtes gratia vel odio impulſos falſum dixiſſe, nonne reſcindetur ſententia? Et recte Cuiacius reſcindi poſſe ait, & cauſam ex integro agi, quæ ex falſis teſtibus, etſi non corruptis pecunia, iudicata ſit. *Vereri ſe* dicit Advocatus, *ne generaliter hoc nimis & indiſtincte dictum ſit.* Nonne hoc eſt tricari, & cauſam diſſentiendi quærere ex nihilo?

hilo? Narrat deinde nobis ex Demoſthene quibus cauſis homines impellantur ad falſum teſtimonium dicendum; qui aut lucro id faciunt ob egeſtatem, ἢ κέρδεσι δι' ἀπορίαν ἐπαιρόμενοι: aut propter ſodalitatem, ἢ καὶ δι' ἑταιρείαν: aut odio eorum contra quos teſtimonium dicunt, ἢ καὶ δι' ἔχθραν τῶν ἀντιδίκων. Poſtquam hæc retulit, addit, *Si qui igitur ob earum cauſarum aliquam falſum teſtimonium dicunt, atque ex eo iudicatur contra ius, an ideo reſcindetur res iudicata aut habebitur nulla?* Hoc non, inquit, facile dixerim generaliter & indiſtincte, cum id nihil aliud ſit quam litem ex lite ſerere? Sed quæ illa eſt diſtinctio quam in his adhiberi vult? Si teſtes pecunia corrupti ſint, rem iudicatam quę teſtimonio eorũ ita fuerit definita reſcindi poſſe admittit, non vero reſcindendam ait, ſi ob aliquam ex illis tribus cauſis ab ipſo è Demoſthene allatis teſtimonium falſum dictum ſit. Atqui prima earum cauſarum eſt quæ pecunia corruptum teſtem ſignificat. Nam qui ob egeſtatem lucro ſe adduci patiuntur ad falſum teſtimonium dicendum, κέρδεσι δι' ἀπορίαν ἐπαιρόμενοι; an alii ſunt quam quos *pecunia corruptos* vocat lex XXXIII. D. de re iudicata? Certe non alii teſtes pe-

cunia vulgo corrumpi ſolent quam qui egeſtate & lucri cupiditate ad id impelluntur. Ut falſus teſtis habeatur, quid intereſt utrum pecunia corruptus falſum dixerit teſtimonium, an gratia adductus vel odio inductus, vel ſodalitate, & amicitia impulſus? An minus falſum eſt eius teſtimonium qui amicitiæ vel odio id dederit quam qui pecuniæ cupiditate idem fecerit? Conſpiratio quæ ad aliquem opprimendum per falſos teſtes initur, an admittet diſtinctionem ac differentiam teſtium, ut, ſi hoc vel illo genere conſpiratum ſit, gravius aut minus grave quod actum eſt habeatur, prout teſtes pecunia corrupti, aut gratia vel odio impulſi tantum, teſtimonia in necem innocentium perhibuerint? Falſa inſtrumenta in quibus teſtes ſignaverint conducti, magiſne hoc nomine falſa videri debebunt, ac cauſam ſententiæ ſuper his datæ reſcindendæ minorem præbebunt, quam ſi qui in amici gratiam aut inimici odium falſa ſigna iis impoſuerint? Quid de falſis teſtationibus dicendū? An in iſtis etiam teſtium diſcrimen recipiemus ad cauſam de integro audiendam, aut præſcriptione rei iudicatæ ab novo iudicio reiiciendam? Iam ex iſtis concludimus adverſus Advocatum, non dari

dari debere diſcrimen inter ſententiam latam ſuper falſis inſtrumentis, & ſuper falſis teſtimoniis, quantum ad eius reſciſſionem attinet. Quod & titulus codicis indicat, *ſi ex falſis inſtrumentis vel teſtimoniis iudicatum ſit.* Idem quippe ſervari debere oſtendit Iuſtinianus, ſi ex falſis teſtimoniis judicatum ſit, quam ſi ex falſis inſtrumentis. Nec obſtat quod nullus in eo titulo de teſtibus proprie textus eſt. Sane tam falſa inſtrumēta quam falſas teſtationes, falſi teſtes præſtant. Aeq; quippe falſi crimine tenetur teſtis, & eidem pœnæ legis Corneliæ habetur obnoxius, qui falſam teſtationem, inſtrumentum aut teſtamentum ſignaverit, quam qui falſum teſtimonium dixerit. Quæ igitur ratio diverſitatis, ut ſententia lata ſuper falſis inſtrumentis ipſo iure nulla ſit, ſuper falſis autem teſtibus data, reſcindi non debeat, nec de novo diſceptari? Si aliqua ponenda eſſet in his diſtinctio, non eas huius rei rationes afferrem quas propoſuit Advocatus, de *probatione difficiliore* contra teſtes, aut quod id eſſet *litem ex lite ſerere*, quæ indigna ſunt Iuriſconſulto & exercitato in cauſis agendis Advocato. Dicerem, Iuriſprudentiam Romanam plus fidei & auctoritatis ad

probationem faciendam repoſuiſſe in teſtibus qui præſentes interrogarentur, quam in teſtimoniis quæ ex libello recitabâtur. Ideo facilius admiſiſſe rei iudicatæ ſuper falſis teſtimoniis reſciſſionẽ, quam ſententiæ ex falſis teſtibus datæ, quia iudicis religioni magis imponi poſſet per falſa teſtimonia quam per falſos teſtes. Et ſane in titulo Codicis, *Si ex falſis inſtrumentis vel teſtimoniis iudicatum erit*, vox illa *teſtimonia* de teſtibus intelligenda non eſt, nec de his probationibus quæ ex præſentibus teſtibus incoram interrogatis petuntur, ſed de tabulis teſtimoniorum ſcriptorum, quæ & ipſæ *inſtrumentorum* appellatione continentur. Perperam igitur ex eo titulo colligunt viri docti iuris Romani periti, ſi quis probet, teſtes gratia vel odio impulſos falſum dixiſſe, reſcindi iudicium debere. Ut id verũ eſſe demus, non tamen poteſt ex eo titulo id argui, in quo nulla fit mentio teſtium, ſed *teſtimoniorum*, quæ ſunt inſtrumenta ſive *teſtationes* tabulis conſcriptæ & à pluribus teſtibus ſignatæ, ut infra dicam pluribus. Lex III, inquit Advocatus, quæ ſola, eo pertinere videtur, id eſt, ad teſtes, de teſtatione, non de teſtibus agit. Immo *teſtatio* in ea lege pro inſtrumento poni-

ponitur teſtium ſignis firmato & cōmunito, vel pro teſtimonio per tabulas dato. Nā quæ *falſa teſtatio* appellatur in principio legis, in fine *inſtrumentū* dicitur: *Falſam quidē teſtationē qua diverſa pars in iudicio adverſus te uſa eſt, ut proponis, ſolito more arguere non probibeais, ſed cauſa iudicati in irritum non devocatur, niſi probare poteris, eum qui iudicaverit, ſecutum inſtrumenti fidem quod falſum eſſe conſtiterit, adverſus te pronuntiaſſe.* Ex quibus verbis omnino conſtat, *falſam teſtationem & ſalſum inſtrumentum* in ea conſtitutione pro eodem poni. Ridicula igitur Advocati notatio, qui inter *teſtationem* & *teſtes* ex eo loco obſervat, olim largam extitiſſe differentiam. Sane tanta eſt quanta ſolet eſſe inter inſtrumentum ipſum ac teſtes qui ſubſcripſere: inter tabulas teſtationis & teſtium ſigna. *Teſtatio* ſcriptura eſt teſtibus communita, teſtes homines qui eam ſignis ſuis ac ſubſcriptionibus communierunt. Hinc *teſtatio* leg. VII. D. de ſponſalibus, pro inſtrumento ſponſalium; *In ſponſalibus nibil intereſt utrū teſtatio interponatur an aliquis ſine ſcriptura ſpōdeat.* Alibi paſſim in iure *teſtatio* inſtrumentum eſt teſtium ſignis firmatū. Omnes tabulæ probationum, etiamque alicnius contractus ſcripturam conti-

nebant, quæque adhibitis teſtibus ſignabantur ut ex his probatio eius quod geſtum eſſet conſtaret, *teſtationis* nomine veniebant, & *teſtatio* omnino idem quod inſtrumentum teſtibus ſignatum. Paulus lib. v. Receptarum ſententiarum Tit. xxv. ad legem Corneliam Teſtamentariam, *Lege*, inquit, *Cornelia Teſtamentaria tenetur qui teſtamentum quodve aliud inſtrumentum falſum ſciens dolo malo ſcripſerit, &c.* Paulo poſt *teſtationes* pro quibuſlibet inſtrumentis contractuum, & aliis tabulis ad fidẽ cuiuſcunq; faciendã ſcripturis teſtiũ ſigillo firmatis appellavit: *Qui rationes, acta, libellos, album propoſitum, teſtationes, cautiones, chirographa, epiſtolas, ſciens dolo malo in fraudem alicuius deleverit, mutaverint, ſubiecerit, ſubſcripſerit.* Hæc cum ita ſint, an mirum eſt, ſi teſtatio & teſtis differant? Sed mirum quod adiicit Advocatus, *teſtationem* iure Romano eſſe quæ μαρτυρία iure Attico, quia aliud, inquit, erat μαρτυρία, aliud μάρτυρες. Ita ſane eſt, ut aliud teſtimonium eſt, aliud teſtis. Nam teſtis eſt qui dicit, teſtimonium quod dicitur. At falſum eſt quod ait, iure Attico μαρτυρίαν idem eſſe quod Romano *teſtationem*, illo præcipue loco quem ibi explicat legis III. Cod. Si ex falſis inſtrumentis,
cum

cum *teſtatio* in ea ſit eadem cum inſtrumento, pluribus teſtibus ſignato. An μαρτυρίαν Attici eo ſenſu uſurparunt? Nunquam ſane id nos docuerit, quantumlibet iuris Attici peritus, immo vel tantum, quantum ipſe ſe putat. Teſte ipſo convincam eum, non ita eſſe. Ait, *Teſtationem fuiſſe complurium abſentium teſtimonium tabulis comprehenſum & eorum ſigillis munitum.* Μαρτυρία Græcis vel Atticis hoc non ſignificat, ſed unius tantum homonis teſtimonium ſcripto comprehenſum, quod in iudicio è tabella recitabatur. Cum una recitabatur, dicebatur μαρτυρία. Si plures erant legendæ, μαρτυρίαι vocabantur. Ut apud Demoſthenem in ea περὶ παραπρεσβείας, Λέγε δὴ τὴν μαρτυρίαν Ἀπολλοφάνους. *Recita teſtimonium Apollophanis.* Ea μαρτυρία non eſt *teſtatio*, quia ut definitur ab Advocato, complurium eſt teſtimonium. Si plures ſeparatim eſſent legendæ in iudicio μαρτυρίαι, ita dicebatur ab oratore, qui eas producebat, Λέγε καὶ τὰς μαρτυρίας ταύτας. Neque iſtæ μαρτυρίαι teſtationes ſunt, ſed teſtimonia ſcripta è libello recitanda, unius teſtis ſingula Idem Demoſthenes in eadem Oratione, Ἀλλὰ καὶ τὰς μαρτυρίας μοι λέγε πρώτην ταυτασί. Non aliter latine has μαρτυρίας reddi

reddi liceat quam *teſtimonia*, quæ, ut dixi ſingula ſingulorum ſunt teſtium, non, *ut teſtatio*, plurium. Apuleius in Apologia: *Cur autem teſtimonium ex libello legiſtis?* Id eſt, *μαρτυρίαν*. Rogat cur teſtimonium illius de quo ibi agitur, recitatum ſit ex libello, cum ipſe in urbe adeſſet, qui poſſet ac deberet præſens in iudicio interrogari. *Teſtimonia* eodem ſenſu in Hadriani reſcripto ad Iunium Rufinum proconſulem Macedoniæ accipi debent, quo Imperator ille *teſtibus ſe, non teſtimoniis, crediturum* profeſſus eſt, ut eſt in leg. III. D. de Teſtibus. In ipſa Epiſtola Hadriani hæc verba habentur, *Nec teſtes producebat, ſed teſtimoniis uti volebat, quibus apud me locus non eſt. Nam ipſos interrogare ſoleo.* Idem princeps ibidem reſcripſiſſe dicitur Gabinio Maximo: *Alia eſt auctoritas præſentium teſtium, alia teſtimoniorum quæ recitari ſolent.* Hæc *teſtimonia* ſingularium fuere teſtium, non plurium, ut teſtationes. Sic *teſtimonia* etiam ac *teſtes* ab eodem prorſus diſtinguuntur leg. I. D. de Teſtibus, *Teſtimonium uſus frequens, ac neceſſarius eſt, & ab his præcipue exigendus quorum fides non vacillat. Adhiberi quoque teſtes poſſunt non ſolum in criminalibus cauſis, ſed etiam in pecuniariis litibus, ſicubi res poſtulat.*

Ita

Ita *teſtes* plane à *teſtimoniis* ſeparat, ut Græci μάρτυρας & μαρτυρίας. Ergo μαρτυρίαι *teſtimonia* ſunt ſingulorum teſtium in tabella ſcripta & in iudicio recitanda. Nec aliter *teſtimonia* in illa lege Arcadii Chariſii prima intelligenda ſunt, quã de ſcripto conſignatis. Ita etiam hæc vox accipitur leg. 1. D. de fide inſtrumentorum. ubi ſcribitur, *tam teſtimonia, quam perſonas, inſtrumentorũ loco haberi*. Nec enim ibi *teſtimonia* pro teſtibus ſumi poſſunt, cum & teſtes perſonæ ſint. Sed *teſtimonia* ibi dici liquet in tabulis conſcripta; quæ à teſtibus diſtinguuntur. Ergo & in titulo Codicis, Si ex falſis inſtrumẽtis vel teſtimoniis iudicatum ſit, *teſtimonia* non pro teſtibus accipienda ſunt, ſed pro tabulis quibus teſtimonium ſcripto datum eſt, quæ & ipſa inſtrumentorum nomine continentur. Ideo certe toto illo titulo nihil de teſtibus legitur. Nam *teſtatio* quæ nominatur in leg. 111, quæque etiam *inſtrumenti* nomine ibidem appellatur, ad ea *teſtimonia* pertinet quorum in eo titlo extat mentio. Falſiſſimum igitur quod notavit Advocatus, *teſtationem* iure Romano eſſe μαρτυρίαν iure Attico, cum μαρτυρία Atticorum Grecorumque, & *teſtatio* Latinorũ, quo ſenſu in ea lege accipitur,

in

in tantum differant, quanta eſt differentia inter inſtrumentum pluribus teſtibus ſubſcriptum & ſignatum, & unius teſtis in libello ſcriptum teſtimonium. Hoc *μαρτυρία* Atticis, illud *teſtatio* Latinis. Ut ergo Latinis *teſtes* & *teſtimonia* aliud ſunt, ita Græcis *μάρτυρες* & *μαρτυρίαι*. Ulpianus in Demoſthenis orationem *περὶ παραπρεσβείας*, *πολλὴ δὲ*, inquit, *διαφορὰ μαρτυρίας καὶ μάρτυρος. ὁ μὲν γὰρ μάρτυς αὐτοπροσώπως εἰσιὼν ἐμαρτύρει, καὶ οὐχ ἦν ὑπόδικος. ὁ μέντοιγε μαρτυρίαν συγγραψάμενος ἐδίδου ἑαυτὸν ὑπεύθυνον τῷ καταμαρτυρηθέντι καὶ εἰς τὸν μετὰ ταῦτα χρόνον.* *Longa eſt differentia inter teſtem & teſtimoniorum. Teſtis enim in os & coram iudicibus teſtimonium dicebat, & non tenebatur falſi teſtimonii pœna. Qui vero ſuum teſtimonium in libello inſcribebat, ſemet ipſum obnoxium ei faciebat in quem teſtimonium tulerat, non eo ſolum tempore, ſed in poſterum, poteratque ab eo falſi teſtimonii poſtulari.* Ex quibus conſtat, *μαρτυρίαν* ſcripto mandari ſolitam, & in iudicio recitari, cum diceret orator qui ea utebatur, *Λέγε τὴν μαρτυρίαν ταύτην. Recita hoc teſtimonium.* Qui vero teſtes producebat coram in iudicio interrogandos, ſolebat dicere, *Κάλει τοὺς μάρτυρας, Teſtes vocato.* Iuris Attici, quantum ad teſtes teſti-

teſtimoniave attinet, *μάρτυρας* & *μαρτυρίας*, magna à Romano iure differentia, quod Romani *teſtium* maiorem eſſe auctoritatem putabant quam *teſtimoniorum*, *μαρτύρων* quam *μαρτυριῶν*, Græci contra magis credebant teſtimoniis quam teſtibus. Immo lex iubebat apud Græcos ἐν γραμματείῳ μαρτυρεῖν, in tabellis teſtimonium præbere. Ideo & eorum, qui in urbe conſiſtebant, teſtimonia de his rebus quas ipſi vidiſſent & quibus interfuiſſent, ſcripta expetebantur. Vnde & apud Demoſthenem, Λέγε δὴ τὴν μαρτυρίαν τὴν Ἀπολλοφάνους, εἶτα τὴν τῶν ἄλλων παρόντων. *Recita teſtimonium Apollophanis, deinde & aliorũ præſentium.* An παρόντας ibi vocat non in iudicio præſentes teſtes, quorum teſtimonia non recitabantur, cum ipſi coram interrogarentur, ſed qui in urbe aderant? Ideo hanc diſtinctionem ponebant inter μαρτυρίαν & ἐκμαρτυρίαν, quod hæc eſſet τῶν ἀπόντων teſtimonium, id eſt, peregre abſentium, illa civium in urbe conſiſtentiũ. Aliter παρόντας ibi debere accipi infra dicã. Quanto autẽ pluris fierent teſtimonia ſcripto conſignata apud Græcos, quã ore præſentium teſtium prolata, ipſe Demoſthenes in eadem oratione oſtendit: Καὶ ταῦτα, ὅτι ἀληθῆ λέγω, πρὸ τούτων μὲν αὐτὸς ἐγὼ συγγρα-

συγγραψάμενος καὶ καταστήσας ἐμαυτὸν ὑπόδικον μαρτυρήσω. *Et quod iſta vere à me dicantur primum ego de ea re teſtimonium ſcripto dabo, & memet ipſum iudicio, ſi falſum dixero, obnoxium conſtituam.* Hæc igitur ratio poteſt afferri, cur maior fides haberetur apud Atticos teſtimoniis, id eſt, μαρτυρίαις, quam teſtibus, quod teſtes non ſolerant falſi teſtimonii pœna teneri, quam incurrebant qui teſtimonium in libello ſive tabella tuliſſent. Alioquin apud Græcos æque atque Romanos teſtes iurati teſtimonium perhibebant. Soli Xenocrati Athenienſes hoc honoris habuerunt, ut gratiam iurandi facerent in teſtimonium producto, & iniurato crederent. Quintilianus oſtendit, à multis diſputari ſolitum, utrum plus teſtibus quam teſtimoniis eſſet credendum. Ita enim ſcribit, lib. v. cap. VII. *Sæpe inter ſe colli di ſolent, inde teſtatio, hinc teſtes. Locus utrimque. Hæc enim ſe pars iureiurando, illa conſenſu ſignantium tuetur.* In his Quintiliani verbis *teſtationem* accepit Advocatus pro plurium abſentium teſtimonio tabulis comprehenſo & eorum ſigillis munito. Sed omnino fallitur. *Teſtatio* cuius mentio leg. III. Cod. Si ex falſis inſtrumentis, pro inſtrumento ponitur à pluri-

pluribus teſtibus ſignato ad fidem faciendam. Et hanc *teſtationem* dixit eamdem eſſe cum Atticorum *μαρτυρία*. Deinde loco Quintiliani prolato *teſtationem* in eius verbis iam citatis eadem ſignificatione ſumi putat qua in illa lege 111. ſumitur. In quo mirifice hallucinatus eſt. Tractavit eo capite & libro Inſtitutionum Quintilianus de Teſtibus, quia maximus patronis circa teſtimonia ſudor eſſet. *Teſtimonia* autem eo loco dici ſcribit *aut per tabulas, aut à præſentibus*. Quæ per tabulas dicebantur, ea ſunt proprie quæ Græcis *μαρτυρίαι* appellantur, cum lex iuberet *ἐν γραμματείῳ μαρτυρεῖν, per tabulas teſtimonium dare*. Ergo in fine illius capitis cum teſtationē ac teſtes inter ſe collidi dixit, per *teſtationem* intellexit teſtimonii per tabulas ferendi rationem. Quod autem ait, iſtam partem ſe ſignantium conſenſu tueri, noli putare, *teſtationem* ibi à Quintiliano dici inſtrumentum à pluribus teſtibus fidei faciendæ cauſa communitum, ut accipitur leg. 111. Cod. Si ex falſis inſtrumentis. Toto eo capite rhetorum ſui temporis primus de teſtimoniis agit utriuſque generis, tam quæ per tabulas dātur, quam à præſentibus dicuntur. Non aliud genus teſtimoniorum

inter

inter utrumque medium de quo oratori ſit tractandum. In ea tractatione inter ſe ea duo genera collidi ait utrum ſit præſtantius ad fidem faciendam, nimirum illud quod conſignatur an quod dicitur. Pro illo *teſtationem* dixit, pro iſto *teſtes*? Nam teſtes ſunt qui teſtimonium præſentes dicunt, id eſt, αὐτοπροσωποῦντας, ut loquuntur Græci. *Teſtimonii* igitur appellatio generalis eſt ad utrumque genus pertinens. Sic enim ait, *Teſtimonia dicuntur aut per tabulas, aut à præſentibus.* Quæ dicuntur per tabulas, Græcis proprie μαρτυρίαι ſunt, quæ à præſentibus, μαρτύρια. Hæc latinis nomine generis *teſtimonia* etiam ſæpe appellantur, illa vero *teſtationes*. Ita ergo Quintilianus ea voce uſus eſt, ut *teſtationē* vocaverit quæ Græcis eſt μαρτυρία, teſtimonium nēpe tabulis conſignatum. Nec obſtat quod ait in illa *ſignatorum conſenſum* reperiri. Non enim propterea inſtrumētum pluribus teſtibus ſignatum intelligi ea voce debet, ſed teſtimoniū unius per tabulas latū. Quippe teſtis per tabulas obſignatas ita teſtimoniū dabat, ut à pluribus etiā teſtibus ſignarētur, qui cōfirmarēt eius eſſe teſtimoniū. An apud Græcos idē obſervabātur. Vnde συγγράψαντας μαρτυρίας dixerit Demoſthenes, à quo verbo nomē

συγγραφὴ,

συγγραφῆς; quæ tabulæ ſunt à pluribus ſubſcriptæ ac ſignatæ. Inde etiam *conſignata* eiuſmodi *teſtimonia* Vlpiano dicuntur apud auctorem Collationis legum Moſaicarum cum Romanis. Ac *conſignatū* id dicitur quod à pluribus ſignatum eſt. Sed Græcis aliud moris, ut infra dicam. Quintilianus eo loci diſerte teſtatur teſtimonia in tabulis obſignatis perſcipta fuiſſe, quas plures teſtes ſubſcripſiſſent. *Simplicior*, inquit, *contra tabulas pugna. Nam & minus obſtitiſſe videtur pudor inter paucos ſignatores, & pro diffidentia premitur abſentia. Si reprehenſionem non capit ipſa perſona, infamare ſignatores licet. Tacita præterea quadam ſignificatione refragatur his omnibus, quod nemo per tabulas dat teſtimonium niſi ſua voluntate quo ipſo non eſſe amicum ei ſe contra quem dicit, fatetur.* His verbis perſona una proponitur quæ teſtimonium per tabulas dabat. Tabulas illas à paucis ſignatoribus etiam ſubſcriptas & ſignatas fuiſſe perſpicuum, præter eum qui per illas teſtimonium perhibet. Modi etiam à Quintiliano oſtenduntur quibus eæ tabulæ impugnari poſſunt, aut ipſam perſonam eius qui teſtimonium per eas dedit impetendo, aut ſignatores qui teſtimonium illius ſubſcripſerunt. Contra per-

ſonam ipſam dicitur quod falſum dicturo non obſtiterit pudor inter paucos ſignatores quos adhibuerit teſtes, cum hanc ſuam teſtationem ſcriberet, ac tabulis mandaret. Et præterea quod abſens, non veritus ſit falſum dicere quod præſens non auſus eſſet coram iudice in ipſo iudicio proferre. Si perſona eius qui teſtimonium tabulis dedit, non capit talem reprehenſionem, *infamare*, inquit, *ſignatores licet*. Id eſt, eos qui adfuerunt ſcribendo teſtimonio, quique illud ſubſcripſerunt ac ſignarunt. In ſumma, totum iſtud genus teſtimonii per tabulas dati, poſſe ait tacita ſignificatione elevari ac reiici, quod nemo per tabulas dat teſtimonium niſi ſua voluntate, quo ipſo ſe non eſſe amicum ei contra quem dicit oſtendit. Ecce iam tenemus morem teſtandi, ſive teſtimonii dandi per tabulas, quæ & ipſæ ab aliquot teſtibus obſignari debebant, qui fidem facerent, hoc eius eſſe ſcriptum qui teſtimonium illud tabulis conſignatum dedit. Hæc igitur ipſa eſt *teſtatio* cuius in eodem capite mentionem idem auctor fecit, quam dixit *conſenſu ſignantium* ſe tueri. *Teſtatio* etiam dicitur leg. 11. D. de teſtibus. ubi Modeſtinus ait, in teſtimoniis dignita-

gnitatem, fidem, mores, gravitatē examinandam eſſe, & per *teſtimonia* ibi intelligi debent quæ tabulis dabantur & conſignabantur, ut ſupra vulgo eam vocem ſumi ſolere in iure oſtendimus. Nam & ſubiicit: *Et ideo teſtes qui adverſus fidem ſuæ teſtationis vacillant audiendi non ſunt.* Hic *teſtatio* ſane Græcorum eſt μαρτυρία, teſtimonium nempe per tabulas dictum, ἐν γραμματείῳ, ut Attici loquebantur, γεγραμμένον. De hoc ipſo genere etiam debere accipi cenſeo quod Venuleius ſcripſit leg. XXII. D. de teſtibus, *Curent magiſtratus cuiuſque loci teſtari volentibus, & ſe ipſos & alios teſtes vel ſignatores præbere, quo facilius negotia explicentur, & probatio rerum ſalva ſit.* Hæc enim illius legis ſententia eſt, magiſtratus cuiuſque loci curare debere, ut qui teſtari volunt, id eſt, qui teſtimonium per tabulas dare, non ſolum ſemetipſos præbeant teſtes, ſed etiam alios ſignatores adhibeant, qui confirment ſcilicet hoc illius eſſe teſtimonium, & hanc *teſtationem.* Non enim ea mens eſt Venuleii illorum verborum quam Advocatus ſibi eſſe fingit, nempe ſi qui fortaſſe alicubi eſſent, qui teſtatione opus haberent, nec poſſent eos qui rem notam habebant ad teſtationem ſignan-

dam compellere, vel quod extranei eſſent, vel quod amicis deſtituti, & contra homines gratioſos teſtatio peteretur, ipſos magiſtratus curare, ut qui teſtimonium perhibere poterant eo defungerentur, ipſeque adeo magiſtratus, ſi rem notam habebat, aut ut rei geſtæ maior eſſet fides, teſtationes ſignaret. Hæc omnia ſunt hariolatoria, & prorſus à mente Iuriſconſulti aliena. Præterea inauditum eſt, ut magiſtratus ipſe eas ſignaverit unquam teſtationes de quibus hic agimus. Nec hoc voluit Veruleius. Gloſſæ veteres: *Μαρτυρία, teſtatum, teſtatio, teſtamentum.* De quo adhuc infra. *Teſtatio* igitur in hac ſignificatione eadem eſt omnino cum Græcorum *μαρτυρία*. Quod eſt teſtimonium in tabulis conſcriptum, tam ab eo qui tale teſtimonium perhibet ſubſcriptum & ſignatum, quam ab aliis teſtibus ac ſignatoribus, qui ſcribendo adfuere, ut de eo teſtimonio quod ſic daretur teſtes eſſent. Hæc tamen differentia extitit *teſtationis* ſic ſumptæ apud Latinos, & *μαρτυρίας* apud Græcos, quod iure Romano, non valebat unius teſtimonium quod ab ipſo ſolo ſignatum eſſet, niſi alii teſtes ac ſignatores interfuiſſent, qui & ipſi ſubſcriptione

ne & ſigillo ſuo id confirmarent. Legibus autem Græcorum tabulæ, ſive γραμματεῖον, quo quis teſtimonium ſuum ſcriptum conſignaſſet, nõ debuit, ut valeret, ab aliis teſtibus ſignari quam ab eo qui illud daret. Harmenopulus in promptuario Iuris, lib. I. Tit. VI. num. LXV, ex Romano legum libro, quod ipſe βιβλίον Ῥωμαϊκὸν appellat, hæc producit, ἐὰν τις ἑνὸς ἀνθρώπε κατάθεσιν ἐν ἑνὶ σφραγίσματι πεοφέρῃ, οὐκ ἔςι δεκτὴ ἡ τοιαύτη μαρτυρία. *Si quis unius hominis depoſitionem cum uno ſigillo proferat, non recipiendum tale teſtimonium.* Adnotant viri docti, *Suſpectum enim eſſe, quod teſtis depoſitionem ſigillo tenus afferat.* Ego neſcio quid voluerint, aut quid ſit ſigillo tenus depoſitionem teſtis afferre. Iure Romano teſtimonium à teſte ſcriptum validum non erat, niſi à pluribus teſtibus eſſent ſignatæ tabulæ per quas teſtimonium illud dabat. Iure Attico, & Græco, valebat. Hoc eſt quod in illo libro Romano legum, unde hæc hauſit Harmenopulus, dicebatur *unius depoſitio uno ſigillo munita.* Sic enim in Græcis legendum, ἑνὸς κατάθεσιν ἐν ἑνὶ σφραγίσματι. Proprie *depoſitio* vocabatur teſtatio in tabulis depoſita, & conſignata, ut Græce

 κα-

κατάθεσις. Hodie *depoſitionem* teſtis vocamus etiam teſtimonium ore prolatum. Teſtimonia cum ſic ſcriberentur, & ab aliis etiam teſtibus confirmarentur apud Romanos, minus tamen in illis fidei, & auctoritatis, ut iam dictum eſt reponebant, quam in teſtibus qui in propria perſona interrogarentur ac teſtimonium ore proferrent. Apud Atticos è contrario plus firmamenti in μαρτυρίαις, hoc eſt, teſtimoniis conſcriptis poſitum putabant, quamvis ab illo ſolo qui teſtimonium daret tabulæ ſignatæ eſſent, quam in teſtibus præſentibus. Cuius etiam rei hæc ratio videtur fuiſſe, quod lege iubebantur ex ſcripto teſtimonium perhibere, qui rem vidiſſent, ac interfuiſſent dum fieret, quodq; ipſi præſentes eſſe deberent dũ recitaretur, quod Romano Iure non erat conſtitutũ. Demoſthenes in ea cõtra Stephanũ de falſo teſtimonio altera: οἱ δέ γε νόμοι οὐ ταῦτα λέγουσιν, ἀλλ᾽ ἃ ἂν εἴδη τις καὶ οἷς ἂν παραγένηται πεπραγμένοις, ταῦτα μαρτυρεῖν κελεύουσιν ἐν γραμματείῳ γεγραμμένα. Hæc erat, ut dixi, proprie μαρτυρία. Latinis nomine generali *teſtimonium*, ſpeciali *teſtatio.* Et hoc differt *teſtimonium* à *teſtatione*, quod *teſtimonium* tam ἔγγραφον, quam ἄγρα-

ἄγραφον μαρτύριον ſignificabat, *teſtatio* de ſolo ἐγγράφῳ accipiebatur. Plurimum tamen diſtat *teſtatio* à Græcorum μαρτυρία. Nam Atticis μαρτυρία ponitur tantum pro teſtimonio ἐγγράφῳ, at *teſtatio* Latinis etiam alia ſignificat, ut inſtrumentum contractus à teſtibus ſignatum. Sic ſcriptura pacti conventi de ſponſalibus facti *teſtatio* vocatur leg. VII. D. de ſponſalibus, ut iam ſupra diximus. *Pactum & conventum* Iuvenali dicitur:

Conventum tamen & pactum, & ſponſalia noſtra
Tempeſtate paras.

Quod inſtrumentum eſt dotale. Sic etiam vocatur leg. III. D. de concubinis, his verbis: *Alioquin ſi honeſtæ vitæ, & ingenuam mulierem in concubinatu habere maluerit, ſine teſtatione hoc manifeſtum faciente non conceditur, ſed neceſſe eſt, vel uxorem eam habere, vel hoc recuſantem, ſtuprum cum ea committere.* Vbi ſimiliter *teſtatio* ponitur pro pacto convento nuptiarum, vel inſtrumento nuptiatli. Omnio ſane inſtrumentum etiã contractus à teſtibus ſignatum pro teſtatione eſt quia fidem de eo facit, ac probationi ſerviti. In alia etiam ponitur ſignificatione, & pro

μαρτυροποιία accipitur ſive teſtificatione. Atque ita ſumitur leg. IX. D. ad legem Corneliã de falſis, in his verbis, quibus *pœna legis Corneliæ irrogari* dicitur *ei qui falſas teſtationes teſtimoniave falſa invicẽ dicenda dolo malo curaverit*. Non enim *teſtationem facere* is dicitur qui teſtimonium per tabulas dat. Sed & Ulpianus apud auctorem Collationis legũ Moſaicarum cum Romanis id genus *teſtimonii* quod ſcripto datur, diſtinguit ab illis *teſtationibus*. Sic enim ſcibit. *Item qui falſas teſtationes faciendas, teſtimoniave falſa invicem dicenda aut conſignanda, dolo malo curaverit.* Teſtimonia quæ conſignantur, ea ſunt quæ per tabulas dari ſupra ex Quintiliano oſtendimus, quæque etiam *teſtationum* nomine apud eumdem veniunt. Non tamen hic *teſtationes* accipi poſſunt pro inſtrumentis contractuũ, vel probationum quæ teſtibus corroborantur. Ergo *teſtationes* quæ fieri dicuntur, ſunt *μαρτυροποιίαι*, quibus teſtes fiunt præſentes, ad rem quam quis egit, vel acturus eſt, probandam, declarandam, vel denuntiandam. Hæc, propter quæ teſtâtiones fiunt, *teſtato* etiam *fieri* Latini dixere, ut in iure, *teſtato convenire*, *teſtato iubere*, *denuntiare*, id eſt, teſtibus adhibitis. Apuleius in Apo-

Apologia: *Quas tamen litteras, tabellario Pontiani præſente, & contraſcribente Aemyliano nudiustertius, tuo iuſſu, Maxime, teſtato deſcripſimus.* Sic legendus ille locus. *Teſtato*, id eſt, teſtatione facta vel teſtibus adhibitis. Nugatur igitur Advocatus, qui verbis illis legis IX. citatis addit, *aliud eſſe teſtationem facere, aliud teſtimonia dicere.* Sed eam differentiam non explicavit, niſi quod paulo ante dixit, ex illis quæ notavit, *apparere, differentiam fuiſſe inter teſtationem, & teſtimonia, cum teſtationes ab iniuratis fierent, teſtimonia à iuratis teſtibus dicerentur.* Sed ex his plane apparet, eum ignoraſſe quid eſſet *teſtationem facere*, in illa lege IX. Qui teſtationem facit, teſtes utique adhibet, & quidē ſi forte iuratos. At putavit Advocatus *teſtationē* facere idem eſſe quod Attici dicunt ἐν γραμματείῳ μαρτυρεῖν, & ex ſcripto teſtari. In quo eum fugit ratio. Nam *teſtationes faciendas*, in ea ipſa lege, ſicut integre relata eſt ab auctore Collationis, diſtinxit Vlpianus à *teſtimoniis conſignandis.* Ergo *teſtationes* ibi non ſunt μαρτυρίαι Atticorum, neque teſtimonia ſcripta Romanorum. Nemo etiam dixit unquam *teſtationem facere* pro ſcribere, vel pro *teſtimonium per tabulas dare*,

cum ſit id quod Greci dicunt μαρτυροποιεῖν, & μαρτύρεσθαι, vel διαμαρτύρεσθαι, ut infra docebimus. Nunc de iſta leg. IX. videamus, an uſquequaque ſincera ſit, ut in vulgatis concepta legitur, & an recte Advocatus eam qua explicarit, qua correxerit. Exſcripiſſe eam dicit Vlpianum ex capite legis Corneliæ quod ſcriptum extat leg. I. Cod. tit. his verbis ex Marciano, *Pœna legis Corneliæ irrogatur ei qui falſas teſtationes faciendas, teſtimoniave falſa inſpicienda, dolo malo coierit.* Primum falſum eſt, eam legem IX. Ab Vlpiano exſcriptam fuiſſe è capite illo legis Corneliæ, cum lex Cornelia de teſtamentis tantum falſis ſanxerit, non de teſtationibus aut teſtimoniis falſis. Ideo & *teſtamentaria* appellata eſt, & nunquam aliter eius mentio extat niſi cum adiuncto hoc nomine. Poſtea varia Senatuſconſulta facta ſunt, quibus pœna legis Corneliæ irrogata eſt, ei qui aliud quid quam teſtamentum falſum ſciens dolo malo ſignaſſet aut ſignari curaſſet, quod de quocunq; genere inſtrumentorũ falſorum videtur conſtitutũ S. C. facto Statilio & Tauro conſulibus, ut ſcribit idem Vlpianus in eadem collatione Tit. VIIII. de falſo teſtimonio. Hoc ipſum vero quod lex

hic

hic habet de falſis teſtationibus, & teſtimoniis falſis, non ex lege Cornelia Teſtamentaria, quæ de ſolis teſtamentis falſis caverat, deſcendit, ſed ex alio Senatuſconſulto, quod idem Vlpianus factum fuiſſe ſcribit Licinio v. & Tauro Coſſ. Varia alia Senatuſconſulta facta ſunt diverſis temporibus per quæ aliis generibus falſi pœna legis Corneliæ irrogata eſt. De quibus videndus idem Vlpianus in eo titulo Collationis, & Paulus lib. v. Receptarum ſententiarum Tit. xxv. ad legem Corneliã Teſtamentariam. Ipſa hæc loquendi ratio qua uſi ſunt illi Iuriſconſulti debuit Advocatum advertere, non eam pœnam ex lege ipſa Cornelia irrogatam fuiſſe falſis teſtationibus & teſtimoniis, cum dicant, *pœna legis Corneliæ irrogatur ei qui falſas teſtationes fecerit aut falſa teſtimonia dixerit.* Nam ſi ullum caput in lege Cornelia de ea ſcriptum extitiſſet, debuiſſet dicere: *Lex Cornelia pœnam irrogat ei qui teſtationes falſas faciendas curaverit deportationis*, aut quamcunque aliam. Sic Paulus apud auctorem Collationis, ex libro ad legem Corneliam de Sicariis; *Lex Cornelia pœnam deportationis infligit ei qui hominem occiderit, eiuſque rei cauſa facienda*

cum

cum telo fuerit. Lex ipſa Cornelia de ſicariis ac veneficis, hanc pœnam impoſuit eis qui hominem occidiſſent. At lex Cornelia Teſtamentaria de falſis, nullum caput habuit de falſis teſtimoniis aut teſtationibus, ut ipſe Paulus ſatis clare teſtatur his verbis, quæ leguntur in Collatione Moſaicarum & Romanarum legum, titulo quo ſupra: *Qui falſum*, inquit, *teſtimonium dixerit, proinde tenebitur, ac ſi lege Cornelia teſtamentaria damnatus eſſet.* Hoc eſt quod Vlpianus & alii dixere, pœnam legis Corneliæ irrogari ei qui teſtimonium falſum dixerit. Poſtremo ineptum eſt dicere, vel cogitare, Vlpianum caput illud legis Corneliæ, etiam ſi tale quid fuiſſet in lege Cornelia ſcriptum, ſumpſiſſe ex Marciano, ut dicit Advocatus cum ex ipſa potius lege Cornelia æque id fuerit exſcripturus, ut ipſe Marcianus. Non enim video, quomodo aliter verba Advocati poſſim accipere: *Exſcripſerat hæc Vlpianus ex capite legis Corneliæ, quod ſcriptum extat leg.* 1. *eodem titulo, his verbis, ex Marciano.* In illis autem verbis Marciani vulgo legitur, ſicut habent Pandectæ Florentinæ: *Qui falſas teſtationes faciendas teſtimoniave falſa inſpicienda dolo malo coiecerit.* Advocatus ita ſcri-

ſcriptum ibi fuiſſe aſſerit ex antiqua ſcribendi ratione, *coiecerit* pro *coierit*. Ego vero nec antiquam nec omnino Latinam puto fuiſſe eam ſcribendi rationem, qua ſcribatur *coiecit*, pro *coiit*, vel *coivit*. Aliud agebat aut cogitabat Advocatus cum illa ſcriberet. Præterea miror, eum non animadvertiſſe, vix Latinam hanc eſſe orationem. *Qui falſas teſtationes faciendas coierit*, pro qui ad falſas teſtationes faciendas coierit. Sic enim videtur ſcribere debuiſſe Iuriſconſultus, ſi Latine voluit. Idem tamen mendum leg. IX. ubi legitur ſimiliter; *Item qui falſas teſtationes faciendas teſtimoniave falſa invicem dicenda coierit*. Quod omnino mendoſum videtur, nec ullo modo Latinum. At recte apud eamdum Vlpianum habetur in Collatione legum Moſaicarum, titulo eodem: *Item ſi quis coierit ad occaſionem innocentium. Item qui ob ſtruendam Advocationem ſocietatem coierit*. Quod ſi dixiſſet, *ſi quis coierit occaſionem innocentium, aut ſtruendam Advocationem coierit*, barbare loquutus eſſet, non Romane. Nihil igitur videt, ſi quis non videt, pro illo *coiecerit* apud Marcianum ſcriptum olim fuiſſe *coeraverit*. Sic enim in eo Senatuſconſulto quo pœna legis Corneliæ inflicta eſt ei

ei qui teſtationes falſas faciendas curaſſet, ἀρχαϊκῶς ſcriptum fuiſſe videtur, *coeraverit* pro *curaverit*. Vt ut ſit, certe id verbi eo loco prorſus neceſſario reponi debet, ut & apud Vlpianum leg. IX. Tit. eodem. Idque plane confirmatur ipſis Vlpiani de eadem re verbis, ſicut ſincera ea leguntur in Collatione legum Moſaicarum, & Romanarum, titulo quo ſupra: *Item qui falſas teſtationes faciendas, teſtimoniave falſa invicem dicenda aut conſignanda, dolo malo curaverit.* Sed quid ſit apud Marcianum lege illa I. *teſtimoniave falſa inſpicienda*, non facile quem dictu-rum eſſe ait Advocatus. Mox ad ſolitas hariolationes decurrit, ut hoc expediat, & dicit, *inde factum eſſe*, ut quidam ex Vlpiani verbis pro *inſpicienda* ediderint *invicem dicenda*. Quod audacter nimis ab illis factum aſſerit, ſiquidem Baſilicorum compilatores *inſpicienda* legerant. Tandemque pronuntiat, *de lectione ipſa vix dubitari poſſe, de eius interpretatione plurimũ.* At ego aio, ſi dubitandum non eſt de lectione, ex eo conſequi ut ne dubitari quidem debeat de interpretatione. Sana & non dubia lectio ſanam & minime ambigendam præſtat expoſitionem. E contrario ſi interpretatio dubia ſit, non

poſſe

poſſe id accidere niſi ex vitio ſcripturæ quæ falſi ſuſpecta, non certam nec firmam de ſe dare poteſt ſententiam. Quid notius eſt ac certius verbi *inſpicere* notione? Si non poteſt hoc accipi in ea ſignificatione, ut certe non poteſt, ex eo ſuſpicio eſt, non recte hoc loco id verbi ſcriptum haberi, quandoquidem nullum ſenſum idoneum facere queat. Nam quid eſt, *falſa teſtimonia inſpicienda curare?* De *teſtamentis*, ut intellexere Baſilicorum interpretes, nullo modo poteſt intelligi. Nam lex ipſa Cornelia teſtamentaria de teſtamento cavit, ne quis falſum ſciens dolo malo ſcriberet, recitaret, ſubiiceret, ſupprimeret, amoveret, reſignaret, deleret, ut eſt apud Paulum lib. v. cap. xxv. At hic quæſtio eſt de ſolis teſtationibus & teſtimoniis falſis quibus pœnam legis Corneliæ teſtamentariæ irrogavit S. C. quod Vlpianus factum fuiſſe ſcribit Licinio quintum & Tauro Coſſ. Si *teſtamenta* eo loco legit pro *teſtimonia* collator legum Moſaicarum, ea *teſtamenta* pro teſtimoniis intelligenda ſunt, ut etiam Gloſſæ veteres interpretantur. Cum igitur *inſpicienda falſa teſtimonia* nullo ſenſu legantur, certum eſt, lectionem eam ibi ſtare non poſſe. Eam vero

ſede

ſede ſua maxime concutit & convellit ſcriptura quæ duobus locis ſcripta conſtanter extat apud Vlpianum, ubi de eadē omnino re agit, *teſtimoniave invicem dicencenda*. Sic enim legitur leg. IX. D. ad legem Corneliam teſtamentariam de falſis. Nec aliter in ſcriptis Vlpiani libris offendiſſe videtur Tribonianus, cum eos compilaret, & locum illum ſub titulum ſupraſcriptum referret. Auctor Collationis quem certa fides eſt antiquiorem fuiſſe Iuſtiniano, non aliam lectionem invenit in illis Vlpiani libris ex quibus hauſit quæ relata ſunt ſub titulū de falſo teſtimonio VIII. Citatur ibidem ſub titulo de pœna legis Corneliæ teſtamentariæ lib. VIII. Nullus liber Vlpiani hoc titulo recenſetur à Iuſtiniano in Indice auctorum Iuris ex quibus compoſuit Digeſtorum opus. Vnde colligunt viri docti, librum illum octavum qui citatur ab auctore Collationis, eū ipſum eſſe lib. VIII. de officio proconſulis, ex quo lex illa IX. deſumpta eſt, quam ſub titulo ad legem Corneliam digeſſit Iuſtinianus. Quod non mihi fit veriſimile, tametſi ſciam, mirifice à Iuſtiniano interpolata fuiſſe ſcripta Iuriſconſultorum veterum, quibus in ſua compilatione

uſus

uſus eſt. Sed magis tam verbis quam ſententiis diſcrepant illi duo loci Ulpiani quam ut videri queant ex eodem libro excerpti. Ipſa collatio differentiam prodet, & confirmabit id quod dico. Cum igitur in duobus diverſis locis eiuſdem auctoris de eadem re tractantis, eadem prorſus lectio olim reperta ſit, maximum inde argumentum duci poteſt, aut veram eam eſſe, aut vero proximam. Quid ſi *teſtimonia invicem dicenda* poſuerit Ulpianus pro de compacto dicenda invicem, cum duo nimirum ita compacti ſunt, ut alter pro altero cum uſus venerit eoque opus habuerit, teſtimonium falſum dicere paratus ſit? Nunc pro me falſum teſtimonium in hac cauſa perhibeto, ego viciſſim cum res & uſus poſtulabit pro te teſtimonium dicam. Hoc eſſet igitur quod dixerit Ulpianus, *teſtimoniave invicē dicenda*. Pro eo Marcianus ſcripſerit ergo, *teſtimoniave falſa inſpicienda*? Sed quid hoc eſt? Immo ille fortaſſe poſuerit, *teſtimoniave falſa depeciſcenda*. Quod Ulpianus interpretatus ſit, *invicem dicenda*. Ipſo Vlpiano interprete *depectus* is dicebatur qui turpiter pactus erat; ac tenebatur edicto de calumniatoribus, leg. III. π. II. D. eodem.

Hoc edicto tenetur etiam is qui depectus eſt. Depectus autem dicitur turpiter pactus. Hoc verbum etiam apud optimos auctores ſæpe occurrit, *depeciſci*, ut apud Terentium, *iam depeciſci morte cupio.* Apud Ciceronem non raro ſic ponitur. Apuleio de Apologia *depectores litium.* Non mira autem nec nova corruptela factum eſt ab imperitis *inſpicienda* pro *depeciſcenda.* Sic apud Apuleium in Apologia legunt omnes ſcripti codices: *Confiteor enim id quod mihi obiectum eſt, eum poſtquam uxorem duxerit, à conſpecti fide deſciviſſe.* Pro quo cerrum eſt legi debere, *à compecti fide deſciviſſe.* Compectum idem quod compactum, συνδυασμός. Vnde *compactum facere* in Gloſſis, συνδυάζειν. Paciſci autem non tantum ſignificat pactum facere ut aliquid accipiatur, ſed etiam ut detur. Nam & qui dare promittit, paciſcitur. Vt apud Virgilium, *mortemque volunt pro laude paciſci*, id eſt, mortem ſuam ex pacto dare vel mori, ut gloriam & laudem recipiant. Immo in dando & accipiendo pacta conſiſtunt. Sic enim fiunt, ut aliud pro alio detur, ut qui paciſcitur mortem pro laude. Ita ergo *depeciſcitur* teſtimonium falſum qui pro alio dicere paciſcitur, ut invicem ille pro ſe

ſe dicat. Inde apud Cæſarem aliquot locis *pacturas* & *pollicitationes* iunctas reperire eſt. Vt, *pacturis magnis pollicitationibuſque aliquem ad ſe perducere*. Sic enim ſcribendum, pro quo hodie in Cæſaris commentariis ſcribitur, *Iacturis magnis pollicitationibuſque*. Quod eſt ineptum ſcioli alicuius commentum, qui *pacturam* pro pactione latinū eſſe non putavit. Sic autē *pactura* dicitur pro pactione vel pacto, ut *uſura* apud Ciceronē pro uſu, quæ etiā *uſio* dicebatur, ut alibi notavimus. Alio loco apud Cæſarem idem mēdum occurrit, ſic corrigendum: *magnis pacturis ſibi quiſque eorum animos conciliabat*. Vulgo eſt *iacturis*. Item apud Hirtium de bello Alexandrino: *Nemo erat qui modo aliquam iacturam facere poſſet quin aut vadimonio teneretur, aut in reos referretur*. Cæcus eſt aut imperitus qui nō videt ibi legi debere, *nemo erat qui modo aliquam pacturam facere poſſet*, id eſt, *pactionem*. Quicunq; paciſci poterant, id eſt, pecuniam promittere & dare ad ſe redimendos, aut in reos referebantur, aut lite intentata ac die dicta curabatur ut vadimonio tenerentur, quo pecuniæ depectione ſe liberarent. Tot modis igitur hæc vox uſurpata eſt, *pactum, pactio, pactura*, atque etiam *hic pactus*. Vt apud

 Plau-

Plautum in Ciſtellaria, Act. 1. Scen. 1.

Meretrices fuimus, illa te & ego hanc mihi educavi

Ex pactibus conventis.

Pro quo alii legunt ex *partibus conventiciis*, alii ex *patribus*. Multi alia nugantur. *Pactus conventi* ibi ſunt pacta conventa. Ea in nuptiis legitimis inter virum & uxorem ad conciliandas conditiones interveniebant. At meretrix quæ nuptias illas legitimas irridet, ſui generis & ſortis mulieres ſua *pacta* etiam *conventa* habere dicit, haud minus quam matronas. Se quoque nubere viris, & quidem quotidie, ut ſtatim ſubiicitur,

Hæc quidem ecaſtor cotidie viro nubit, nupſitque

Hodie.

Hinc πολύγαμοι vocantur in veteri Epigrammate, ubi dicitur Menander ἡδύνας σκηνὴν δράμασι πολυγάμων, ſicut olim correximus. Pacta autem conventa meretricis ſive *pactus conventos* ibi vocat Plautus mercedes quas pro concubitu depeciſcuntur omnium virorum uxores. *Pactus* & *pactum*, ut *iuſſus* & *iuſſum*, & alia ſimilia, ἑτεροκλίτως. *Pacturam* dixit Cæſar ut uſuram pro uſu, & iunxit cum *pollicitationibus*, ut Cicero *pacta* & *promiſſa* iunctim poſuit

lib.

lib. III. De Officiis: *Pacta & promiſſa ſemper ſervanda ſunt, quæ nec vi nec dolo malo, ut prætores edicere ſolent, facta ſunt.* Sed ut redeamus ad lectionem Vlpiani, *teſtimonia invicem dicenda*, iam diximus, ſi non vera ſit, veſtigia præferre qua ad veram è proximo perveniatur. Cum noſtra interpretatione ferri poſſet hæc vulgata ſcriptura, ſed aliud vitium latere ſub ea ſuſpicor, quod à correctoribus imperitis videtur adfricatum, Iidem enim ſunt qui& *coierit* tam apud Marcianum quam apud Vlpianũ illis locis repoſuerunt pro antiquo & germano *curaverit*, quia minus id verbi conveniebat cum lectione quam excogitaverant. Quid enim eſſet, *inſpicienda teſtimonia curare*, aut *teſtimonia invicem dicenda curare?* Ideo ergo mutarunt *curaverit* in *coierit*. Ego vero ex illo verbo *curaverit*, ſicut à Marciano & Vlpiano ſcriptum fuiſſe certum eſt, plane auguror, in utroque lectionẽ quæ habetur vulgo, eſſe corruptam. Et apud Vlpianum quidem duarum tantum litterarum mutatione puto reſtituendum, *teſtimoniave falſa in necem dicenda dolo malo curaverit.* Hoc eſt, in fraudem & perniciem alicuius. Nihil frequentius in Iure hac loquutione. In ipſo Marciano eademlectio reſtituenda,

 da,

da, ubi fœdius corrupta eſt. Cum enim idem omnino dicere voluerit quod Ulpianus, non aliis id verbis expreſſiſſe videtur. Sed quomodo fieri potuit *inſpicienda* ex *in necem? dicenda?* Ut loquutio illa frequentiſſima occurrebat in ſcriptis Iuriſconſultorum, ſingulis litteris aliquando videtur fuiſſe expreſſa, hoc modo, I. N. pro *in necem*. Hinc cum ſcriptum eſſet *I. N. dicenda*, nec ſcirent quid illa ſibi vellent, correxerunt, *inſpicienda*. Quomodocunque legatur, quamvis eam quam propoſui veriſſimam præſtem lectionem, illud ex verbis utriuſque Iuriſconſulti liquet, teſtationem diverſam eſſe à teſtimonii genere utroq; quod nempe dicitur à præſente, & quod per tabulas datur. ἄγραφον & ἔγγραφον Græci dicunt. Nam Vlpianus in verbis Senatuſconſulti, quod Licinio v. & Tauro Coſſ. factum eſt, pœnam legis Corneliæ teſtamentariæ inflictam illis dicit, *qui falſas teſtationes faciendas, teſtimoniave falſa dicenda aut conſignanda dolo malo curaverint*. At Tribonianus verba illa *aut conſignanda* detraxit. Haud ſcio quare. Ergo ex eo conſtat, teſtimonium tam quod dicitur quam quod conſignatur à *teſtatione* differre. Atqui teſtimonium conſignatum,

tum, *μαρτυρία* eſt in Iure Attico. *Teſtatio* igitur à *μαρτυρία* diverſa. Sic duas habet diverſas ſignificationes *teſtationis* nomen. Nā pro teſtificatione accipitur, quæ *μαρτυροποιία* eſt Græcis, & pro ipſa *μαρτυρία* ſive teſtimonio conſignato, ut ex Quintiliano ſupra docuimus. Et hæc fortaſſe ratio eſt, cur Tribonianus, cum verba Vlpiani referret in compilationem Digeſtorum ſub illo titulo, reſecarit hoc, *aut conſignanda*, quia putaret *teſtationem* eandem eſſe cum teſtimonio conſignato. Nam certe & *teſtationes conſignari* dicuntur, ut leg. IX. π. V. D. de pœnis: *Solet & ita interdici, ne inſtrumenta omnino forment, neve libellos concipiant, neve teſtationes conſignent.* Et certe conſignari ſolebant teſtationes utriuſque generis, hoc eſt, *μαρτυροποιίαι* & *μαρτυρίαι*. Nulla enim teſtatio non ſcripto comprehenſa & teſtium ſignis non munita. Sed longe, ut dixi, diſtabant *teſtationes* quarum hoc loco Vlpianus & Martianus meminere ex S.C. verbis, quod pœnam legis Corneliæ irrogaverat iis qui eas falſas faciendas curaſſent, à teſtimoniis conſignatis, quæ etiam *teſtationum* appellatione deſignabantur. Vtriuſque *teſtationis* differentia manavit ex diverſa etiam notione verbi *teſtari*. Nam & po-

nitur pro ſimpliciter teſtimonium dicere, quod Græcis μαρτυρεῖν dicitur. Qui teſtatur de eo quod viderit aut audiverit, teſtimonium ſuper ea re reddit, ſive ſermone præſens, ſive ſcripto abſens. Hæc μαρτυρία eſt Græcis, illud μαρτύριον. *Teſtari* porro alia etiã ſignificatione ſumitur pro μαρτυροποιεῖν, & *teſtes facere*, vel vocare, ut cũ Latini dicunt *Deum teſtor*. Atticis μαρτύρεσθαι. Τὸν θεὸν μαρτύρομαι. Heſychius: μαρτύρομαι, ἐπιφωνοῦμαι. Tertio etiam ſenſu *teſtari* idem eſt quod teſtatione declarare, ac teſtibus vocatis ſignificare. Sic ponitur in leg. xx. π. 1. D. de acquirenda vel omittẽda hæreditate. *Et ideo ſolent teſtari liberi qui neceſſarii exiſtunt, non animo hæredis ſe gerere quæ gerunt, ſed aut pietatis aut cuſtodiæ cauſa.* Vbi teſtari eſt teſtato dicere, ac denuntiare, teſtibus nempe adhibitis. Ex verbo igitur teſtari quod triplicẽ habet ſignificationem, τοῦ μαρτυρεῖν & τοῦ μαρτύρεσθαι, atq; ἐπιμαρτυρεῖν nomẽ etiam factum eſt *teſtatio* triplicis ſignificationis, pro μαρτυρίᾳ & pro μαρτυροποιΐᾳ ſive teſtificatione, & διαμαρτυρίᾳ. Hac poſteriore notione διαμαρτυρίαν Atticorũ exprimit, priore ut iam dictum eſt μαρτυρίαν. Nam μαρτυρία eſt unius hominis teſtimonium per tabulas dãtis, non διαμαρτυρία. Nam qui μαρτυρίαν

τυρίαν ſcripto comprehenſam dat, ipſe *μαρτυρεῖ*, & perſonam teſtis ſuſtinet. Qui *διαμαρτυρίαν* ſacit, vel *διαμαρτυρεῖ*, teſtẽ producit, pro ſe teſtimoniũ dicturum, ac *μαρτυροῦντας παρέξοντα*, non ipſe dicit teſtimonium. Ita qui *teſtationẽ facit*, ut in hac lege habetur, non teſtimonium pro aliis dicit aut cõſignat, ſed ipſe pro ſe & in re ſua, teſtibus adhibitis, id quod vult aut ſua putat intereſſe, probat aut notificat, eorumque teſtimonia in tabulas refert, quæ *teſtationis* nomine vocabantur. Hoc *in teſtationem redigere* Iuriſconſultus dixit leg. XXXIX. ※. I. D. de legatis III. Quidam non habens liberos nec cognatos in diſcrimine vitę cõſtitutus per infirmitatẽ, arceſſitis amicis Gaio Seio contubernali dixerat quod vellet ei relinquere prædia quæ nominaſſet. Gaius Seius ea dicta in teſtationẽ redegit, etiam ipſo teſtatore vivẽte & interrogato an ea dixiſſet, ac reſpõſo eius tali, *Μάλιστα*. Vter hic teſtationem feciſſe dicendus, teſtator ipſe, an fideicommiſſarius? Sane teſtator convocatis amicis qui teſtes eſſent ſuæ ultimæ voluntatis, coram iis declaravit ſe Gaio Sero relinquere velle prædia quæ tum nominavit. Hæc teſtificatio eſt, ſive ſub teſtibus declaratio. At *teſtatio*, ut dixi, proprie non dicebatur, niſi

niſi quæ ſcripto comprehenſa eſſet. Hoc igitur fecit Gaius Seius, cum amicos teſtatoris qui dicta eius audierant teſtes ipſe fecit, eorumque teſtimonia in teſtationem redegit, id eſt, curavit ut in tabulas referrentur, & ab iis ſignarentur, ut poſt mortem teſtatoris ex iis tabulis atque ex ea teſtatione agere poſſet contra hæredē, & fideicommiſſum ſibi relictum petere. Aliud igitur eſt *teſtes facere*, alind *teſtationem facere*. Μαρτύρεσθαι idem eſt quod μαρτυροποιεῖν, id eſt, *teſtes facere*. At teſtationem facere, eſt, id, quod ii qui teſtes facti erant, pro teſtimonio dixerant, in tabulas referre & conſignare. Hoc eſt, *tabulas teſtationis facere*. Quod *teſtationē conſignare* dicebatur, *teſtatione complecti*, ac *in teſtationem referre*. Non eſt enim *teſtatio* niſi conſcripta tabulis, & obſignata. Cicero in Verrinis VII. *Ipſe in tabellas refert, obſignat ſignis amicorū providens homo, ut contra hoc crimen, ſi quando opus eſſet, hac videlicet teſtificatione uteretur*. Amici illi teſtes facti fuerāt. Poſtquam eorum teſtimonia in tabellas relata fuerunt, & obſignata, *teſtatio* vel *teſtificatio* exinde facta eſt, ad neceſſitatem ſervata ac repoſita, ut ſi quando opus fuiſſet ea uteretur qui fecerat. Proprie igitur *teſtes, facere* eſt quod Græcis μαρτύρεσθαι.

Teren-

Terentius in Adelphis Act. II. Scen. I.

Vbi me dixero dare tanti, teſtes facies illico
Vendidiſſe me.

Ita cum ille teſtator coram amicis dixiſſet ſe velle prædia quæ nominaverat relinquere Gaio Seio cõtubernali ſuo, illico amicos illos teſtes fecit Gaius, prædia illa ſibi relicta eſſe, idque in teſtationem redegit, id eſt, teſtatione complexus eſt, ac teſtationem fecit, id eſt, tabulas teſtationis fecit ut Apuleio in Apologia, *tabulas nuptiales facere.* Teſtatio itaque non tantum ipſe actus eſt teſtandi conſignandique, ſed ipſæ tabellæ quibus teſtatio conſignata eſt. Plautus in Curculione Act. IV. Scen. IV.

MI. *Sed quid agit meum mercimonium apud te?* CAP. *nihil apud me quidem,*
Ne facias teſtes.

Qui faciebat teſtes, dicebat præſentibus, teſtes eſtote. *Amteſtari* hoc dicebatur unica voce. Optimæ. Gloſſæ: *Amteſtor*, μαρτύρομαι. Id eſt, teſtem facio. Eiquem teſtem facerent, auriculam tangebant, dicendo, teſtis eſto. Hoc erat *amſtetari.* Quod verbi in optimis auctoribus vitio librariorum degeneravit in *atteſtari.* Sed & idem fere ſignificat quod *amteſtari.* Vnde apud Bedam de Ortho-

thographia, *Atteſtor aliquem ad teſtimonium vocas, qui ſit dignitate vel auctoritate eminens.* Apud Acronem ad illa Horatii, *Licet amteſtari?* Plus quam decies *atteſtari* legitur *pro amteſtari*. *Renuntiantes litem atteſtatos habebant, quibus præſentibus conveniebant ita ut aurem illis tertio vellerent.* Amteſtati, illi quos *atteſtatos* perperam vocant libri, erant qui teſtes fiebant, tacta auricula. Scribitur perperam in Etymologico magno, λοβοὶ λέγονται, ἐπειδὰν μαρτυρόμενοί τινι λαμβανόμεθα αὐτῶν. Omnino legendum, μαρτυρόμενοι τίνα, id eſt, cum teſtem aliquem facimus, aut amteſtamur. Et male ex eo loco colligunt viri docti, *inter teſtandum aurem imam tangi ſolitam*, immo inter *amteſtardum*, cum aliquis teſtis fieret. Notat Acro ibidem, *Solebant enim teſtium aures tenere, & ita dicere, memento quod in illa cauſa mihi teſtis eris.* In illa Satyra Horatii contra importunum qui ipſi eſt obviam factus, cum eo cuperet liberari, adverſarius ei ſuus occurrit, qui magna exclamavit voce, Quo tu, turpiſſime; ac ſimul Horatio cũ eo ambulanti dixit, *licet amteſtari?* id eſt, licetne mihi te teſtem facere? Annuit licere Horatius, oppoſita ſtatim auricula quã ille ſibi tangeret. Quo facto ſignificavit ſe teſtẽ futurum.

futurum. Inde in ius raptus ille. & quæ ſequuntur. Et recte Porphyrio interpretatur, adverſarium moleſti illius *Horatium conſuluiſſe an permitteret ſe amteſtari, iniecta manu tracturus eum ad prætorem.* Id eſt, an permitteret ſe teſtem fieri. Qui enim vadimonio non paruiſſet, ſi eum in via adverſarius deprehendiſſet, iniecta manu in ius obtorto collo trahere illum poterat, ſi modo aliquem ex præſentibus quos caſus obtuliſſet, teſtem prius feciſſet auricula tacta. Quod erat *amteſtari.* Lex duodecim tabularum id conſtituerat. Ea ſic reſtituenda eſt, ex verbis quæ corrupte apud Porphyrionem eo loco leguntur: *Si in ius vocat, ni itur, amteſtatus manum iniicito, aurem amteſtati tagito.* Sed unde dictum *amteſtari*, aut quid eo verbo proprie ſignificatur? Nam viri docti diſſentiunt. Quidam quippe volunt ſcribi debere *anteſtari* & idem eſſe quod *anteteſtari.* Quibus ſubſcribere non poſſum. Non enim Latine diceretur *anteſtari* pro anteteſtari. Præterea in veteribus libris & apud auctorem optimum Gloſſarum ſcribitur *amteſtari.* Alii, ea voce ſignificari, *aliquem ex circumſtantibus teſtem facere.* Quod mihi magis arridet quam illud prius, nec tamen verum eſt.

Amte-

Amteſtari eſt in re præſenti, & in loco ubi res geſta eſt aut gerenda, teſtem facere, proximum nempe, vel primum qui adſtat loco in quo id fit de quo teſtis capitur. Sic *amtermini*, qui terminos & fines accolebant. *Amſegetes*, quorum ager viam tangebant. *Amſanctæ* valles ſanctæ, quæ in circuitu ſunt & vicinæ. Ita ergo *amteſtes*, qui proximi reperiebantur ei loco ubi res acta fuerant. Inde verbum *amteſtari*. Quod recte Priſcianus lib. VIII προσδιαμαρτυρεῖν interpretatur, id eſt, πρὸς αὐτῷ τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ τι πέπρακται. Sic enim apud eum ſcribi debet, nō προδιαμαρτυρεῖν, quod pro *antetestari* viri docti accipiunt. Idem ſermo notat *adteſtari*, id eſt, ad ipſum locum teſtem facere aliquem in quo res geritur. Hoc verbum paſſivam & activam habebat ſignificationem apud veteres, ut ibi notavit idem Priſcianus. Ideo ex loco Livii, quem ibi citavit, id, ubi paſſive ſumitur, προσδιαμαρτυρηθῆναι expoſuit: *Impubes libripens eſſe non poteſt, neque amteſtari*, id eſt, neque teſtis fieri. Apparet ex loco Horatii, non licuiſſe invitum ac nolentem amteſtari, ideo petit ille veniam num patiatur ſe amteſtari! *Licet amteſtari?* Sed aliud ſuadere videtur lex duodecim tabularum, quæ etiam invi-

invitos teſtes fieri poſſe indicat. *Ni teſtimonium fateatur, improbus inteſtabiliſque eſto.* Ita corrigunt viri eruditi. Item in alia: *Qui teſtimonium defugerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.* Sed non hæc earũ legũ mens quam putarũt qui peſſime eas intellexerunt ex peſſima lectione. In ea priore ſancitur, ſi quis ſe ſiverit amteſtari, nec ad teſtimonium dicendum in iudicium vocatus veniat, improbum inteſtabilemque eſſe. Verba legis ita ſcribenda ex vetuſtiſſimis libris certiſſima coniectura. *Qui ſe am ſirit teſtarier, libripensve fieri, ni teſtimonium fari iatur, improbus inteſtabiliſque eſto.* Ita ſcriptum more illius ſeculi quo ſancitæ ſunt duodecim tabulæ. *Qui ſe am ſirit teſtarier*, pro, qui ſe ſiverit amteſtari. His enim tranſpoſitionibus gaudebant. Et notat Feſtus, in priſcis illis legibus fuiſſe, *tranſque dato*, pro, tradito. *Endoque plorato*, pro, implorato. Et in precibus antiquis, *Sub vos placo*, pro *vobis ſupplico*. Ita ergo ex veſtigiis veteris ſcripturæ hic legimus, *Qui ſe am ſirit teſtarier.* Ergo poterat quis non permittere ſe teſtem fieri vel amteſtari, ſed ſi ſemel ſiviſſet ſe amteſtari, non poterat teſtimonium defugere, & niſi veniret ad teſtimonium dicendum in iudicio cum

cum citaretur ab eo à quo amteſtatus eſſet, improbus inteſtabiliſque erat. Amteſtatio ipſa non erat teſtimonii dictio, ſed qui amteſtabatur aliquem, eum ſibi teſtem deſtinabat & præparabat; tacta & vulſa auricula, quaſi admonens, teſtem eum ſibi eſſe futurum. Unde & apud Latinos *aurem vellere* pro admonere. Hinc vetus interpres Horatii hæc verba amteſtantis aliquem fuiſſe dicit, *memento quod tu in illa cauſa mihi teſtis eris.* Idemque ibi adnotat, prius dixiſſe ſolitum qui amteſtabatur ac teſtem faciebat, *licetne amteſtari?* niſi reſponderet ille qui teſtis deſtinabatur, *licet*, invitum non licebat teſtem facere. Si autem *licet* reſpondiſſet, ac ſe ſiviſſet amteſtari, non poterat poſtea teſtimonium defugere, niſi improbus inteſtabiliſque haberi vellet. Verba legis quibus hæc dicuntur, ſic habent in antiquiſſimo Agellii exemplari: *Ni teſtimonium fariatur, improbus inteſtabiliſque eſto.* Pro illo *fariatur* corrigi placuit Hotomanno, *fateatur*, Cuiacio, *ni teſtimoniam feriatur.* Omnia inepta. Scriptum fuit ut poſuimus, *ni teſtimonium fari iatur*, id eſt, *ni teſtimonium eat dicere.* Ἀρχαϊκῶς *iatur* pro eat, ut alia lege, *ni itur*, pro, ni it. Sic apud Priſcianum lib. VIII. *Fitur* pro fit, & *fieba-*

& fiebatur, pro fiebat. *Poteſtur* pro poteſt, & ſimilia multa. *Teſtimonium fari*, eſt dicere. Nam in ipſo amteſtandi actu non dicebat teſtimonium is qui teſtis fiebat, ſed teſtis deſtinabatur, teſtimonium paulo poſt in iudicio dicturus de eo quod actum eſſet. Qui non hoc faceret, poſtquam ſe teſtem fieri, ſive *amteſtari* paſſus eſſet, *teſtimonium defugere* dicebatur. Non enim teſtimonium defugit qui non vult teſtis fieri nec ſe ſinit amteſtari, ſed qui poſtea teſtimonium in iudicio dicere recuſat poſtquam ſe teſtem fieri permiſit. Is improbus inteſtabiliſque lege declaratur, & præterea ante eius oſtium tertiis diebus poterat is cui teſtimonium defugerat, cum pipulo & convitio conqueri. De quo lex duodecim tabularum ita conſtituit, ut legenda eius verba ſunt: *Cui teſtimonium defugerit, is tertiis diebus ob portum ei vagulatum itor.* Hæc lex ſequebatur continenter illam alteram hoc modo: *Qui ſe am ſirit amteſtari, libripenſve fieri, ni teſtimonium fari iatur, improbus inteſtabiliſque eſto. Cui teſtimonium defugerit, is tertiis diebus ob portum ei vagulatum itor*. Teſtimonium igitur defugit, non is qui teſtē primo ſe fieri poſſe negat, aut ut lex loquitur, *amteſtari*, ſed il-

le, qui poſtquam ſe ſivit amteſtari, teſtimonium dicturus in iudicium ſe ſiſtere non vult. Sic enim deſertor eſt teſtimonii. Quod Græci λειπομαρτύριον vocabant. Ita *defugere auctoritatem* dicebatur, non is qui primo noluiſſet auctor fieri, ſed qui auctor factus poſtea mutabat ſententiam, & nolebat amplius auctor eſſe. Ut apud Terentium, *Iubeo, cogo atque impero. Nunquam defugiam auctoritatem.* Sic enim ibi legendū. Ut *amteſtari* autem eſt προσδιαμαρτυρεῖν, ac teſtem facere, ſic *conteſtari* συνδιαμαρτυρεῖν, cum duo vel plures alter contra alterum teſtes faciunt ac producunt. Inde *litis conteſtatio* appellata, quia ab utraque parte teſtes fiebant. Feſtus: *Conteſtari eſt, cum uterque reus dicit, teſtes eſtote. Conteſtari litem plures adverſarii dicuntur, quod ordinato iudicio utraque pars dicere ſolet, teſtes eſtote.* Συμμαρτύρεσθαι, & διαμαρτύρεσθαι, optimæ Gloſſæ exponunt: *Conteſtatur*, συμμαρτύρεται ἐπισφραγίζεται, διαμαρτύρεται. Ex utroque compoſito verbo, *amteſtari*, & *conteſtari*, perſpicuum eſt, *teſtari* ſimplex uſurpari etiam Latinis pro μαρτύρεσθαι, & *teſtes facere*. Unde & *teſtatio*, relatio in tabulas teſtimoniorum eorum hominum qui teſtes facti fue-

fuerunt, vel ipſæ etiam tabulæ. Duum generum fuere iſtiuſmodi teſtationes, privatæ vel publicæ. Teſtatio privata illa fuit quæ teſtibus adhibitis fiebat, & in tabulas referebatur, privata tantum adnotatione, non auctore iudice, vel eius permiſſu. Mentio fit *privatæ teſtationis* leg. v. Cod. de probationibus: *Inſtrumenta domeſtica ſeu teſtatio privata, ſeu adnotatio, ſi non aliis adminiculis adiuventur, ad probationem fidei non ſufficiant*. Quæ non erant privatæ, eæ conficiebantur & conſignabantur à pragmaticis olim, poſtea à tabellionibus iuſſu iudicis, vel auctoritate. Ut in Apologia Apuleii: *tuo iuſſu, Maxime, teſtato deſcripſimus*. A pragmaticis, vel tabellionibus eas teſtationes confici ſolitas arguit lex IX. π. IV. & V. D. de pœnis. *Solet autẽ ita vel iuris ſtudioſis interdici, vel Advocatis. Tabellionibus, vel pragmaticis, ſolet & ita interdici, ne inſtrumenta omnino forment, vel libellos concipiant, vel teſtationes cõſignent*. Sic hæc legenda ac diſtinguenda, quæ in vulgato peſſime corrupta ſunt. Hęc tria ad tabelliones, vel pragmaticos, referenda ſunt. Nam eorum fuit inſtrumẽta cõſcribere, libellos cõcipere, & teſtationes conſignare. Sed certa fides eſt, Tribonianum inſeruiſſe illos tabelliones

verbis Iuriſconſulti veteris, cuius temporibus pragmatici munus habuerunt quod ætate Iuſtiniani hi qui *tabelliones* dicebantur. Sed & totã legẽ illã miſere cõtaminavit. Hoc etiã diſcrimen extitit inter *teſtes faciendos*, & *teſtationes faciendas*: quod teſtes fiebant ad rẽ præſentem, cũ iis diceretur, *teſtes eſtote*: teſtationes autẽ in futurũ conſignabantur, ut ſiquando opus eſſet eis uteretur in iudicio qui eas faciẽdas curaſſet, ſive ad defenſionẽ ſui, ſive ad accuſationem aliorum. Hinc illa Ciceronis, in Verrem, *Ac contra hoc crimen, ſi quando opus eſſet hic, teſtificatione uteretur.* Sic miles cui cuſtodia rei erat commiſſa, ſi is deceſſiſſet, teſtatione ſibi conſulere debebat, ut ſi negotium eo nomine quis faceſſeret probare poſſet, non ſua culpa id contigiſſe, leg. XIV. π. V. D. de cuſtodia reorum: *Ergo ſi caſu cuſtodia defuncta dicatur, teſtationibus id probandum eſt, & ſic venia dabitur.* Ita tutor qui pecunias pupillares ſub uſuris dare tenebatur, ſi idonea nomina nõ inveniret, ut extra culpam eſſet, ſi quando eo nomine arceſſeretur, teſtatione ſibi cavere debebat apud præſidem depoſita. Teſtibus nempe factis, non repertatũ fuiſſe idonea nomina quibus pecunias pupillares collocaret, eorum-

eorumque teſtimoniis in tabulas relatis, ab ipſis teſtibus ſignatas, quæ *teſtatio* dicebatur. Paulus lib. III. Receptarum ſententiarum Tit. XIV. *Tutor in uſuras non convenitur, ſi pecuniam pupillarem non collocaverit quod idonea nomina non habebat quibus pecunia collocaretur; cuius rei teſtatio apud præſidē provinciæ deponēda eſt.* Sic enim ibi ſcribendum, non *conteſtatio*. Ad accuſandum aliū *teſtatio* etiam præmittebatur, ad hoc facta & præparata, ut eſt in leg. XXI. D. de his qui notantur infamia. Lucius Titius iniuriam paſſus à Gaio Seio fuerat. Cum hoc fieret, teſtes fecit, & teſtationem conſignavit de illa iniuria. Poſtea crimen iniuriarum intendit Gaio Seio, & recitavit in eam rem teſtationem apud præfectos prætorio. Fides non habita eſt ei teſtationi, & pronuntiatum à præfecto prætorio, nullam iniuriam Lucium Titium paſſum eſſe à Gaio Seio. Quæſtio inde orta eſt, an teſtes quorum teſtimonium reprobatum eſt, quaſi ex falſo teſtimonio inter infames haberentur. Hæ teſtationes in futurum præparatæ probationis & inſtrumentorum inſtar habebant ad fidem ſuo tempore faciendam. Alię ad rē præſentē fieri ſolebant, quibus aliquid declarabatur, vel denuntiabatur

præſenti. Vt cum aliquis conveniebatur teſtato, ſive teſtatione facta, id eſt, coram teſtibus. Etiam cui optio legata eſt, ſi teſtatus ſit, vel teſtationem fecerit, ſe hoc velle, mutare poſtea voluntatem non poteſt, ut habetur in leg. xx. D. de optione legato. Alia exempla huiuſmodi teſtationum paſſim in Iure occurrunt. Vt leg. cxxii. D. de verborum obligationibus: *Qui Romæ pecuniam mutuam acceperat ſolvendam in longinqua provincia poſt menſes tres, poſt paucos dies Romæ teſtato creditoribus dixit, paratum ſe eſſe Romæ eam numerare*. Nam *teſtato dicere* creditoribus, idem eſt quod teſtatione creditores convenire, iiſque denuntiare quid ſit actum. Alio etiam ſenſu pro inſtrumentis contractus & pacti conventi ſolent uſurpari, ut *ſpandaliorum teſtationes*, quæ nuptiales ſunt tabulæ. Sic aſſignari etiam libertus poterat aut per epiſtolam aut per teſtationem, aut per chirographum, ut eſt in leg. vii. D. de aſſignandis libertis. Certe verbũ ipſum *teſtari* à quo nomẽ *teſtatio* deſcendit, tria, ut ante dixi, ſignificat apud Romanos in Iure. Aut enim eſt, pro teſte aliquid dicere, quod Græce dicitur μαρτυρεῖν: aut teſtes facere, quod Atticis μαρτύρεσθαι, & μαρ-

μαρτυροποιεῖν vulgo: aut teſtato, ſive per teſtes aliquid probare, declarare ac denuntiare, quod Græcis eſt διαμαρτυρεῖν. In his autem teſtationibus faciendis aut teſtimoniis dicendis conſignandiſve teſtes aut caſu oblati in ipſa re ac loco fiebant, quos Græci ἀπὸ ταὐτομάτου παρόντας appellabant, ut illi quos amteſtari licebat in via Iure Romano, aut inviti producebantur, & non niſi coacti, ut ii quibus lege teſtimonium denuntiabatur in publicis iudiciis Iure Romano, vel Attico, qui κατὰ πρόσκλησιν teſtimonium dicebant, vel κλητευθέντες. Sponte ſua ſe dabant, ut amici, qui rogabantur ad teſtimonium ferendum, aut qui id faciebant non inviti, cum res expeteret. Iure Attico qui volentes teſtimonium ferebant, id domi in tabulis conſcribere neceſſe habebant albatis, ne quicquam addere aut detrahere, vel immutare ex eo quod ſcriptum eſſet poſſent. Qui vero coacti teſtimonium perhibebant aut caſu oblati, ceratis tabulis id mandabant, ut ſi quid ex eo mutare additione vel detractione ipſis collibitum eſſet, liceret. Demoſthenes in ſecunda contra Stephanum, de falſo teſtimonio: Ἔτι τοίνυν κἀκ ἀπὸ γραμματείου γνοίη τις, ὅτι τὰ ψευδῆ με-

μαρτύρηκε. λελευκωμένον τε. γάρ ἐστι, καὶ οἴκοθεν κατεσκευασμένον. Ex tabellæ genere in quo teſtimonium ſcripſerit, falſum eum dixiſſe argui ait, quia & domi concinnata fuerat ac dealbata. *Λεύκωμα* fuiſſe indicat, quod erat *γραμματεῖον λελευκωμένον*, non tabella *exaſciata & expolita*, ut vertit vir eruditiſſimus. Ex eo arguit falſum eum teſtimonium ſcripſiſſe quod in tabella dealbata id conſcripſerat. Quo genere ſolo ſolebāt uti de rebus quas ipſi vidiſſent qui ſponte ſuper his teſtimonium perbibebant, ut ſtatim addit, *καὶ τοὺς μὲν τὰ πεπραγμένα μαρτυροῦντας προσήκει οἴκοθεν τὰς μαρτυρίας κατεσκευασμένας μαρτυρεῖν, τοὺς δὲ τὰς προκλήσεις μαρτυροῦντας, καὶ τοὺς ἀπὸ ταυτομάτου προσάντας, καὶ ἐν μάλθῃ γεγραμμένους τὴν μαρτυρίαν, ἵνα εἴ τι προσγράψαι ἢ ἀπαλεῖψαι βουληθῇ ῥάδιον ᾖ.* Ita ſcribendum in verbis Demoſthenis. Nam diverſi ſunt, *οἱ τὰς προκλήσεις μαρτυροῦντες*, quibus teſtimonium lege denuntiabatur, & *οἱ ἀπὸ ταυτομάτου προσάντες*, quos caſus in re præſenti dabat. Iſta duo genera teſtium in *maltha*, hoc eſt, in ceratis tabulis teſtimonium ſuum ſcribere debuerunt, ut detrahere, delere aut addere quæ vellent poſſent, cera omnis in ſcribendo muta-

tio-

tionis capace. Μάλθη eſt tabellę ceratę cera, ὁ ἐνῶν τῇ πινακίδι κηρὸς, inquit Pollux lib. x. cap. xiv. Qui & alio loco μάλθην exponit, ᾗ κατηλείπτο τὸ πινάκιον, ceram qua tabella erat inducta, & oblita. Voluntarii vero teſtes in λελευκώματι id lege iubebantur ſcribere, & domo prolatas exhibere, ne quid mutare in iis poſſent. Non enim in dealbata tabula, ſive λελευκώματι, ut in palimpſeſto, deleri aut reponi quod cuique liberet, licuit. Γραμματεῖον abſolute hoc vocabatur in lege, quæ id ſanciebat ut legitur apud eumdē Demoſthenē: Οἱ δέ γε νόμοι οὐ ταῦτα λέγουσιν, ἀλλ᾽ ἂν εἰδῇ τις, ἢ οἷς ἂν παραγένηται πραττομένοις, ταῦτα μαρτυρεῖν κελεύουσιν ἐν γραμματείῳ γεγραμμένα, ἵνα μήτ᾽ ἀφελεῖν ἐξῇ μηδὲν, μήτε προσθεῖναι τοῖς γεγραμμένοις. Si in cerata tabella, ut infra dicit, deleri detrahi vel addi quodcũq; liberet licuit, oportet non ceratam fuiſſe tabellam in qua id fieri non poterat. Ergo illa dealbata fuerit, ut etiam paulo poſt vocavit. Et vereor etiam ne hic ſcribi debeat, ἐν γραμματείῳ λελευκωμένῳ, pro γεγραμμένα. Nam vox γραμματεῖον, tam de ceratis tabulis accipiebatur, quam de albatis. Vnde apud Ariſtophanem:

τὴν μάλθαν ἐκ τῶν γραμματείων ἐσθίων.

Videtur tamen aliis locis infra Demoſthenes abſolute γραμματεῖον poſuiſſe de ea tabella quæ albata eſſet, ac ceratam vocare ſimpliciter μάλθην, καὶ ἐν μάλθῃ γεγραμμένους τὴν μαρτυρίαν. Pollux quoque lib. VIII. cap. V. inter inſtrumenta δικαστικὰ, recenſet μάλθην, quam videtur pro tabella inducta maltha poſuiſſe: πινάκιον πημηλικὸν, μάλθη ἢ κατήλειπτο τὸ πινάκιον. Ut ad differentiam redeamus *teſtationum*, & *teſtimoniorum*, quorum mentio in leg. I. & IX. D. ad legem Corneliam de falſis, cum pœna legis Corneliæ puniatur qui falſas teſtationes faciendas curaverit, & falſa teſtimonia dicenda, præcipuum diſcrimen horum duorum conſtat in faciendo ac dicendo. Qui facit teſtationes, auctoritate teſtium qui in his ſignarunt cauſam ſuam defendit: qui vero teſtimonium dicit, pro teſte id facit, & in alterius gratiam. Baſilicorũ interpretes, *falſas teſtationes* in hac lege Græce reddiderunt ἐκμαρτύρια πλαστά. Videndum an mentem legis recte perceperint, atque intellexerint quid eſſent hic *falſæ teſtationes*. Multo minus certe aſſequuti ſunt quod ſequitur, *teſti-*

monia-

moniave inſpicienda. Quod cum viderent quadrare non poſſe cum teſtimoniis, ut vulgo ea vox accipitur, eam pro teſtamentis ſumpſerunt. Et certum eſt, ita etiam aliquando accipi, ut iam notatum eſt à viris doctiſſimis. Sed hoc loco ea ſignificatio non convenit. Huius autem legis verbis, non ſolum falſi teſtes puniuntur, id eſt, ii qui falſa dicunt teſtimonia, ſed etiam qui falſis teſtimoniis aliquid probare nituntur. Tam falſis igitur teſtibus, quam qui eos producunt atque adhibent, pœna legis Corneliæ irrogabatur. Ergo nomine *teſtationū*, non ſola ἐκμαρτύρια falſa vindicãtur, ſed omnis omnino probatio, declaratio, conventio, denuntiatio, quæ per teſtes fit ſubornatos ac falſos. Et ἐκμαρτύριον ad falſas teſtationes videtur referendū. Nam & ſic accipitur apud Græcos, ſive pro διαμαρτυρίῳ, ut in his verbis à Suida citatis: Οὐκ ὤκνησεν ἢ δευτέρῳ ἐκμαρτυρίῳ χρήσασθαι. Quod ipſe interpretatur, διαμαρτυρίῳ. Nam hic ἐκμαρτύριον ac διαμαρτύριον teſtatio eſt vel obteſtatio. Ergo illi interpretes Baſilicorū *teſtationes* in illa lege prima recte videntur accepiſſe, non recte autem teſtimonia pro teſtamentis. De teſtamentis enim

enim ſolis cavit illa lex Cornelia ; ne quis teſtamentum falſum ſciens , dolo malo ſcriberet, recitaret, ſubiiceret, aut verum ſuppprimeret, amoveret , reſignaret, deleret. Vnde & *teſtamentaria* appellata eſt. Sed hic teſtamenta non poſſunt accipi niſi de teſtimoniis , cum de teſtamento præceſſerit utroque Vlpiani loco, tam apud auctorem collationis, quam leg. IX. Digeſtis eodem titulo. In collatione ſic legitur: *Pœna legis Corneliæ irrogatur ei qui aliud quam teſtamentum ſciens ſignaverit ſignarive curaverit.* In Digeſtis lege dicta ita ſcriptum eſt: *Qui quid aliud quam in teſtamento ſciens dolo malo falſum ſignaverit, ſignarive curaverit.* Neutrius ſcripturæ ſenſum aſſequor. Præcipue in illa lege IX. Nam qui ſequuntur, & qui præcedunt paragraphi , nihil de teſtamentis habent. Ergo ineptum eſt , ut intelligamus illis verbis falſi cauſam ad alia quam ad teſtamenta porrigi , cum nihil de teſtamento præcedat. In verbis Vlpiani, ſicut leguntur apud auctorē Collatiotionis, aliud eſt. Nā ibi ſcribit Iuriſconſultus ſub titulo legis Corneliæ teſtamentariæ: *Præterea factum eſſe Senatuſconſultum, Statilio Tauro & Scribonio Libone Coſſ., quo pœna legis Corneliæ irrogatur ei qui aliud quid quā teſtamentum*

mentum falſum ſciens ſignaverit ſignarive curaverit. Cum lex enim Cornelia teſtamentaria de falſis, de ſolo teſtamento falſo ſanxiſſet pœnã ei irrogans qui tale ſignaſſet aut ſignari curaſſet, Senatuſconſulto illo pœna legis Corneliæ etiã illis impoſita eſt, qui aliud quid quam teſtamentum falſum ſignaſſent aut ſignandũ curaſſent. Quod ad quodlibet inſtrumentum falſum illo Senatuſconſulto porrigi placuit, ut etiam Paulus teſtatur lib. v. Tit. xxv. de lege Cornelia teſtamentaria: *Lege Cornelia Teſtamentaria tenetur, qui teſtamentum quodve aliud inſtrumentum falſum ſciens dolo malo ſcripſerit,* & cætera. At hæc ſententia, qui aliud quid in teſtamento falſum dolo malo ſciens ſignaverit, non convenit ſicut expreſſa eſt in lege IX, quomodo eam Tribonianus ſub illo titulo retulit. Et perſpicuum eſt miris modis verba Iuriſconſultorum, quos compilavit ab eo fuiſſe interpolata. Sequitur apud Vlpianum in Collatione, alio Senatuſconſulto, quod factum eſt Licinio quintũ & Calpurnio Coſſ. pœnam quoque legis Corneliæ irrogatam fuiſſe, *ei qui falſas teſtationes faciendas, teſtamentave falſa in necem dicenda, conſignanda,* dolo malo curaſſet. Quo loco te-

teſtamenta nõ poſſunt intelligi de διαθήκαις, cum *teſtamenta dici* non dicantur, ſed de teſtimoniis. Falſi ergo ſunt interpretes Græci Baſilicorum, qui in leg. IX. teſtimonia pro teſtamentis ſumpſerant, cum μαρτυρίαι ſint. Quod autem teſtationes iidẽ ἐκμαρτύρια verterunt, an etiã errarunt? Ita ſane ſi ἐκμαρτύρια ibi poſuerunt pro teſtimoniis, cum ſignificent teſtationes conſcriptas. Malem tamen διαμαρτυρία reddidiſſent. Nam διαμαρτυρία, teſtatio eſt vel teſtificatio qua teſtibus adhibitis in iudicio pars altera probare intendit, cauſam non eſſe aut eſſe εἰσαγώγιμον. De quo videndus eſt Harpocration in hac dictione. Gloſſæ: διαμαρτυρία, *conteſtatio, teſtatio, teſtificatio*. Ergo *teſtationes*, Græce ſunt διαμαρτυρίαι. Teſtimonia μαρτυρίαι. Ἐκμαρτυρία vero etiam Atticis idem ſignificat quod abſentium teſtimonia, & hoc nomine differt à μαρτυρίᾳ, quæ eſt præſentium teſtatio. Suidas: Ἐκμαρτυρία, διαφέρει τῆς μαρτυρίας, ὅτι ἡ μὲν τῶν παρόντων ἐστὶν, ἡ δὲ ἐκμαρτυρία τῶν ἀπόντων. Pollux paulo aliter hæc explicat ac diſtinguit. nam ἐκμαρτυρίαν eſſe dicit cũ quis de re nõ ſibi viſa ſed ab eo qui viderit audita teſtatur. Μαρτυρίαν autem eſſe teſtimonium ſive

ſive teſtationē *de viſu*; ut vulgo loquuntur. Μαρτυρία δὲ, inquit, καλεῖται ὅταν τις αὐτὸς ἰδὼν μαρτυρῇ, ἐκμαρτυρία δὲ ὅταν τις παρὰ τοῦ ἰδόντος ἀκούσῃ. Ammonius in libello de differenttis vocum, ex Dinarcho notat, ἐκμαρτυρίαν eſſe teſtimonium, quod ſcripto conſignatum eſt, & miſſum ab eo qui abeſt ab urbe, μαρτυρίαν vero eius qui in urbe moratur. Ἐκμαρτυρία, inquit, τῆς μαρτυρίας ἔν τινι διαφέρει, δηλοῖ Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Κλεομέδοντος, λέγων, ἀναγνώσεσθε δὲ τῶν μὲν ἐπιδημούντων τὰς μαρτυρίας, τῶν δὲ ἀποδημούντων ἐκμαρτυρίας. Recitabitis præſentium μαρτυρίας, abſentium ἐκμαρτυρίας. Quā notionē ἐκμαρτυρίας, ipſe confirmat Demoſthenes in ea contra Stephanum de falſo teſtimonio ſecunda. Ἀκοὴν δὲ, inquit, οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι ζῶντος μαρτυρεῖν, ἀλλὰ τεθνεῶτος, τῶν δὲ ἀδυνάτων καὶ ὑπερορίων ἐκμαρτυρίαν γεγραμμένην ἐν τῷ γραμματείῳ. Ex auditu teſtimonium ferre de vivente leges non ſinunt, ſed tantum de mortuo. Illorum autem qui invalidi eſſent, & extra territorium Atticum degerent, ἐκμαρτυρίαν in tabella ſcriptam afferri debere. Ex quibus verbis conſtat, ἐκμαρτυρίαν non eſſe teminonium eius qui audiverit, ut Pollux tradidit. Et longe falſus eſt

vir

vir eruditiſſimus, qui in commentario ad leges Atticas hanc legem ita retulit, & Latine convertit, *ἀκολὼ εἶναι μαρτυρεῖν τεθνεῶτος, ἐκμαρτυρίαν δὲ ὑπερορίου, καὶ ἀδυνάτου. De re à mortuo accepta, aut peregre geſta, cui intereſſe non potuerint, teſtimonium auriti, non oculati, danto, dicunto.* Quæ falſiſſima eſt Græcorum illorum interpretatio. Leges non ſinebant de mortuo teſtimonium ferre ex auditione, ſed de vivo tantum. Ἀκολὼ μαρτυρεῖν eſt quod Latini dicunt, ex auditione teſtimonium ferre. Lex ita ſanxerat, *ἀκολὼ ἔξω μαρτυρεῖν τεθνεῶτος, ἐκμαρτυρίαν ὑπερορίου, καὶ ἀδυνάτου.* Non licebat *ἐκμαρτυρίαν* recitare abſentis, id eſt, teſtimonium ſcriptum eius qui abeſſet proferre, niſi extra fines Atticos peregre abeſſet, aut ſi in urbe adeſſet, niſi morbo ſontito in iudicio ſiſti prohiberetur. Hic eſt quem *ἀδυνάτον* vocat lex, id eſt, infirmum & invalidum. Iſæus vocat *ἀσθενοῦντα*, in ea de Pyrrhi hæreditate, *περὶ δὲ τῶν ἀσθενούντων ἢ τῶν ἀποδημεῖν μελλόντων ὅταν τις ἐκμαρθυρίαν ποιῆται.* Ergo *μαρτυρία* præſentium erat, *τῶν παρόντων, ἐκμαρτυρία τῶν ἀπόντων*, ſive abeſſent peregrinatione, ſive morbo præpediti adeſſe in iudicio non poſſent. Si *ἐκμαρτυρία ἀπόντων* fuit,

fuit, etiam ἀπόντες intelligi debent ii qui præſentes in iudicio non adſtant, ſed qui peregre abſunt, quos ἀποδημοῦντας Iſæus appellat, lex ipſa ὑπερορίους. Cum μαρτυρία παρόντων eſſe dicitur, quo ſenſu eos παρόντας accipiemus? An de his qui in urbe erant, quibus opponebantur ἐπίδημοι? Hi ſane ſunt ἐπιδημοῦντες, quos opponi palam eſt τοῖς ἀποδημοῦσι. Et hoc ipſum eſt quod ex Dinarcho notavit Ammonius, ἀναγνώσεται ἢ τῶν μὲν ἐπιδημούντων τὰς μαρτυρίας, τῶν δ' ἀποδημούντων ἐκμαρτυρίας. Sed hoc ſenſu ἐκμαρτυρίαι ægrotantium qui in urbe ſunt non eſſent ἀπόντων, ac propterea dici potius deberent μαρτυρίαι, quam ἐκμαρτυρίαι. Nullum enim diſcrimen ponendum inter teſtimonium ſcriptum ægrotantis in urbe, & ſani; cum æque uterque in urbe eſſet & à iudicio abeſſet. Harpocrationi ἡ μὲν μαρτυρία τῶν παρόντων ἐστὶ, καὶ ἐκμαρτυρία τῶν ἀπόντων. Si τοῦ ἀδυνάτου, invalidi, ἀσθενοῦντος, qui in urbe aderat, æque ἐκμαρτυρία dicta eſt atque ὑπερορίου, eius nempe qui extra fines Atticæ peregre aberat, illa differentia τῶν ἀπόντων καὶ παρόντων non referri debet ad præſentiam & abſentiam ab urbe ſed à iudicio. Qui non poterat ſiſti præſens in iudicio cum μαρτυρία eius legebatur ſive morbo adeſſe prohiberetur,

ſive peregrinatione extra fines eſſet, eius ἐκμαρτυρία dicebatur. Sin autem poſſet in iudicio præſens adeſſe cum teſtimonium eius è libello vel tabella recitaretur, μαρτυρίας nomine appellabatur, & ipſe præſens adeſſe debebat cùm legeretur. Idque ex Demoſthenis variis locis colligitur, ut in oratione περὶ παραπρεσβείας. Λέγε δὴ τὴν μαρτυρίαν τὴν Ἀπολλοφάνους, εἶτα τὴν τῶν ἄλλων τῶν παρόντων. *Recita teſtimonium Apollophanis, deinde & aliorum qui præſentes ſunt in iudicio.* Ita enim prorſus intelligendum. Libellus quo teſtimonium ferebatur ita concipi ſolebat. Κηφισόδωρος Κεφαλῶνος Ἀφιδναῖος μαρτυρεῖ τόδε ἢ τόδε. Aliquando & in eodem libello duo aut plures teſtimonium ferebant. Στέφανος Μενεκλέους Ἀχαρνεύς, Σκύθης Ἁρματέως Κυδαθηναιεύς, μαρτυροῦσι παρεῖναι πρὸς τῷ διαιτητῇ Ἀχαρνεῖ, ὅτε προὐκαλεῖτο Φορμίων Ἀπολλοδώρου. Ita recitabatur iubente oratore libellus vel tabella teſtimonii. Teſtes qui eam ſcripſerant, ubi recitatum fuerat eorum teſtimonium, præſentes id viva etiam voce confirmabant, dicentes, Μαρτυροῦμεν. Atque id plane perſpicuum eſt ex oratione altera contra Stephanum de falſo teſtimonio: Λέγε τὴν μαρτυρίαν ἀπ᾽ ἀρχῆς πάλιν. *Recita teſtimonium ab*

prin-

principio iterum. Teſtimonium deinde recitatur, Μαρτυροῦσι παρεῖναι τῷ διαιτητῇ Τισίᾳ. His verbis auditis, teſtes ipſi, qui eiuſmodi teſtimonium ſcripſerant, adclamarunt, Μαρτυροῦμεν, παρῆμεν γάρ. Poſt eam teſtium vocem, reliqua teſtimonii leguntur. Hoc igitur certum eſt, præſentes fuiſſe teſtes cum eorum μαρτυρία legeretur, ut confirmare poſſent, ita ſe teſtatos eſſe, & tale teſtimonium à ſe ſcriptum in tabella fuiſſe. Ideo recte Harpocration τῶν παρόντων μαρτυρίαν eſſe docuit, id eſt, in iudicio præſentium. Cum vero ἐκμαρτυρία abſentium eſſet, id eſt, eorum qui præſentes eſſe in iudicio non poterant, vel quod abeſſent ab urbe, vel quod morbo ſontico prępedirentur, cum eorũ ἐκμαρτυρία legebatur in iudicio, teſtes alii adeſſe debebãt qui confirmarent eorum hãc eſſe ἐκμαρτυρίαν quę legebatur. Quod ἐκμαρτυρίαν ποιεῖν dicebãt. Iſæus in oratione de Pyrrhi hæreditate: Περὶ δὲ τῶν ἀσθενούντων ἢ τῶν ἀποδημεῖν μελλόντων, ὅταν τις ἐκμαρτυρίαν ποιῆται, τοὺς ἐπιεικεστάτους τῶν πολιτῶν καὶ τοὺς ἡμῖν γνωριμωτάτους, ἕκαστος ἡμῶν παρακαλεῖ μάλιστα, καὶ οὐδὲ μεθ᾽ ἑνὸς οὐδὲ μετὰ δυοῖν, ἀλλ᾽ ὡς ἂν μετὰ πλείστων δυνώμεθα τὰς ἐκμαρτυρίας ποιούμεθα, ἵνα μήτε τῷ ἐκμαρτυρήσαντι μὴ ἐξείη ὕστερον ἐξάρνῳ γενέσθαι τὴν μαρτυρίαν, ὑμεῖς τε πολλοῖς καὶ καλοῖς κα-

 τα-

γαθοῖς ταῦτα μαρτυροῦσι πιστεύοιτε μᾶλλον. Ex his verbis apparet, non lecta fuiſſe nec recepta abſentium, id eſt, eorum qui præſentes iudicio eſſe non poſſent, teſtimonia, niſi plures adeſſent teſtes idonei qui affirmarent hanc illius eſſe ἐκμαρτυρίαν quæ recitabatur cuius inſcripta erat nomine. Ipſe quidem abſens cuius teſtimonium legebatur, ἐκμαρτυρεῖν dicebatur, ut eius teſtimonium ἐκμαρτυρία. Qui vero teſtes aderant ad eam confirmandam, ἐκμαρτυρίαν ποιεῖσθαι, id eſt, *teſtationem facere*, quia teſtato curabant legendam illam ἐκμαρτυρίαν. Si ille cuius eſſet ἐκμαρτυρία poſtea eam inficiaretur, teſtes qui adfuerant pro eo cum recitaretur, falſi teſtimonii iudicio tenebantur ſi falſi argueretur ἐκμαρτυρία. Eadem igitur ratio fuit μαρτυρίας & ἐκμαρτυρίας. utraque enim ſimul conſcribebatur in tabella, & in iudicio recitabatur. Sed μαρτυρία præſente ipſo teſte qui eam ſcripſerat, ἐκμαρτυρία præſentibus amicis qui abſentem ita ἐκμαρτυρεῖν ac teſtimonium ferre ipſi teſtificabantur. Demoſthenes in altera contra Stephanum: τῶν δὲ ἀδυνάτων καὶ ὑπερορίων ἐκμαρτυρίαν γεγραμμένην ἐν τῷ γραμματείῳ, καὶ ἀπὸ ταύτης ἐπισκήψεως τήν τε μαρτυρίαν καὶ ἐκμαρτυρίαν ἀγωνίζεσθαι ἅμα, ἵνα ἐὰν μὴ ἀναδέ-

χηται

χηται ὁ ἐκμαρτυρήσας ἐκεῖνος, ὑπόδικος ἢ τῶν ψευδομαρτυριῶν, ἐὰν γὰρ μὴ ἀναδέχηται, οἱ ἐκμαρτυρήσαντες τὴν ἐκμαρτυρίαν. In his verbis Demoſthenes τοὺς ἐκμαρτυρήσαντας τὴν ἐκμαρτυρίαν appellat qui Iſæo ſunt οἱ τὴν ἐκμαρτυρίαν ποιούμενοι. Nam ſi is qui ἐκμαρτυρίαν abſens ſcripto dixerat, eam adprobaſſet poſtea, ac falſa deprehenderetur, ipſe falſi teſtimonii reus erat. Sin inſiciaretur, quod ἔξαρνος γένηται dicit Iſæus, Demoſthenes vero, μὴ ἀναδέχηται τὴν ἐκμαρτυρίαν, qui teſtato eam confirmarant in iudicio præſentes, ipſi falſi teſtimonii cauſam dicebant. . Sequentis igitur ævi grammatici Græci non intellexerunt quod vetuſtiores explicarunt, τῶν ἀπόντων ἐκμαρτυρίαν eſſe, τῶν παρόντων vero μαρτυρίαν. Pollux, quod miror, ita interpretatus eſt, quaſi μαρτυρία diceretur teſtimonium eius qui rem ipſe vidiſſet. Certe nemo μαρτυρίαν conſcribere & conſignare lege tenebatur niſi qui geſtis interfuiſſet, eaque oculis uſurpaſſet. Sic ergo accepit, τῶν παρόντων μαρτυρίαν dici de his qui præſentes fuiſſent dum res gereretur. Immo παρόντες accipi debent de his qui præſentes erant cum teſtimonium eorum legeretur. Sed quod addit, ἐκμαρτυρίαν γὰρ, ὅταν τις παρὰ τοῦ ἰδόντος ἀκοῦσαι λέγῃ, id falſiſſimum eſt. Α᾽πόντων ἐκ-

μαρτυρίαν ita interpretatus eſt, quaſi teſtimonium eius eſſet qui aberat cum res ageretur, ſed ex præſentibus audiſſet. *Ἐκμαρτυρία* contra atque ab eo dari ſcripto ſolebat, qui rem ipſam vidiſſet eique dum ageretur interfuiſſet, ſed qui non poterat adeſſe præſens in iudicio ad teſtimonium quod per tabulas ſuper eo dabat, confirmandum & comprobandum. Ἀπόντων igitur *ἐκμαρτυρία*, eſt *ὑπερορίων*, ut lex ipſa loquebatur, ac *τῶν ἀδυνάτων*, extra fines Atticæ peregrinantium, & valitudine præpeditorum. Hoc uno excepto eadē *ἐκμαρτυρία* & *μαρτυρία*, ut ipſe teſtatur Demoſthenes, & oculati teſtis utraq; teſtimonium deſignat, non auriti, ut voluit vir eruditiſſimus. Ἀ*ποδημούντων ἐκμαρτυρίαν* eſſe dixerat Dinarchus. Ergo *ἐπιδημούντων μαρτυρίαν* videri qui opponuntur *τοῖς ἀποδήμοις*, cenſuit Ammonius. Nā ita ſcripſerat Dinarchus, *πολλὰ κἀγαθὰ ἄνδρες δικασταὶ γένοιτο ὑμῖν καὶ τῷ νομοθετήσαντι ἐξεῖναι τῶν ἀποδημούντων ἐκμαρτυρίας παρέχεσθαι*. Si ex oppoſito *ἐπιδημούντων* fuere *μαρτυρίαι*, ſic intelligēdum eſt, eos qui in urbe aderant, quos vocabāt *ἐπιδημοῦντας*, etiā in iudicio ſiſti debuiſſe præſentes, ut ſuum teſtimonium è tabella recitandum viva voce confirmarēt. Niſi ita ſit, falſus eſt Ammonius. Ita autem legi debent

debent verba Ammonii, ἐκμαρτυρία μαρτυρίας ἐν τινι διαφέρει, δηλοῖ Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Κλεομέδοντος, λέγων, ἀναγιγνώσκεσθαι τῶν μὲν ἐπιδημούντων τὰς μαρτυρίας, τῶν δὲ ἀποδημούντων τὰς ἐκμαρτυρίας. Ex his luce clarius liquet, quantum interſit inter μαρτυρίαν Atticorum & *teſtationem* Romanorum, quæ eadem eſſe voluit Advocatus Pariſienſis. Cum enim iure Attico plurimum differat ἐκμαρτυρία & μαρτυρία, *teſtatio* ſimilior deprehenditur τῇ ἐκμαρτυρίᾳ quam τῇ μαρτυρίᾳ. Teſtium quippe abſentium fuit *teſtatio*, & cum proferebatur in iudicio recitāda, nullus eorum qui eam ſignaverant teſtium aderat. Quod & in ἐκμαρτυρίᾳ locum habuit. Vt autem *teſtationem facere* dicebatur qui teſtimonia colligebat & ſcripto conſignabat, quibus in iudicio prolatis uteretur ad id probandum aut declarandum quod vellet, ita & ἐκμαρτυρίαν ποιεῖσθαι Attici dicebant illos qui proferebant in iudicio abſentium teſtimonia è tabella recitāda. Ea ratione motos Baſilicorū interpretes; utpote Græce doctos & in ſcriptis priſcorū oratorum verſatos, ſuſpicor *teſtationes falſas facere* reddidiſſe, ποιεῖν ἐκμαρτύρια πλαστά. Sane ἐκμαρτύριον eſt teſtimonium vel teſtatio abſentis. Nec alia teſtimonia vel teſtationes in foro Ro-

mano recitari ſolebant niſi abſentium. Iure autem Attico *μαρτυρίαι* præſentibus ipſis qui eas ſcripſerant, recitabantur. Nec mirum ideo, ſi plus firmamenti in iſtis teſtimoniis ſcriptis repoſuerunt Attici quam in teſtibus ipſis qui *αὐτοπροσώπως* teſtimonium dicebant. Nam ipſi aderant teſtes cum legebantur ipſorum teſtimonia, & præſentes id comprobabant & confirmabant. Non tamen eadem omnino *ἐκμαρτυρία* & *teſtatio*. Nam *teſtatio* pluriũ fuit teſtium, *ἐκμαρτυρία* unius. *Teſtatio* Romanorum magis videtur quadrare cum *διαμαρτυρίᾳ* Græcorum. Is enim *διαμαρτυρεῖν* dicebatur & *διαμαρτυρίαν* facere, qui teſtes producebat, vel teſtimonia. At *ἐκμαρτυρία* producebatur in iudicio ſcriptum abſentis teſtimonium. Adverſus eos qui falſas teſtationes facerent, id eſt, qui falſos teſtes adhiberent, & falſis probationibus uterẽtur, *κακοτεχνιῶν δίκη* Iure Attico fuit inſtituta: adverſus autẽ eos qui falſa teſtimonia dicerent, id eſt, adverſus ipſos falſos teſtes, *ψευδομαρτυριῶν δίκη* intẽtabatur. Harpocratio, *Κακοτεχνιῶν, δίκης ὄνομα, ἣν οἱ ἁλόντες τινὰ ψευδομαρτυριῶν κατὰ τοῦ παρασχομένου αὐτοῦ ἐδίδοσαν*. Sic enim legẽdum ſupra docuimus, non ut vulgo legitur, *κακοτεχνιῶν*. Ubi Advocati imperitiam caſti-

caſtigamus iuris Attici, qui voluit, *ſtellionatus* crimẽ in Iure Romano idẽ eſſe quod κακοτεχνιῶν δίκην in Iure Attico; cum ſola κακοτεχνιῶν δίκη apud Atticos fuerit, ſeu κακοτεχνίαι, adverſus eos qui falſas teſtationes feciſsẽt, & falſos produxiſsẽt teſtes. Quod παρασκευάσῃ ψευδεῖς μάρτυρας dixit Harpocration, ut ipſe Demoſthenes in ea cõtra Euergum & Mneſibulũ de falſo teſtimonio, ubi & fortaſſe legendũ, ὑπόδικον ἔχει τῆς κακοτεχνίας, nõ κακοτεχνιῶν. Quod & teſtatur Pollux lib. VIII. cap. VI. Λυσίας δὲ κακοτεχνίου δίκην φησὶν εἶ). Ea dabatur, ut dixi, contra eos qui falſas teſtationes feciſſent, non contra falſos teſtes, aut qui falſa teſtimonia dixiſſent vel conſignaſſent. Proprium igitur nomen habuit hæc δίκη, & in cauſa tantum falſarum teſtationum locum habuit, cum *ſtellionatus* in omnibus criminibus locum habuerit, quibus lege nomen datum non eſſet. Quot modis autem falſæ teſtationes fierẽt, Demoſthenes explicavit eo loco quem citavimus, his verbis, εἴ τις μάρτυρας τὰ ψευδῆ μαρτυροῦντας παρασχόμενος, ἢ προσκλήσεις μὴ γενομένας, ἢ μαρτυρίας παρὰ τὸν νόμον μαρτυρηθείσας, ἐξηπάτησε τοὺς δικαστὰς, μηδὲν αὐτῷ πλέον γένηται, ἀλλ' ὁ ἐπισκηψάμενος ταῖς μαρτυρίαις ὁ ἀδικηθεὶς, καὶ εἰσελθὼν εἰς ὑμᾶς, καὶ ἐπιδείξας περὶ

τοῦ πράγματος τοὺς μάρτυρας τὰ ψευδῆ καταμεμαρτυρηκότας, παρ' ὅ τι τούτων λάχῃ δίκην, καὶ τὸν προσκαλούμενον ἀπόδικον ἔχῃ τῶν κακοτεχνιῶν. Tria illa pertinebant ad falſas teſtationes quas qui faceret κακοτεχνιῶν δίκῃ obnoxius erat, εἴ τις μάρτυρας τοὺς τὰ ψευδῆ μαρτυροῦντας παράσχηται *Si quis teſtis pro teſtimonio falſum dicentes adhibuerit*, ἢ προσκλήσεις μὴ γενομένας, *aut denuntiationes non factas*, ἢ μαρτυρίας παρὰ τὸν νόμον μαρτυρηθείσας, *aut teſtimonia produxiſſet contra leges data.* Hæ falſæ teſtationes κακοτεχνίαι ſunt. Et κακοτεχνιῶν δίκην nihil prohibet legi apud Demoſthenem eo loco, cum plura falſarum teſtationum genera ibi enumeraret. Cum vero quis ob unam harum quamlibet, dicam alicui ſcriberet, non ob omnes, libellum inſcribebat κακοτεχνίας, non κακοτεχνιῶν. Non igitur poſſunt nec debent illæ κακοτεχνίαι, quæ proprie de falſis teſtationibus apud Atticos uſurpatæ ſunt, ad varia genera criminum, quæ nomine *ſtellionatus* apud Romanos comprehendebantur, referri, ut cenſuit Advocatus. Pergamus, & cæteras ἀλογίας atque inſcitias in eadem lege prima explicanda ab eo commiſſas caſtigemus. *In ſequentibus*, inquit, *primo & ſecundo paragraphis eiuſdem legis valde hæſitatur, nec immerito. Nam*, ait Marcianus, π. 1, *ob inſtruen-*

ſtruendam advocationẽ teſtimonioũ pecuniam acceperit, pactuſve fuerit. Nõ video cauſam, cur hic hæſitare debuerint interpretes. Nec quidquã in his verbis quod moleſtiã faceſſere cuiquam poſſit, invenio. Advocatus ad ea explicanda nihil pro ſano dixit, nihil pro iuriſperito. Ait, *fuiſſe ſcilicet veluti litis redemptores qui eam ſe inſtructuros pollicerentur advocatione & teſtibus, quod SC. Cotta & Meſſala Coſſ. facto coercebatur.* Primum falſum eſt hic de litium redemptoribus agi, ſed de his tantum qui conducebant Advocatos, & teſtes pecunia redimebant. At redemptores hi dicebantur, qui eventum litium redimebant, ut in leg. VII. D. mandati, de procuratore qui eventum litium contra bonos mores maioris pecuniæ præmio redemerit. Advocatos ſimiliter *redemptores litium* legimus leg. I X. D. de officio proconſulis; ubi admonetur proconſul non diſſimulare ſi quos Advocatos *cauſarum cocionatores* vel *redemptores* deprehendat. Ex eventu litis certam ſibi ſummam paciſcebantur, dimidiam aut tertiam partem, aut quamcunque conveniſſet. Sed & falſum quod ſcribit hic Advocatus, redemptores litium cohercitos eſſe ſenatuſconſulto

quod

quod factum eſt Cotta & Meſſala conſulibus. Nuſpiam id enim legitur aut extat. Meminit quidem Ulpianus apud auctorem Collationis, Titulo IX. de falſo Teſtimonio, *Qui ob ſtruendam advocationem teſtimoniave pecuniam acceperit, pactuſve fuerit, ſocietatem coierit, aut aliquam dilationum interpoſuerit. Item ſi quis coierit ad occiſionem innocentium, SC. quod Cotta & Meſſala Coſſ. factum eſt, coherceri.* Sed de redemptoribus litium nullum ibi verbum qui certam ſibi quantitatem cavebant ex eventu litis. Aliud eſt autem litem redimere & futuri ex eius exitu compendii partem paciſci, aliud pecuniam accipere ob ſtruendam advocationem & teſtimonia. Quod Hermogenianus leg. XX. D. eodem, dixit, *litem inſtruere advocatione ac teſtibus.* Idem caput illius Senatuſconſulti, quo coercebantur pœna legis Corneliæ qui pecuniam ob ſtruendam advocationem, teſtimoniave, accepiſſent, ab Hermogeniano & Ulpiano reſpici & intelligi, palam eſt ex ipſius Hermogeniani verbis. *Falſi pœna,* inquit, *coercentur,* id eſt, legis Corneliæ pœna, *qui ad litem inſtruendā advocatione teſtibusve pecuniam acceperunt, obligationem, pactionem fecerunt, ſocietatem inierunt, ut aliquid tale fieret*

cura-

curaverunt. Ergo *inſtruere litem advocatione & teſtibus* idem eſt apud Hermogenianum quod apud Ulpianũ ex ipſius forte Senatuſconſulti verbis dicitur, *ſtruere advocationem teſtimoniave*. Sic enim melius legi cenſeam in Collatione quã in Digeſtis, *ob inſtruendam advocationem teſtimoniave*. Inſtruitur lis advocatione & teſtibus, cum advocatio ſtruitur ac teſtimonia. Sed ut apud Ulpianum id ſcriptum extat, maiorem habet ἔμφασιν doli mali & machinationis in ſtruenda advocatione & teſtibus pecunia ad id accepta, quã quomodo apud Hermogenianũ legitur. Nam etiã ſine dolo ac fraude lis *inſtrui* poteſt advocatione ac teſtibus. Vnde & *inſtrumenta* litis & cauſæ ea omnia dicuntur, quæ ad inſtruendam cauſam pertinent. Hinc *inſtrumenta* tam de perſonis quam de teſtimoniis accipiuntur leg. 1. D. de fide inſtrumentorum. Vbi *inſtrumentorum nomine* Iuriſconſultus *accipienda ea eſſe* ſcribit, *quibus cauſa inſtrui poteſt, & ideo tam teſtimonia quam perſonæ inſtrumentorum loco habentur*. Advocati igitur inter cauſæ inſtrumenta, cum advocatione etiam lis inſtruatur. At in verbo *ſtruendi* fraudis & doli ut plurimũ ſignificatio eſt. Vnde leg. 111. π, 1. D. de minoribus, *ſed totã*
hoc

hoc ſtructum ut maiore eo facto liberaretur. Id eſt, *calliditate adverſarii actum*, ut paulo antè dixit. Credo, nec vana fide, interpolatam eam legem Hermogeniani à Triboniano, cum ipſe ſcripſiſſet; *Falſi pœna coercentur. & qui ad ſtruendam advocationem, teſteſve, pecuniam acceperint.* Nam in lege Marciani repoſuit *ob inſtruendam advocationem*, cum, apud auctorem Collationis recte legatur, *ob ſtruendam advocationem teſtimoniave.* Struitur advocatio redemptis pretio advocatis ad innocentes oppugnandos, ſtruuntur teſtimonia ſubornatis pecunia teſtibus. Sic *ſtruere inſidias, ſtruere dolos*, Latini dicunt. Eleganter Apuleius in Apologia hãc advocationis & teſtimoniorum, quæ pecunia redimũtur, concinnationẽ & machinationem his verbis expreſſit: *Hic eſt enim pueruli huius inſtigator, hic accuſationis auctor, hic advocatorũ conductor, hic teſtiũ coemptor, hic totius calũniæ fornacula, hic Aemiliani huius fax & flagellũ.* At inepte hic Advocatus, inſtruere advocationem & teſtimonia eſſe dicit; *veluti ornare, & ſubornare. quæ ſunt verba*, inquit, *petita è ſcenico choragio, & ſcenica paratura.* Vide hominis inſulſi fatuitatem. *Inſtruere Advocationem* pecunia accepta idem eſt quod ornare, nempe ut ornamen-

namenta ſcenica hiſtrionibus aptantur, ita etiam ornari advocatos intellexit illud Senatuſconſultum quo pœna legis Corneliæ irrogata eſt iis qui advocationem inſtruerent, id eſt, ornarent, ut hiſtriones in ſcena ornantur. Sed longe magis inſulſus eſt & ridiculus, cum paulo poſt ait, verbum eſſe militare *inſtruere*, quod etiam huic argumento conveniat, *inſtructa veluti in aciem ad opprimendum aliquem magna teſtium & advocatorum iſtiuſmodi manu*. Quid ergo? An, ſi aliquis unum tantum aut alterum Advocatum conduxiſſet, & unum aut alterum teſtem ſubornaſſet, pecunia ob id accepta, non teneretur legis Corneliæ pœna ex ſenatuſconſulto, quod vetuit pecuniam accipi ad advocationem inſtruendam teſtimoniave, quia hi tantum legi obnoxii ſunt qui magnam manum advocatorum & teſtium veluti in acie inſtruunt? Ego vero vel qui unum Advocatum ſic daret, vel unum teſtē ſubornaret, teneri pœna legis Corneliæ cenſeo, & Advocatum cum ſua inſtructionē velut in acie teſtium advocatorūq; numeroſæ manus, ut cohortium, ludibrium omnibus ſanis debere iudico. Non minus ineptit vel etiam inſanit, cum *Advocationem* in hac lege quæ ſtruitur,
com-

complecti vult tam *συνηγόρους* quam *παρακλήτους*. Voluit nos ſcire, ſibi non ignorari qui ſint Græce *παράκλητοι* & *συνήγοροι*. Cur *patronos* & *advocatos* non dixit? Sic enim Latini dixere. Totus erat fortaſſe cum hæc ſcriberet in meditatione ſui iuris Attici. Falſiſſimum porro eſt hoc loco, *Advocationis* nomine comprehendi tam advocatos quam patronos. Cum Senatuſconſultum illud factũ eſt, differentia non amplius erat, qualis olim fuit, inter advocatos & patronos. Præterea hic locum habere non poſſunt illi Advocati antiqui, quando ex amicorum tantum numero ſumi ſolebãt, qui aut pręſentiã ſuam commodarent, aut ius ſuggererent, ut notavit in divinationem Aſconius. Veriſimile certe non eſt, ut pecunia à quoquam acciperetur, aut pactiones fierent, aut ſocietates coirentur ad huiuſmodi ſtruendam advocationem, quam ſoli amici amico præbebant. De patronis igitur ſolis qui cauſas orarent hæc Senatuſcõſulta ſunt accipienda. Non aliter ſcilicet tunc Advocatorũ nomẽ ſumebatur. Sed & quãvis ſumi etiam tum ſic ſoleret, non tamen ea verba SC. ita accipi poſſent quibus ob advocationẽ ſtruendam pecunia accipi vetatur, aut pactio fieri, aut ſocietas

cietas iniri. Cum *advocatio*, inquam, nominatur, non de aliis advocatis intelligenda eſt, quã de his qui cauſas agerent. Vnde *advocationem poſtulare*, apud Senecam in apocolocynthoſi. *Tandẽ procedit Petronius vetus convictor eius, & poſtulat advocationem.* Quæro ab Advocato an talis advocatio quæ poſtulabatur à prætore etiam *advocatos* ut olim accipiebantur, comprehenderit ? Certe poſtulantibus prætor vel præſes advocatos dabat, id eſt, patronos & cauſidicos, non autem eius generis advocatos qui præſentiam ſuam amico commodabant, vel ius ſuggerebant. Patronos, ut dixi, prætor tantum dabat, id eſt, *συνηγόρους*, non *παρακλήτους*. Inde iocus Ciceronis de Siculo quodam, cui cum prætor Scipio patronum ad cauſam agendam dediſſet hoſpitem ſuum, hominem nobilẽ, ſed admodum ſtultum, & huic rei ineptum, *Quæſo*, inquit ille, *prætor, adverſario meo da iſtum patronum, deinde mihi neminem dederis*. Amici aut advocabantur ab amico, ut præſentia ſua cauſam adiuvarent, aut ſponte ſe offerebant. Quod ut plurimũ ſolerent advocari, inde *advocati dicti*. Poſtea paſſim *advocati* appellati cœperunt, *omnes omnino qui agendis cauſis quoquo ſtudio opera-*

 bantur,

bantur, ut ait Vlpianus leg. 1. π. x. D. de extraordinariis cognitionibus. Vbi idem Vlpianus non advocatorum numero eos eſſe ſubiicit, qui pro tractatu nō adfuturi cauſis aliquid acciperent. Ergo nec pragmatici nec antiqui advocati qui ius ſuggerebant, non etiam cauſas agebant, nomine advocatorum tunc donabantur. Agitur in ea lege de honorariis advocatorum, ubi dicitur de iis honorariis advocatorum ita verſari iudicem debere, ut pro modo litis, proque advocati facundia, *& fori conſuetudine & iudicii in quo erat acturus, æſtimationem adhibeat.* Ex quibus perſpicias non alios tunc cognitos & vocatos fuiſſe advocatos quam cauſarum actores. Quæ ibi dixit Iuriſconſultus de honorario advocatorum, probat reſcripto imperatoris ſui, id eſt, Severi, in cuius reſcripti verbis *patronus cauſæ* appellatur, quem Vlpianus *advocatum* dixit. Sic & leg. ix. D. de officio proconſulis, *advocati*, patroni cauſarum ſunt, & quos ipſe præſes petentibus dabat in provincia, ut prætor Romæ, ut patet ex π. v. leg. eadem. Olim, ſub libera nempe republica, *advocati* omnes appellati, quicunque vel ad teſtationem faciendam ab ami-

amico advocabantur & in rem præſentem ideo deducebantur. Non ſolum Cicero, ſed etiam Comici Latini horum advocatorum exempla præbent, quæ iam aliis notata ſunt. Sub imperatoribus vero nulli tales *Advocati* noti fuere. Quum igitur legimus, *advocationem præbere*, *advocationem petere*, *poſtulare*, *advocationem ſuſcipere*, *advocationem ſtruere*, *Advocationem commodare*, apud auctores qui ſub Cæſaribus vixere, nunquam aliter accipiendæ ſunt quã pro advocatorum opera qui cauſis agendis operantur. Quod hic vero legis Corneliæ pœna afficitur qui ob ſtruendam advocationem pecuniam acceperit, non de ipſis videtur advocatis id intelligendum, ſed de aliis qui ad ſtruendam advocationem aut teſtimonia pecuniam acceperint & pacti fuerint, idque ad necem & perniciem innocentium. Videndum tamen an non de ipſis etiam advocatis id accipi poſſit, qui hic vetantur pecuniam accipere ob advocationem ſtruendam, vel inſtruendam, ut & de teſtibus ipſis is qui pecuniam accipit, ad teſtimonia ſtruenda; quod eodem Senatuſconſulto vetabatur. Advocati ante litem ſuſceptam, non poterant pecuniam

 paciſci,

paciſci, nec de honorarii sũma cavere, ut nec ſocietatẽ in futurum emolumentũ litis coire. Alioquin id non poterant petere. Cauſa demum acta iudex ipſe honorarium ſtatuebat advocato, pro modo litis, pro advocati facundia, & pro fori conſuetudine, & iudicii in quo erat acturus, ut ſcribitur leg. 1. π. IX. D. de extraordinariis cognitionibus. Sequente paragrapho idem Vlpianus, videndum eſſe ait, ſi cui cautum ſit honorarium, vel ſi quis de lite pactus eſt, an petere poſſit. Non poſſe vero petere ex reſcripto imperatoris Antonini Caracallæ oſtendit, in quo *litis cauſa pecuniam malo more promiſſam* dicit imperator, qui etiã meminit cautionis quę ſocietatẽ emolumenti futuri ſuſpenſa lite pollicetur. Quidquid igitur mercedis aut honorarii pactus eſſet ſibi dari litis cauſa ante cauſam actam advocatus id non poterat petere. Immo etiam talis pactio, vel ſocietas, ob advocationem ſtruendam inita, plectebatur legis Corneliæ pœna de falſo S.C. quod Cotta & Meſſala Coſſ. factũ eſt. Poſtea videtur id abrogatum. Ideo Tribonianus, cum ea Iuriſconſulti verba referret ſub titulum Digeſtorum ad legẽ Corneliã de Falſis, totum illum locum inter-

terpolavit. Ita enim fuit olim ſcriptum in verbis Iuriſconſulti, vel Senatuſconſulti potius, ut ea retulit Vlpianus apud auctorem Collationis legum Moſaicarum: *Item qui ob ſtruendam advocationem teſtimoniave pecuniam acceperit pactuſve fuerit, ſocietatem coierit, aut aliquam dilationem interpoſuerit: item ſi quis coierit ad obligationem innocentium: S. C. quod Cotta & Meſſala Coſſ. factum eſt, coercetur.* Duo erant diverſa hæc capita illius S. C. unum quo legis Corneliæ pœna coercebantur omnino omnes qui ad ſtruendam advocationem teſtimoniave pecuniam accepiſſent, vel pacti eſſent, vel ſocietatem coiſſent: alterum quo eadem pœna conſtringebantur qui coiviſſent *ad obligationem innocentium.* Cum prius illud caput in deſuetudinẽ abiiſſet, quo etiam advocati comprehendebantur ob inſtruendam advocationem pecuniam accipientes & paciſcentes, Iuſtinianus ea duo capita in unũ coniungẽda curavit in verbis Marciani ſub illũ titulum referendis. Sic enim ea poſuit: *Item ob inſtruendam advocationem teſtimoniave pecuniam acceperit, pactuſve fuerit, ſocietatem coierit ad obligationem innocentium, coercetur Senatuſconſulto.* Aliter ea interpolavit in verbis

Hermogeniani leg. xx. eodem titulo, ut paulo poſt oſtendam. Illo igitur Senatuſconſulto coercebantur omnes, & in his forte etiã advocati qui ob advocationem ſtruendam pecuniam acciperent, pactionem facerent, & ſocietatem coirent. Hoc ultimo putet quis *redemptores litiũ* advocatos poſſe intelligi, quorum & meminit lex IX. D. de officio proconſulis, qua iniungitur proconſuli non *diſſimulare ſi quos advocatos cauſarum cocionatores vel redemptores deprehenderit*. Sic enim ibi ſcribendum, non ut vulgo legitur, *cauſarum concinatores*. Cauſarum *cocionatores* dicuntur qui more *cocionatorum* & negotiatorum cauſas nundinantur, & καπηλεύουσιν. Hoc verbum multis auctorũ locis olim reſtituimus. *Cocionari* eſt καπηλεύειν, πραγματεύεσθαι à cocionibus. Nõ tamẽ cauſarum cocionatores & redemptores, illi ſunt, qui ob ſtruendã advocationẽ pecuniam accipiebant, paciſcebantur, aut ſocietatem coibant; quos Senatuſconſultum pœna legis Corneliæ coercebat. Si pro cauſa agenda pecuniam accepiſſent aut pacti eſſent, aut ſocietatem coiſſent, id petere tantum quod ipſis promiſſum fuerat, vetabantur. Quod accepiſſent ultra licitam ſummam, repetebatur. Hono-

nora-

norarium ipſis cauſa acta à iudice taxabatur, aut etiam ipſi honorariam ſummam paciſci poterant poſt cauſam demū actam, & dum licitam quantitatem non excederent. Licita quantitas centum aurei, ut eſt leg. 1. π. 1x. D. de cognitionibus extraordinariis. Verum de his nos alibi. Hæc igitur non cadunt in *advocatos* moris antiqui, ſed in eós quos ea ſæcula noverant, qui in cauſis tantum agendis operam ponebant. Vt dicam tamen quod ſentio, de aliis omnino quam de advocatis hoc puto accipiendū. Ipſi enim Advocati *advocationem præbere* dicuntur & *ſuſcipere*, non ſtruere. De aliis igitur hæc capienda qui ſtruxerint advocationem & teſtimonia, ſubornatis nempe teſtibus & coëmptis, advocatiſque conductis. Synopſis Baſilicorum *ſtruere advocationem & teſtimonia*, *συνθεῖναι συνηγορίαν*, & *μαρτυρίας*, vertit, ut infra docemus, *id eſt, componere advocationem & teſtes*. Addit Advocatus, in foro Attico παρακλήτους dictos advocatos qui cauſas amicorum præſentia ſua & interdum oratione adiuvabant. Ego iſtos παρακλήτους in foro Attico qui cauſas pro amicis orarent nullos unquam legi. Et mirū eſt, in lexicographis antiquis Atti-

ticarum dictonum horum παρακλήτων altum eſſe ſilentium. Dionyſius Halicarnaſſæus in iudicio Appii contra Virginiã, παρακλήτων meminit, ſed ita vocat illius temporis Latinos *advocatos*, nõ cauſarum patronos, οἱ τὰ δίκαια λεγόντων παράκλητοι. Hi ergo patronis cauſam orantibus aſſiſtebant, non ipſi agebant cauſam. Nec in foro Attico unquam id muneris habuerunt. Mentio eorum παρακλήτων extat apud Demoſthenem in oratione περὶ παραπρεσβείας. qui pro deprecatoribus ibi poni videntur: αἱ δὲ τῶν παρακλήτων αὗται δεήσεις, καὶ σπουδαὶ, τῶν ἰδίων πλεονεξιῶν ἕνεκα γίνονται. Ubi Ulpianus interpretatur, τοὺς ἐκ παρακλήσεως ἐλθόντας συνηγορῆσαι. Non dicit tamen Demoſthenes, eos cauſam peroraſſe, quod fuit rhetorum proprium, ſed δεήσεις tantum & σπουδὰς eorum vocat, *ſtudia* ac *deprecationes*. Quod aliud eſt ab tractatu cauſarum. Qui hoc facerent, ῥήτορες proprie appellabantur, & συνήγοροι. Vnde & συνηγορικὸν merces rhetoris apud Ariſtophanem, in Veſpis; quæ drachma erat. Ubi interpres, ἐλάμβανον γὰρ οἱ ῥήτορες δραχμὴν ὅτε συνηγόρουν ὑπὲρ τῆς πόλεως ἢ ὑπὲρ ἄλλου τινός. Phrynichus, τοὺς ἀμφὶ τὰς δίκας ῥήτορας appellat, cauſarum patro-

patronos, tam in Attico quam in Romano foro. Παράκλητοι illi ſimiliores advocatis priſci ævi, ſed non ius ſuggerebant, nec cauſas orabant. Leges apud Atticos non ſinebant quemquam cauſas orare, & in publico dicere, qui ingenuus non eſſet, & qui minor tricenario foret, & qui non à magiſtratu ac iudicibus ipſis ad hoc ordinatus eſſet ac deſignatus. Quod χειροτονεῖν dicebatur. Vt aliquis autem παράκλητος eſſet, vel advocatus, non omnia iſta exigebantur. Pro amico quippe periclitanti in iudicio, licuit cuilibet prenſare iudices, exorare, ambire, & deprecari, non vero συνηγόρου officio fungi. Longe eſt falſius quod ſubiicit Advocatus, eoſdem illos advocatos, quandoque & teſtium officio functos, & eoſdem pæne fuiſſe qui Græcis κλήτορες, quod alibi ſe oſtenſurum promittit. Nempe in commentariis Iuris Attici. Si nobis hoc poteſt oſtendere, fatebor lubens, eum magnum virum eſſe, & æque doctum ut ipſe de ſe opinatur. Amicorum ſuorum opera veteres utebantur, ut in iudicio ſibi adeſſent, præſentiam ſuam cōmodaturi tantum, aut in re aliqua teſtes futuri ad teſtificationē ſuper ea re faciendam, quos quia ad hoc advocabant, etiam

iam *advocati* appallati. At κλήτορες, qui & κλητῆρες, nõ vocati, nec advocati, ſed vocatores potius. Sic enim dicti qui hoc munus publice habebãt, ut in ius vocarẽt quibus dica ſcripta erat. Hi etiam pro teſtibus, quia hoc ipſum teſtabantur in ius à ſe vocatũ eſſe τὸν δεῖνα, ne id inficiari poſſet. Harpocration: κλητῆρες, οἱ ἄνδρες δι' ὧν εἰς τὰς δίκας προσεκαλοῦντο οἱ διαδικαζόμενοί τισιν. ἔδει γὰρ παρεῖναί τινας ὥσπερ μάρτυρας τῆς προσκλήσεως. Inde & κλητῆρας Scholiaſtes vetus Ariſtophanis μάρτυρας interpretatur. Sed in hoc tantum actu teſtes fiebant, cum in ius aliquem vocarent. Ipſe actor qui iniuriam ab abaliquo paſſus fuerat adverſarium ſuum ad cauſam in iudicio dicendám vocabat, & habebat unum ex iſtis κλητῆρσι, qui pro teſte eſſet cum id faceret. Ariſtophanes in Veſpis:

Ὁ δί τις ἕτερος ὡς ἔοικεν ἔρχεται
Καλούμενός σε, τόν γε τοι κλητῆρ' ἔχει.

Tunc iſte κλητὴρ dicebatur κλητεύειν τινὶ, hanc operam κλητῆρος ſive teſtis ad vocandum in ius alicui præbere. Apud eundem: In eadem fabula:

--- Προσκαλοῦμαι σ' ὅστις εἶ
Πρὸς τοὺς ἀγορανόμους βλάβης τῶν φορτίων,

Κλη-

Κλητῆρ' ἔχουσα Χαιρεφῶντα τουτονί.

Mulier quæ vænales panes circumferebat, à Philocleone pulſata fuerat, & panes eius in terram deiecti, quæ propterea κλητῆρα ſecum ducens ipſum in ius vocat ut accuſaret βλάβης φορτίων. Paulo poſt, hic Χαιρεφῶν dicitur γυναικὶ κλητεύειν θαψίνῃ, id eſt, mulieri ex morbo expallidæ, operam κλητῆρος ac teſtis præbere. Interdum & ipſi per ſe hoc minus obibant, & tunc teſtes erant ſimul ac vocatores. Mulo aut aſino ſedentes id agebant. Vnde apud eum Ariſtophanem:

Ὥς ἐμοί γ' ἰνδάλλεται
Ὁμοιότατος κλητῆρος εἶναι πωλίῳ.

ὄνον vel ἡμίονον Scholiaſtes interpretatur, & κλητῆρας τοὺς καλοῦντας εἰς δικαστήριον πάντας. Σημαίνει ἡ λέξις καὶ τὸ μάρτυρα. Tunc erant teſtes cum adiungebantur ipſi perſonæ cuius intererat, quæ per ſe adverſarium ſuũ in ius vocabat. Vbi vero ipſi hoc munere defungebantur, κλητῆρες proprie, id eſt, *vocatores* dicebãtur. Etiã per hos κλήτορας illi qui teſtimonium defugiebant, in ius vocari ſoliti, quos κλητεύεσθαι dicebantur, per κλητῆρας nempe vocati. Nam ipſe κλητὴρ ἐκλήτευεν, qui vocabatur ἐκλητεύετο. Ex his liquido poteſt cognoſci, an advocati Iuris veteris Romani iidem

iidem eſſent cum Atticis illis *κλητῆρσι*. Pergamus, dum tepeſcit mucro qua via fert & impetus, in hoc capitis campo ſtragem dare, & reliquas Advocati inſcitias ineptiaſque profligare. Quid ſit *obligatio innocentium*, in eadem lege Marciani, *ad obligationem innocentium*, quærit Advocatus. In Collatione Moſaica haberi *occiſionem* dicit, quod probare non quit. Mox Synopſin Baſilicorum hæc ita Græce ait interpretari, *ἢ κοινωνίαν ποιήσας ἐπὶ τῷ συνθεῖναι συνηγορίαν ἢ μαρτυρίαν κατὰ τῶν ἀνευθύνων*. Ex quibus colligit, eos compilatores legiſſe, *obloqutionem*, non *obligationem*, ut *innocentiũ obloqutio*, eſſet *συνηγορία ἢ μαρτυρία κατὰ τῶν ἀνευθύνων*. Siquidquã à quoquã dictũ ſcriptumve inſcite & inepte, hoc vero ab illo eſt. Vt *obloqutio* ſit *συνηγορία*? Quis hoc unquã Latine doctus ſibi perſuaſerit? *Obloqui* eſt reſponſare, obtrectare, *ἀντιλαλεῖν*, nõ vero *συνηγορεῖν*, quod contrariam habet ſignificationẽ. Qui pro aliquo dicit, non contra dicit. At quid eſt obloqui, niſi proprie cõtra aliquẽ loqui? Nempe idem fere quod *obſtrepere*. Iã vero qui contra aliquem teſtimonium perhibet, non obloquitur. At hæc duo ſimul coniungi vult advocatus, *συνηγορίαν*, & *μαρτυρίαν*, ut hæ duæ voces efficiant quod

in

in Latino putavit ſcriptum fuiſſe *obloquutionem*. Miror, non vidiſſe advocatum Baſilicorum interpretes verbis illis Græcis reddere voluiſſe quod in Marciano legitur: *Item ob inſtruendam advocationem teſtimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit, ſocietatem coierit*. Nam *advocationem ſtruere ac teſtimonia*, plane eſt quod illi Græce dixerunt, συνηγορίαν συνθεῖναι ἢ μαρτυρίαν. An aliter Græce reddi poteſt *Advocatio*, quam nomine συνηγορίας? Dictionem autem *obligationem* non expreſſerunt Baſilicorum interpretes, quia fortaſſe neſcierunt quid proprie ſignificaret. Sed & dicendo κατὰ τῶν ἀνευθυνίων, ſatis expreſſerunt ſententiam illius legis. Nam qui advocationem ſtruit, vel ſtruit, teſtimoniave ad *obligationem innocentium*, utrumque facit contra innocentes. Hoc ſolum igitur reddiderunt illi interpretes quod ad ſenſum faceret declarandum, non ipſam vocem *obligationem*, de verbo ad verbum reddiderunt. Et longe ſane illi melius mentem legis perceperunt, convertendo, συνηγορίαν συνθεῖναι ἢ μαρτυρίαν, quod in lege eſt *ſtruere advocationem teſtimoniave* quam Advocatus, qui *cohortes teſtium quaſi in acie inſtruere* interpretatus eſt. Quod nullam ab-

abſurditatis ὑπερβολὴν reliquam facit. *Obligatio innocentium* quo ſenſu in illo Senatuſconſulto diceretur, ne veteres quidem ſatis aſſequuti videntur. Auctor Moſaicæ Collationis id verbi mutavit in *occiſionem*. Item ſi quis coierit *ad occaſionem innocentium*. Non convenit hoc legi Corneliæ teſtamentariæ de falſis, ſed potius legi Corneliæ de Sicariis ac Veneficis, quæ pœnam deportationis infligebat *ei qui hominem occidiſſet, eiuſque rei cauſa nam tali fuiſſet*. In verbis Senatuſconſuli *obligationem innocentium* ſcriptum fuiſſe, nihil eſt dubii. Sed & hoc ipſum nomen in verbis Hermogeniani ſubtracta voce *innocentium* in aliam ſignificationem mutavit Tribonianus leg. xx. D. eodem. Sic enim ibi ſcribitur: *Falſi pœna coercentur, & qui ad litem inſtruendam advocatione, teſtibus, pecuniam acceperunt, obligationem, pactionem fecerunt, ſocietatem inierunt.* Iurare liquido poſſum, hæc ita interpolata à Triboniano fuiſſe, ac mutata, cum Hermogenianus ſcripſiſſet: *Falſi pœna coercentur, & qui ad litem inſtruendam advocatione, teſtibus, & ad obligationem innocentium pecuniã acceperunt, pactionẽ fecerunt, ſocietatẽ inierunt.* Eamdem omnino rẽ ibi propoſuit, & eadẽ Senatuſcon-

cõſulti verba retulit quæ à Marciano relata ſunt leg. 1. D. eodẽ, & ab Vlpiano leg. IX. Itẽ tit. VIII. Moſaicę Collationis. Sed ex lege nona Vlpiani ea verba, *ad obligationem innocentium*, ſuſtuliſſe videtur Tribonianus. In leg. XX. Hermogeniani interpolavit, & mutavit, ſubtracta voce *innocentium*. Nam quid eſt *obligationem facere? Si obligationem, pactionem fecerunt*. Sane qui paciſcitur, etiam obligat ſibi eum cum quo pactionem facit. Nullum præterea de *obligatione* verbum in eo Senatuſconſulto, niſi quod etiam pœna legis Corneliæ de falſis coercentur qui ad *obligationem innocentium* coierint. Hoc ſeorſim conſtitutum fuit eo Senatus decreto, in quo etiam illud ſeparatim ſancitum eſt, ut eadem pœna legis Corneliæ irrogaretur ei qui ob ſtruendam advocationem teſtimoniave, pecuniam accepiſſet, pactionem feciſſet, & ſocietatem contraxiſſet. Quæ duo cum etiam diviſim, ut veriſimile eſt, poſita forent in verbis Marciano lege illa prima, Tribonianus in unum coniunxit manifeſto falſi crimine. Adeo ut pœnam legis Corneliæ incurrerit, dum titulum illum concinnat ex ſcriptis Iuriſconſultorum peſſimo facinore interpolatorum,

atque

atque ut barbarius rem ipſam eloquar, *falſificatorum.* Miſeret me Advocati, qui putarit, *obloquutionis* vocem hic locum habere poſſe. Quid enim quæſo te *obloquutio eſt innocentium*? *Obloqui* innocentibus nihil aliud eſt, quam interrumpere ſermonem eorum. *Obloquutio*, ſermonis interruptio, ut faciunt qui non expectant donec is quo cum verba commutant, abſolverit quod dicere incœpit, ſed mediis eius verbis ſua interſerunt. Hæc proprie eſt *obloquutio*, quam optimus auctor veterum Gloſſarum bene interpretatur ὁμιλίας ἐγκοπήν. Qui dicentem ergo interturbat, ei obloquitur. Quid erit igitur *obligatio innocentium*? Pronum eſt dicere quid ſit, quandoquidem non licet huic voci falſi crimen intendere. Macer hoc tibi non carmine dicet, ſed leg. 11. D. de concuſſionibus, ubi eiuſdem Senatuſconſulti verba referens, quod citatur & ab Vlpiano, & Marciano, pro *obligationem innocentium*, ut fuiſſe probabile eſt in ipſis S.C. verbis *accuſationem innocentium* ἐξηγητικῶς id dixit. Ita enim ſcribit: *Poteſt iudicium publicum eſſe ex Senatuſconſultis, quibus pœna legis Corneliæ teneri iubentur qui in accuſationem innocentium coierint.* Ex quibus etiam ver-

verbis conſtat, ſeorſim in Senatuſconſulto pœnam legis Corneliæ ei inflictam qui ad *obligationem* ſive accuſationem innocentium coierit, & ſeiunctim eadem pœna teneri iuſſum qui ob ſtruendam Advocationem teſtimoniave pecuniam accepiſſet, pactus eſſet, & ſocietatem coiſſet. Miror &, virum re ac nomine magnum in Sparſione Florum ad Ius Iuſtinianeum, potuiſſe ſententiæ Advocati ſubſcribere, ut putarit Græcos legiſſe, *ad oblocutionem innocentium*. Quod ipſe interpretatur, *ad infamandos innocentes*. Nuſquam me legiſſe puto, *obloqui* idem eſſe quod infamare.

Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Sed vera eſt ſcriptura quæ vulgatur. Nec aliter Græci legerunt. *Obligatio* igitur *innocentium* idem eſt quod accuſatio innocentium. Nam quid eſt *obligare*, niſi ἔνοχον ποιεῖν, reum facere aliquem, & accuſare? Reus Græce ἔνοχος, id eſt, obligatus. Hinc *furti ſe obligare*, *alligare*, *adſtringere*, qui ſemet ipſum furem confitetur. Optimæ Gloſſæ: ἔνοχος, *obnoxius*, *reus*, *obligatus*. Ἐνοχὴ, *obligatus*, *obligatio*. Ἐνοχοποιὸν, *obligatorium*. Gloſſæ Philoxeni: *Obligatio*, ἐνοχὴ, ὑποθήκη. *Obligatus*, ἐν-

δεδεμένος, ἔνοχος, ὑπόχρεως. Vis adhuc aliud ſpecimen peritiæ Advocati tam in iure Romano quam in humaniore litteratura, qui ſe felici mixtura utrumque iunxiſſe gloriatur? En cape ex eodem capite in eadem lege Marciani explicanda & corrigenda. Sequitur enim ex ſecundo eiuſdem legis paragrapho, cui ſuas ineſſe difficultates ait Advocatus: *Sed & ſi quis ad renuntiandum remittendumve teſtimonium, dicendum vel non dicendum, pecuniam acceperit, pœna legis Corneliæ adficitur.* Neſciri hic adfirmat, quid ſit *renutiare teſtimonium* aut *remittere*, & *denumtiandum* pæne omnes editiones habere, non *renuntiandum*, quæ eſt Pandectarum Florentinarum lectio, eaque, ut opinatur, veriſſima. Ego vero falſiſſimam eſſe aio. Aliud, inquit, eſt *renuntiare teſtimonium*, aliud *detuntiare*. Iudex proprie *denuntiabat* teſtimonium in publicis iudiciis ad inſtruendam cauſam accuſatoris, ſive accuſator denuntiabat teſtimonium auctoritate iudicis. Quam iudex ipſe quandoque denuntiare dicebatur. Hæc verba ſunt Advocati, qui dubitare videtur, utrum iudex denuntiaret teſtimonium in publicis iudiciis, an accuſator. Sed iudex, ut vult, quandoque *denuntiare* dicebatur.

Si

Si dicebatur denuntiare, ergo denuntiabat. Cur igitur nobis non explicavit diſtinctius quando iudex ipſe teſtimonium denuntiaret, & quando accuſator? Si quandoque tantum iudex lege teſtimonium denuntiabat ac denuntiare dicebatur, non ſemper id faciebat, ſed aliquando, & accuſator poteſtate denuntiandi à Iudice accepta, denuntiare ipſe quoque cenſebatur. Sed & is quidem magis proprie denuntiabat quam iudex, cum à iudice denuntiandi poteſtatem peteret & acciperet. Accuſator ergo eſt qui denuntiat teſtimonium, iudex qui denuntiandi poteſtatem dat. In lege Mamilia: *Is qui hac lege iudicium dederit teſtibus publicè duntaxat in res ſingulas decem denuntiandi poteſtatem facito.* Apud Plinium Epiſt. v. lib. VI. *Addidit etiam, petendum à conſulibus ut referrent, ſub exemplo legis ambitus, de lege repetundarum, an placeret, in futurum ad eam legem adiici, ut ſicut accuſatoribus inquirendi, teſtibuſque denuntiandi poteſtas ex ea lege eſſet, ita reis quoque fieret.* Ergo ut ex his verbis liquido perſpicitur, accuſatores proprie denuntiabant teſtibus, poteſtate à lege ad id accepta, aut à iudice. Lex dabat poteſtatem accuſatori ſoli in publicis iudiciis denuntiandi teſtimonii, non item

reo. Hæc autem teſtimonii denuntiatio locū tantum habuit in publicis iudiciis, non in privatis. Cicero lib. II. in Verrem: *Quibus ego teſtimonium denuntiavi, quorum nomina edidi Metello, cupidiſſimi veniendi, maximis iniuriis affecti non venerunt.* Idem pro Roſcio Amerino: *Iſtius fide ac potius perfidia decepti, id quod ex ipſis cognoſcere poteritis, ſi accuſator voluerit teſtimonium eis denuntiare, pro re certa ſpem falſam domum retulerunt.* Teſtimonia huius rei multa poſſem proferre, quibus denuntiare accuſator teſtimonium dicitur, ſi hæc non ſufficere putarem. Sed & cum Advocatus fateatur, accuſatorē denuntiare teſtimonium auctoritate iudicis, cur in hac lege de accuſatore accipi non poſſit, nullus video. Nec enim neceſſe eſt de iudicibus accipere, ſiquidem hoc SC. nihil ad iudices pertinuit. Quid igitur opus, legere ut hic legi vult Advocatus, *Sed & ſi quis ad renuntiandum remittendumve teſtimonium pecuniam acceperit?* Renunciare, inquit, teſtimonium, eſt dicere; *remittere* contra, non dicere; quomodo explicat hæc ipſa lex. Quis unquam legit in ullo claſſico vel in Iuris aliquo auctore antiquo, *renuntiare teſtimonium* pro dicere? Nec Gloſſæ veteres, quæ *renuntiare* exponunt

nunt ἀπαγγέλλειν & ἀποφαίνειν, hãc expoſitionem adſtruunt, cum nec omnino Græce dicatur ἀπαγγέλλειν μαρτύριον vel μαρτυρίαν, nec ἀποφαίνειν pro teſtimonium dicere. Ita *renunciare*, inquit, accipitur leg. 1. in principio D. de ventre inſpiciendo. Atqui in illa lege *renuntiandi teſtimonii* nulla mentio. Quæſtio ibi eſt de uxore quæ divorterat, quam prægnantem maritus diceret cum ipſa ſe negaret, de qua conſulti Divi fratres reſcripſerunt, obſtetricibus probatæ fidei & artis tribus inſpiciendam debere tradi, quæ ſi omnes vel duæ *renuntiaverint*, prægnantẽ videri, mulieri dandam eſſe cuſtodiam. An *renuntiare*, quod in eo reſcripto habetur, poſitum eſt pro teſtimonium dicere? Eliguntur obſtetrices ut ventrem eius inſpiciant quæ ſe prægnantem non eſſe profitebatur. Non pro teſtibus illæ nominantur, nec ut teſtimonium dicant contra mulierem, ſed ut, ſi cõpererint eam videri prẹgnantẽ, id renuntient quod ex arte ſua verum eſſe deprehẽderint. Ita mẽſores ubi de agri modo litigatur, mitti ſolent auctoritate iudicis ad eius menſurã agendam ut quem illi modum repererint, *renuncient.* Hoc enim verbo utuntur in hac re Iuriſconſulti, ut & ipſi agrimenſores. Hyginus de limi-

tibus conſtituendis: *Longitudinem autem quoties egarant, renuntiabant.* Titulus eſt in Digeſtis, *ſi menſor falſum modum dixerit.* Quod idem eſt, ac ſi, *falſum modum renuntiaverit*, dixiſſet. Nam & pluribus locis in eodem titulo *renuntiandi* ſit mentio, & *renuntiationis modi.* Ut leg. 1. *Nam intereſt noſtra, ne fallamur in modi renuntiatione.* Vide & ϖ. ultimum eiuſdem legis. Item leg. 111. ϖ. 1. *Competit autem hæc actio ei cuius interfuit falſum modum renuntiatum non eſſe.* Et leg. v. *Si menſor falſum modum non renunciaverit.* Paſſim illo titulo *modum renuntiare agri* legitur, pro eo quod in titulo eſt *modum dicere.* Non tamen *renuntiare* ibi ſumitur pro *teſtimonium dicere.* Sed puto mentis ſuæ tunc non fuiſſe Advocatum cum ſcripſit, *teſtimonium renuntiare* idem eſſe quod dicere, & *remittere* contra non dicere, & eo modo explicare legem ipſam. Sequitur ſane in ea lege, *dicendum vel non dicendum.* Sed an hæc verba poſita ſunt ad explicanda ea quæ præcedunt, *ad renuntiandum remittendumve teſtimonium*? An qui hæc notavit, Latine ſcit? Ut *remittere teſtimonium* ſit idem quod non dicere? ubi hoc reperit? aut unde didicit? Immo *remittit teſtimonium* qui gra-

gratiam dicendi facit, qui non exigit teſtimonii dictionem cum ab invito eam poſſet extorquere. Ergo *renunciare* ibi *teſtimonium* contrarium eſſe debet τῷ *remittere*. Ergo falſa eſt ea ſcriptura Florentinorum Pandectarum, & legi omnino debet ſicut in aliis codicibus habetur, *ad denuntiandum remittendumve teſtimonium*. Sic legitur apud Vlpiannm in Collatione Moſaica cum hunc ipſum locum tractaret: *Sed & ſi quis ob denuntiandum remittendumve teſtimonium pecuniam acceperit.* Nam *denudandum* ibi ſcriptum eſt pro *denunciandum* vitio librarii, cum litteræ c & i coaluiſſent & iota protractius in longitudinem exiiſſet. Cum prius dixiſſet Advocatus, hæc verba *dicendum* & *non dicendum* ἐξηγητικὰ eſſe præcedentium, *denuntiandum* & *remittendumve*, mox capta verſoria mutataque velificatione ſub finem capitis pronunciat è gloſſemate eſſe, quo quis *renunciandum remittendumve* interpretatus errat. Ego nego quenquam tam imperitum potuiſſe reperiri vel inficetiſſimo Latinitatis ſæculo qui *remittere teſtimonium* potuerit interpretari & accipere pro non dicere. Sic *remittere iuſiurandum* eſſet non iurare. At quis neſcit, *re-*

mittere iuſiurandum dici de eo qui gratiam iurandi adverſario facit, qui paratus erat iurare cum delatum ei eſſet iusiurandum. Nuntiationem novi operis etiam *remittit* qui in prohibitione ædificandi alicui facta per nuntiationem novi operis non perſeverat, ſed eius gratiam ei facit. Vnde Titulus in Pandectis *de Remiſſionibus*. Sic qui decretas ſibi è publico impenſas ad ſtatuam ponendam vel monumentum ædificandum non recipit, eas *remittere* dicitur in Inſcriptionibus, in quibus hæc ſæpe occurrunt. *Honore uſus, impenſam remiſit. Honore contentus, impenſam remiſit. Honore accepto, impendium remiſſum.* In his omnibus interpretaretur Advocatus, *impenſam* vel *impendium remittere* idem eſſe quod non impendere, vel impenſam non facere. *Remittit*, ô bone vir, teſtimonium, qui cum id poſſet denuntiare non denuntiat. Atque ita *pro remittere teſtimonium, non denuntiare* dicitur in lege VI. D. ad legem Iuliam repetundarum. Eadem lege tenetur qui *ob denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium pecuniam acceperit*. Sic etiam ponitur in leg. II. D. de concuſſione, ubi Macer eiuſdem ſenatusconſulti ſententiam refert, quo pœna legis

legis Corneliæ de falſis irrogata eſt ei qui ob teſtimonium denuntiandum remittendumve pecuniam acceperit, ut apud Martianum legitur, ſed pro *remittendumve* Macer habet, *aut non denuntiandum*. Quod idem plane eſt. *Poteſt*, inquit, *publicum iudicium eſſe ex Senatuſconſultis, quibus pœna legis Corneliæ teneri iubentur, qui in accuſationem innocentium coierint, quive ob accuſandum vel non accuſandum, denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium pecuniam acceperint*. Sed Advocatus egregius & excellens criticus hoc etiam loco putat corrigi debere, *renuntiandum, vel non renuntiandum*. Quia, inquit, *aliud eſt denuntiare teſtimonium, aliud renuntiare vel dicere*. Ego vero, quid ſit *denuntiare teſtimonium* ſcio, quid ſit *renuntiare* neſcio. Teſtimonium etiam fortaſſe dicebat conſul pro ſuo ſucceſſore qui eum populo renuntiabat. Cur non igitur eandem lectionem reponendam iudicat in leg. v. D. ad legem Iuliam repetundarum, ubi ſimiliter ſcriptum eſt, *ea lege teneri qui ob denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium pecuniam acceperit*? An non & hic melius legeretur, *ad renuntiandum vel non renuntiandum teſtimonium*? Negat Advocatus, quia ad

iudices ipſos hoc pertineat non ad teſtes. *Si quidem*, inquit, *lex Iulia repetundarum ad eos pertinebat tantū qui in magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione vel quo alio officio, munere miniſteriove fuiſſent, quæ omnia nihil ad teſtem.* Miram vide hominis imperitiam in ea profeſſione ex qua ſibi divitias congerit. Putatne quod in ea lege ſcriptum eſt de denuntiando aut non denuntiando teſtimonio pecuuia accepta ad ipſos iudices pertinere? Immo nec ad iudices, qui poteſtatem dant accuſatori denuntiandi teſtibus, nec ad ipſos teſtes. Certe teſtes hac pœna teneri non poſſunt, cum eos potius reſpiciat qui teſtibus denuntiant, hoc eſt qui ad teſtimonium dicendum eos ſibi exhiberi, aut in iudicio ſiſti poſtulant. Quod & *teſtimonium dinuntiare* dicebatur. Certe lex illa Iulia repetundarum, cum vetuit pecuniā accipi ob denuntiandū vel non denuntiandū teſtimonium, de accuſatoribus ipſis intellexit, nō de iudicibus. Ex ea lege, ut Plinius teſtatur Epiſt. v. ad Urſum lib. VI. accuſatoribus poteſtas fuit inquirendi teſtibuſque denuntiandi, non reis. Ergo caverat eadem lex, quæ accuſatoribus poteſtatem dabat teſtimonii denuntiandi, ne ob denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium pecuniam

acci-

acciperent. At ex lege Iulia ambitus non ſolum accuſatoribus, ſed etiam reis licuit teſtibus denuntiare. Ad cuius exemplum hoc tunc addi volebant quidã in ſenatu legi Iuliæ repetundarum, ut reis quoque poteſtas ex eadem fieret denuntiandi teſtibus, ut fiebat accuſatoribus, & peti à conſulibus ut de ea re referrent. Cum igitur in reliquis iudiciis publicis ſoli accuſatores denuntiandi teſtimonii poteſtatem haberent, de iis ſemper accipiendum eſt, cum aliqua lex vetat pecuniam accipi ob teſtimonium *denuntiandum* vel *remittendum*, id eſt, non denuntiandum. Nam qui poteſt denuntiare teſtimonium, poteſt & non denuntiare, vel, quod idem eſt, *remittere*. Ut qui deferre poteſt iusiurandum, eiuſdem eſt & remittere. Non igitur ad teſtes pertinet pœna legis Cornelię de Falſis, nec legis Iuliæ repetundarum, quibus tenebantur qui pecuniam accepiſſent ob teſtimoniũ denuntiandum vel non denuntiandum, ſed ad accuſatores, quibus poteſtas fiebat denuntiandi teſtimonii. Certum quidẽ eſt, etiã ipſos teſtes legis Corneliæ pœna teneri qui ob falsũ teſtimoniũ perhibendũ aut non perhibendũ pecuniã accepiſſent, ut Paulus tradit lib. v. ſententiarum, ſub titulo

titulo Ad legem Corneliam teſtamentariam, cuius etiam verba retulit auctor Moſaicæ Collationis ſub titulo VIII. de falſo teſtimonio: *Hi qui ob falſum teſtimonium pecuniam acceperint, dederint.* Et quæ ſequuntur. Ergo ad teſtes non pertinet quod dictum eſt in lege Marciani D. eodem, *Sed & ſi quis ob denuntiandum remittendumve teſtimonium pecuniam acceperit*, ſed ad accuſatores, qui teſtibus denuntiabant teſtimonium. Quod ſequitur vero, ad teſtes ſpectat, *dicendum vel non dicendum.* Lege Iulia repetundarum iam coercuerat accuſatores, ſed mitior eius pœna fuit quam legis Corneliæ de Falſis. Propterea SC. quod factum eſt duobus Geminis conſulibus, pœnas legis Corneliæ irrogata eſt eis qui ob denuntiandum remittendumve teſtimonium pecuniā accepiſſent. Pœna legis Corneliæ teſtamentariæ de Falſis tam in eos qui pecunia accepta teſtimonium falſum dixiſſent quam qui pecuniā accepiſſent ob denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium, capitalis fuit in humilioribus, in honeſtioribus deportatio, publicatis bonis. At Iulia lex repetundarum exilio ut plurium puniebat eos tantum. Poſt legem Corneliam latam,

tam, qua capite puniebantur aut deportatione qui falſum in teſtamentis feciſſent, varia diverſis temporibus Senatuſconſulta facta ſunt circa falſas teſtationes ac teſtimonia, de quibus nihil caverat lex Cornelia, quæ ſimilem pœnam irrogabant falſi fabricatoribus in teſtimoniis dicendis aut teſtibus producendis, teſtationibuſque faciendis falſis. Titulus Digeſtorum ad legem Corneliam de falſis, meminit SC. Liboniani; *De lege Cornelia, de Falſis, & de SC. Liboniano.* Senatuſcouſultum illud Libonianum factum eſt ſecundo anno Tiberii, ab urbe vero condita DCCLXIX. C. Statilio Tauro & C. Scribonio Libone Coſſ. Ab iſto Libonianum appellatnm, & de eo intellexit Ulpianus apud auctorem Moſaicæ collationis, in iſtis verbis, quæ & ſic legenda ſunt; *Præterea factum eſt Senatuſconſultum Statilio Tauro & Scribonio Libone Coſſ. quo pœna legis Corneliæ irrogatur ei qui aliud quam teſtamentum falſum ſciens ſignaverit, ſignarive curaverit.* De quocunque inſtrumento falſo vel teſtimonio hoc SC. idem ſanxit, quod lex Cornelia teſtamentaria de teſtamentis conſtituerat. Ideo huius Senatuſconſulti cum lege Cornelia teſtamentaria facta eſt

eſt nominatim mentio in illo Titulo Digeſtorum de Falſis. Qui quodcumque aliud quam teſtamentum falſum ſciens ſignaſſet aut ſignari curaſſet, pœna legis Corneliæ eo Senatuſconſulto teneri iubebatur. Poſtea undecim annis circiter aliud factũ Senatuſconſultum tredecimo Tiberii anno, Licinio Craſſo v. & Calpurnio Piſone Coſſ. quo eadem inflicta pœna eſt ei qui falſas teſtationes faciendas, teſtimoniave falſa in necem dicenda aut conſignanda dolo malo curaviſſet. Ita enim ſcribendum apud Vlpianum in Collatione Moſaica, *Licinio v. & Calpurnio Coſſ.* Hoc Senatuſconſultum tam reos quam accuſatores, & quodcumq; hominũ genus qui falſas teſtationes faciendas aut falſa teſtimonia dicenda vel per tabulas danda: curaviſſent, comprehendebat. Poſtremo annis duobus poſt, Tiberii quintodecimo, Senatuſconſultum C. Rubellio Gemino, & C. Furio Gemino Coſſ. factum eſt, quo eadem pœna legis Corneliæ teſtamentariæ impoſita eſt ei qui ob denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium pecuniam accepiſſet. Quod ſolos accuſatores attinebat. Nam ſolis accuſatoribus id conceſſum fuit, atque in publicis quidem

iudiciis

iudiciis, ut dictum eſt, denuntiandi teſtimonii à iudice poteſtatem accipere, quam & aliquando lex ipſa dabat, ut Iulia repetundarum. Eam tamen licentiam denuntiandi teſtimonii lex Iulia de ambitu etiam reis dederat. Et lege quidem repetundarum, qui ſubſcriptionem huius criminis adverſus aliquem edidiſſet, ſi pecuniam ob denuntiandum falſum teſtimonium vel remittendum accepiſſet, perinde tenebatur ac ſi lege Iulia repetundarum condemnatus eſſet. Omnibus vero accuſatoribus quorumcunque criminum, qui ob denuntiandum teſtimonium pecuniam accepiſſent, pœna legis Corneliæ de falſis irrogata eſt per Senatuſconſultum, quod Geminis duobus Coſſ. factum eſt. Sic enim loquitur Ulpianus, apud auctorem Moſaicæ collationis, qui, ut dixi, C. Rubellium Geminũ & C. Furium Geminum conſules *Geminorum duorum* conſulum nomine intellexit. His duobus Geminis Coſſ. Tertullianus Chriſtum paſſum eſſe cum aliquot aliis veterum ſcripſit. Eo igitur Senatuſconſulto omnes accuſatores tenebantur, qui ob denuntiandum teſtimonium vel non denuntiandum pecuniam accepiſſent. Corrumpebat pecunia

cunia

cunia teſtem accuſator, deinde petebat à iudice ut ſibi denuntiandi ei teſti poteſtatem daret. Si iudex & ipſe corruptus, ſciens corruptum eſſe teſtem, denuntiationem teſtimonii decreviſſet, non dubium eſt quin & ipſe teneretur. In hac lege Martiani de pœna iudicis nihil ſancitur qui ab accuſatore corruptus fuerit, ſed de eius tantum qui corruperit: *Sed & ſi quis ob denuntiandum remittendumve teſtimonium, dicendum vel non dicendum, pecuniam acceperit, pœna legis Corneliæ adficitur, & qui iudicem corruperit, corrumpendumve curaverit.* Non tamẽ dubium, quin iudicẽ etiam ipſum, qui pecuniã accepiſſet ob denuntiationem teſtimonii decernendam, pari pœna idem Senatuſconſultum obligaverit. Quod & clare indicat Paulus apud auctorem Moſaicæ collationis, & in lib. v. Sententiarum, ſub titulo ad legem Corneliam teſtamentariam, nam inde auctor Collationis illius ſumpſit: *Hi qui ob falſum teſtimonium perhibendum pecuniam acceperint, dederint, iudicemve ut ſententiam ferat corruperint, corrumpendumve curaverint, humiliores capite puniuntur, honeſtiores publicatis bonis cum ipſo iudice in inſulam deportantur.* Non ergo dubium eſt ex his verbis, quin iudex qui pecuniam acceperit ad denuntiatio-

tiationem falſi teſtimonii corrupto teſti decernendā, eadē pœna teneatur cū ipſo teſte cui denuntiatum ſit teſtimoniū, & cū eo qui poteſtate à iudice accepta illud denunriaverit. Nam & iudex tum quoq; fert ſententiā cum denuntiādi teſtimonii dat poteſtatem. Sine dubio & iudicem corruptum ſimili pœna teneri dixerat in eadem lege Marcianus, ut & Paulus, ſed à Triboniano id interpolatum liquet, in his verbis, quæ ſubiecit paragrapho ſupra citato: *Et qui iudicem corruperit, corrumpendumve curaverit. Sed & ſi iudex conſtitutiones principum neglexerit, punitur.* Manifeſto apparet, hæc verba à Triboniano inſerta eſſe, *qui principum conſtitutiones neglexerit.* Nihil enim ad rem de qua eo titulo agitur pertinent, cum de corruptela tantū iudicis agatur circa teſtes ac teſtium denuntiationē quam petebat accuſator, & iudex decreto ſuo dabat. At ille iudex qui contra conſtitutiones principū pronuntiabat lege Iulia Maieſtatis puniebatur. Is enim principū conſtitutiones negligebat. Circa autē teſtes tā iudex corrūpi poterat quā teſtis, & quā accuſator. Iudex, ſi pecuniā acceperat ad denuntiationē decernendā, vel non dandā: accuſator, ſi ad denuntiandū vel remit-

 ten-

tendum teſtimonium: teſtis ad dicendum vel non dicendum. Scripſerat ergo Marcianus in illa lege 1: *Sed & ſi quis ob renuntiandum remittendumve teſtimonium, diendum vel non dicendum, pecuniam acceperit, pœna legis Corneliæ adſicitur, & qui iudicem corruperit, corrumpendumve curaverit. Sed & ipſe iudex punitur.* Nempe ille iudex qui ſe corrumpi pecunia paſſus fuerit ad ſententiam ſuper falſis teſtimoniis ferendam, aut denuntiationem dandam, vel non dandam. Apuleius cum magię accuſaretur ab Aemyliano, hic eius accuſator teſtimonium Craſſi cuiuſdam tribus millibus nummum coëmerat, deinde petierat à iudice ut denuntiare illi teſti ſibi liceret. Corruptum illum teſtem ac redemptum ea ſumma trium milliū, multis declamitat in apologia ſua Apuleius, dicitque, ſe potuiſſe impedire denuntiationem ſi voluiſſet. *Nam temulantum iſtud mendacium*, inquit, *tribus millibus nummum Aemyliano huic vendidit, idque Oeæ nemini ignoratur. Omnes hoc antequam fieret cognovimus, & potui denuntiationem impedire, niſi ſcirem mendacium tam ſtultum potius Aemyliano qui fruſtra redimebat, quam mihi qui meritò contemnebam, obfuturam.* Ita enim in Apuleio ſcribendum, non ut vulgo editum

tum eſt, *denuntiatione impedire.* Niſi quis malit, *denuntiationi impedire.* Ita enim & hoc verbo cum dandi caſu uſi ſunt. Perperam Gentilis, *impedire ne teſtimonium diceret* interpretatur. Longe peius novitius notarum auctor, qui *denuntiationem* ibi accepit pro delatione & indicio criminis iſtius magiſtratui, ut dixerit Apuleius potuiſſe ſe impedire iniuſtam ſui accuſationem. Quæ nihili ſunt. De teſtimonio unius teſtis in re capitali & iudicio publico ibi agitur, quod redemptum pecunia ab accuſatore arguit. Et corruptum pecunia illum teſtem, cum multo ante reſciſſet, nec quiſquam in urbe id ignoraret; potuiſſe ſe ait denuntianem impedire, id eſt; ne iudex denuntiandi ei teſti poteſtatem accuſatori ſuo daret, cum probaviſſet eum ab adverſario ſuo nimirum eſſe corruptum. Proprie ergo accuſator poteſtate à iudice accepta, denuntiabat teſti ut præſto eſſet ad dicendum teſtimonium. Nam paulo poſt in eadem apologia ita ſcribitur de altero teſte, cui Aemylianus & alii accuſatores Apuleii teſtimonium denuntiaverant: *Occultum fuiſſe fabricatorem ſigilli qui poteſt, cuius vos adeo artificem non ignoraſtis, ut ei, uti præſto eſſent, denuntiaveritis.*

 Hinc

Hinc liquet quo ſenſu ſuperiore pagina *denuntiationem* dixerit. Tribonianus etiam interpolavit in hoc verbo leg. IV. D. de teſtibus, in hunc modũ : *Lege Iulia publicorum iudiciorũ cavetur ne invito denuntietur, ut teſtimonium litis dicat adverſus ſocerum, generum, vitricũ, privignum*, & quæ ſequuntur. Scripſerat Paulus : *Lege Iulia publicorum iudiciorum cavetur, ne invito denuntietur teſtimonium adverſus ſocerum, generum*. Ergo tam invitis quam volentibus denuntiabatur teſtimonium, exceptis ſi qui teſtes expetebantur adverſus generum, ſocerum, & alias affinitatis perſonas quæ ibi recenſentur. In Iure Attico, ut hoc addam in gratiam Advocati, qui nihil crepat niſi commentarios Iuris Attici, πρόκλησις fere eadem eſt quæ in Iure Romano *denuntiatio*, cum de teſtibus ſermo eſt. Et προκαλεῖσθαι εἰς μαρτυρίαν, idem eſt quod *denuntiare teſtimonium*. Vt enim προκαλεῖσθαι εἰς μάχην eſt *denuntiare certamen*, ita προκαλεῖσθαι εἰς μαρτυρίαν, teſtimonium denuntiare eſt. Harpocration : πρόκλησις. εἰώθεσαν ὁπότε δικάζοιντό τινες ἐξαιτεῖν ἐνίοτε θεράπαινας ἢ θεράποντας εἰς βάσανον, ἢ εἰς μαρτυρίαν τοῦ πράγματος, καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο προκαλεῖσθαι. Ubi πρόκλησις εἰς μαρτυρίαν denuntiatio

tiatio eſt teſtimonii, & προκαλεῖσθαι denunciare. Hinc πρόκλησιν μαρτυρεῖν dicuntur apud Demoſthenem qui ex denuntiatione teſtimonium dicunt, ut ἀκοὴν μαρτυρεῖν, qui ex auditione. Πρόκλησις ipſe libellus dicebatur quo peti ſolebat in iudicio poteſtas denuntiandi teſti, vel etiã quo ſervi & ancillæ ad quæſtionem poſtulabantur. Προκαλεῖσθαι μάρτυρας, erat denuntiare teſti, ut veniret in iudicium teſtimonium ſuper ea re quam noverat dicturus. Etiam domino denuntiabatur per πρόκλησιν, ut ſervum vel ancillam daret in quæſtionẽ ad veritatem criminis quod latebat eruendam. Et ſic concipiebatur: Ἀπολλόδωρος προκαλεῖται Στέφανον παραδοῦναι τὸν παῖδα τὸν ἀκόλουθον εἰς βάσανον περὶ ὑφαιρέσεως τοῦ γραμματείου. *Apollodorus denuntiat Stephano, ut dedat ad quæſtionem ſervum ſuum pediſequum de ſubtractione tabularum.* Unde apud Demoſthenem in priore contra Stephanũ; λαβέ μοι ταύτην τὴν μαρτυρίαν, καὶ τὴν πρόκλησιν ἀναγίγνωσκε. Harpocration: τόδε γραμματεῖον τὸ περὶ τούτου γραφόμενον ὠνομάζετο πρόκλησις. Qui de teſtimonio denuntiando ſcribebatur, ita ſolebat concipi, Προκαλεῖται ὁ δεῖνα τὸν δεῖνα, περὶ μαρτυρίας τοῦδε ἢ τοῦδε πράγματος. Cum te-

ſtes ad teſtimonium dicendum in ius venire recuſabant, ac teſtimonium defugerent, ſolebant κλητεύεσθαι, & ἐκκλητεύεσθαι. Harpocration : λέγεται κλητεύεσθαι καὶ ἐκκλητεύεσθαι ἐπὶ μαρτύρων ὅταν μὴ ὑπακούωσιν πρὸς τὴν μαρτυρίαν ἐν τοῖς δικαστηρίοις. Non explicat an idem ſit κλητεύεσθαι, & ἐκκλητεύεσθαι. Certe hæc verba Pollux ita diſtinguit, ut κλητεύεσθαι ſit vocari in ius ad teſtimonium dicendum, ἐκκλητεύεσθαι vero de eo dicatur qui cum recuſaſſet vocatus venire in iudicium ad teſtimonium ferendum, pœna teneretur trium millium drachmarũ perſolvendarum. Κλητεύεσθαι μὲν οὖν, inquit, ἐστὶ τὸ καλεῖσθαι εἰς μαρτυρίαν, ἐκκλητεύεσθαι δὲ τὸ δίκην ὀφείλειν ἐπὶ τῷ τὰς χιλίας καταβαλεῖν. Qui ἐκκλητεύετο, id eſt, qui in ius vocabatur ad teſtimonium dicendum, neceſſitate conſtringebatur aut teſtimonii perhibendi aut eiurandi teſtimonii cum iuratus diceret ſe nec vidiſſe nec interfuiſſe rei cuius probatio requirebatur. Si nec veniſſet ad teſtimonium dicendum, nec eiuraſſet teſtimonium, quod ἐξομόσασθαι dicebatur, tum nihil reliqui erat quin pœnam lege inflictam ei qui defugerat teſtimonium, ſubiret, ac mille drachmas ſolveret. Tunc ἐκκλητεύεσθαι

θαι dicebatur. Nam κλητεύεται, qui in ius vocatur ad dicendum teſtimonium, ἐκκλητεύεται cui dica ſcribitur λιπομαρτυρίου, qui ad ſolvendam multam, quod defugerit teſtimonium, in ius vocatur. Idque etiam Aeſchines oſtendit in ea contra Timarchum, ἐὰν ᾗ προαίρηται ἐκκλητεύθῆναι μᾶλλον ἢ τἀληθῆ μαρτυρεῖν, id eſt, *ſin malit iudicium potius ſubire deſerti teſtimonii quam vera pro teſtimonio dicere*. Hoc enim eſt ἐκκλητευθῆναι. Hoc interpretatur Suidas; τὰ ἐγκαταλιπόντων μαρτυρίαν ὀνόματα ἐν δικαστηρίῳ κηρύσσεσθαι. *Nomina eorum qui defugerant teſtimonium, in iudicio proclamabantur.* Atque hæc hactenus. Plura & meliora expectamus ab Advocato, ſi modo nobis dabit iampridem ſperatos Attici Iuris Commentarios. Quid tamen ex illis polliceri nobis debeamus, quæ iam docuimus in ſuperioribus fidem faciunt. Ex uno porro capite diſce omnia. Nam cætera ſimilia ſunt, ut in proclivi fuerat docere, ſi licuiſſet aut ſi libuiſſet. Vbique in his quæ ſequuntur & quæ præcedunt, idem genius errores erroribus cumulantis, halucinationes halucinationibus, hariolationes hariolationibus. In tota quanta eſt libri mole, οὐδὲν ὑγιές, ſed, ut ait ille, ἅπαν ῥύπος,

ἔργον ἐπ' ἔργῳ, ſicut δεῖγμα quod hic exhibuimus, fidē facere facile cuivis poteſt. Quare in poſterum ſi ſapiet, meliorum, præter ius ac fas reprehenſione abſtinebit, & malo cavebit.

F I N I S.

INDEX.

A*Bacus*. 450. *in illo exponebantur pocula & vaſa argentea, &c.* 489. 498. *etiam commodato accepta.* 485. *ornatus ſaltem gratia.* 500. *locuiis diſtinctus erat.* 501.
Actio ex vendito quando? 178
Actio βλάβης. 251
Actio furti. 251
Actus & Agere de navigio. 727
Actuaria navigia ibid. & 730
Addictus & Addicere quid? 311
Additius vel Addictitius 337
Additus interdum pao addictus. 338
Α'δικία *quid apud Græcos, & quot modis ſumatur.* 226
Adoptio ſororis filii. 140
Advocationis nomine quid comprehendatur. 848.
Advocati unde dicti. 849. *eorum honorarium poſt actam cauſam.* 852. 854
Aediles ſordidarum artium opificibus ius reddebant. 538
Aeramenta. 525
Aeſtimare iniuriam. 239
Aeſtimatio pœnæ. 247. *non fit in publicis iud iciis ab actore:* 251
A g apæ. 88. *fuerant* συσσίτια. 148

cunia teſtem accuſator, deinde petebat à iudice ut ſibi denuntiandi ei teſti poteſtatem daret. Si iudex & ipſe corruptus, ſciens corruptum eſſe teſtem, denuntiationem teſtimonii decreviſſet, non dubium eſt quin & ipſe teneretur. In hac lege Martiani de pœna iudicis nihil ſancitur qui ab accuſatore corruptus fuerit, ſed de eius tantum qui corruperit: *Sed & ſi quis ob denuntiandum remittendumve teſtimonium, dicendum vel non dicendum, pecuniam acceperit, pœna legis Corneliæ adficitur, & qui iudicem corruperit, corrumpendumve curaverit.* Non tamẽ dubium, quin iudicẽ etiam ipſum, qui pecuniã accepiſſet ob denuntiationem teſtimonii decernendam, pari pœna idem Senatuſconſultum obligaverit. Quod & clare indicat Paulus apud auctorem Moſaicæ collationis, & in lib. v. Sententiarum, ſub titulo ad legem Corneliam teſtamentariam, nam inde auctor Collationis illius ſumpſit: *Hi qui ob falſum teſtimonium perhibendum pecuniam acceperint, dederint, iudicemve ut ſententiam ferat corruperint, corrumpendumve curaverint, humiliores capite puniuntur, honeſtiores publicatis bonis cum ipſo iudice in inſulam deportantur.* Non ergo dubium eſt ex his verbis, quin iudex qui pecuniam acceperit ad denuntiatio-

tiationem falſi teſtimonii corrupto teſti decernendã, eadẽ pœna teneatur cũ ipſo teſte cui denuntiatum ſit teſtimoniũ, & cũ eo qui poteſtate à iudice accepta illud denunriaverit. Nam & iudex tum quoq; fert ſententiã cum denuntiãdi teſtimonii dat poteſtatem. Sine dubio & iudicem corruptum ſimili pœna teneri dixerat in eadem lege Marcianus, ut & Paulus, ſed à Triboniano id interpolatum liquet, in his verbis, quæ ſubiecit paragrapho ſupra citato: *Et qui iudicem corruperit, corrumpendumve curaverit. Sed & ſi iudex conſtitutiones principum neglexerit, punitur.* Manifeſto apparet, hæc verba à Triboniano inſerta eſſe, *qui principum conſtitutiones neglexerit.* Nihil enim ad rem de qua eo titulo agitur pertinent, cum de corruptela tantũ iudicis agatur circa teſtes ac teſtium denuntiationẽ quam petebat accuſator, & iudex decreto ſuo dabat. At ille iudex qui contra conſtitutiones principũ pronuntiabat lege Iulia Maieſtatis puniebatur. Is enim principũ conſtitutiones negligebat. Circa autẽ teſtes tã iudex corrũpi poterat quã teſtis, & quã accuſator. Iudex, ſi pecuniã acceperat ad denuntiationẽ decernendã, vel non dandã: accuſator, ſi ad denuntiandũ vel remit-

 ten-

tendum teſtimonium: teſtis ad dicendum vel non dicendum. Scripſerat ergo Marcianus in illa lege 1: *Sed & ſi quis ob renuntiandum remittendumve teſtimonium, diendum vel non dicendum, pecuniam acceperit, pœna legis Corneliæ adficitur, & qui iudicem corruperit, corrumpendumve curaverit. Sed & ipſe iudex punitur.* Nempe ille iudex qui ſe corrumpi pecunia paſſus fuerit ad ſententiam ſuper falſis teſtimoniis ferendam, aut denuntiationem dandam, vel non dandam. Apuleius cum magię accuſaretur ab Aemyliano, hic eius accuſator teſtimonium Craſſi cuiuſdam tribus millibus nummum coëmerat, deinde petierat à iudice ut denuntiare illi teſti ſibi liceret. Corruptum illum teſtem ac redemptum ea ſumma trium milliũ, multis declamitat in apologia ſua Apuleius, dicitque, ſe potuiſſe impedire denuntiationem ſi voluiſſet. *Nam temulantum iſtud mendacium,* inquit, *tribus millibus nummum Aemyliano huic vendidit, idque Oeæ nemini ignoratur. Omnes hoc antequam fieret cognovimus, & potui denuntiationem impedire, niſi ſcirem mendacium tam ſtultum potius Aemyliano qui fruſtra redimebat, quam mihi qui meritò contemnebam, obfuturam.* Ita enim in Apuleio ſcribendum, non ut vulgo editum

tum eſt, *denuntiatione impedire*. Niſi quis malit, *denuntiationi impedire*. Ita enim & hoc verbo cum dandi caſu uſi ſunt. Perperam Gentilis, *impedire ne teſtimonium diceret* interpretatur. Longe peius novitius notarum auctor, qui *denuntiationem* ibi accepit pro delatione & indicio criminis iſtius magiſtratui, ut dixerit Apuleius potuiſſe ſe impedire iniuſtam ſui accuſationem. Quæ nihili ſunt. De teſtimonio unius teſtis in re capitali & iudicio publico ibi agitur, quod redemptum pecunia ab accuſatore arguit. Et corruptum pecunia illum teſtem, cum multo ante reſciſſet, nec quiſquam in urbe id ignoraret, potuiſſe ſe ait denuntianem impedire, id eſt; ne iudex denuntiandi ei teſti poteſtatem accuſatori ſuo daret, cum probaviſſet eum ab adverſario ſuo nimirum eſſe corruptum. Proprie ergo accuſator poteſtate à iudice accepta, denuntiabat teſti ut præſto eſſet ad dicendum teſtimonium. Nam paulo poſt in eadem apologia ita ſcribitur de altero teſte, cui Aemylianus & alii accuſatores Apuleii teſtimonium denuntiaverant: *Occultum fuiſſe fabricatorem ſigilli qui poteſt, cuius vos adeo artificem non ignoraſtis, ut ei, uti præſto eſſent, denuntiaveritis.*

Hinc liquet quo ſenſu ſuperiore pagina *denuntiationem* dixerit. Tribonianus etiam interpolavit in hoc verbo leg. IV. D. de teſtibus, in hunc modũ: *Lege Iulia publicorum iudiciorũ cavetur ne invito denuntietur, ut teſtimonium litis dicat adverſus ſocerum, generum, vitricũ, privignum*, & quæ ſequuntur. Scripſerat Paulus: *Lege Iulia publicorum iudiciorum cavetur, ne invito denuntietur teſtimonium adverſus ſocerum, generum*. Ergo tam invitis quam volentibus denuntiabatur teſtimonium, exceptis ſi qui teſtes expetebantur adverſus generum, ſocerum, & alias affinitatis perſonas quæ ibi recenſentur. In Iure Attico, ut hoc addam in gratiam Advocati, qui nihil crepat niſi commentarios Iuris Attici, πρόκλησις fere eadem eſt quæ in Iure Romano *denuntiatio*, cum de teſtibus ſermo eſt. Et προκαλεῖσθαι εἰς μαρτυρίαν, idem eſt quod *denuntiare teſtimonium*. Vt enim προκαλεῖσθαι εἰς μάχην eſt *denuntiare certamen*, ita προκαλεῖσθαι εἰς μαρτυρίαν, teſtimonium denuntiare eſt. Harpocration: πρόκλησις. εἰώθεσαν ὁπότε δικάζοιντό τινες ἐξαιτεῖν ἐνίοτε θεράπαινας ἢ θεράποντας εἰς βάσανον, ἢ εἰς μαρτυρίαν τοῦ πράγματος, καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο προκαλεῖσθαι. Ubi πρόκλησις εἰς μαρτυρίαν denuntiatio

tiatio eſt teſtimonii, & προκαλεῖσθαι denuntiare. Hinc πρόκλησιν μαρτυρεῖν dicuntur apud Demoſthenem qui ex denuntiatione teſtimonium dicunt, ut ἀκοὴν μαρτυρεῖν, qui ex auditione. Πρόκλησις ipſe libellus dicebatur quo peti ſolebat in iudicio poteſtas denuntiandi teſti, vel etiã quo ſervi & ancillæ ad quæſtionem poſtulabantur. Προκαλεῖσθαι μάρτυρας, erat denuntiare teſti, ut veniret in iudicium teſtimonium ſuper ea re quam noverat dicturus. Etiam domino denuntiabatur per πρόκλησιν, ut ſervum vel ancillam daret in quæſtionẽ ad veritatem criminis quod latebat eruendam. Et ſic concipiebatur: Ἀπολλόδωρος προκαλεῖται Στέφανον παραδοῦναι τὸν παῖδα τὸν ἀκόλουθον εἰς βάσανον περὶ ὑφαιρέσεως τοῦ γραμματείου. *Apollodorus denuntiat Stephano, ut dedat ad quæſtionem ſervum ſuum pediſequum de ſubtractione tabularum.* Unde apud Demoſthenem in priore contra Stephanũ; λαβέ μοι ταύτην τὴν μαρτυρίαν, καὶ τὴν πρόκλησιν ἀναγίγνωσκε. Harpocration: τόδε γραμματεῖον τὸ περὶ τούτου γραφόμενον ὀνομάζεται πρόκλησις. Qui de teſtimonio denuntiando ſcribebatur, ita ſolebat concipi, Προκαλεῖται ὁ δεῖνα τὸν δεῖνα, περὶ μαρτυρίας τοῦδε ἢ τοῦδε πράγματος. Cum te-

 ſtes

ſtes ad teſtimonium dicendum in ius venire recuſabant, ac teſtimonium defugerent, ſolebant κλητεύεσθαι, & ἐκκλητεύεσθαι. Harpocration : λέγεται κλητεύεσθαι ἢ ἐκκλητεύεσθαι ἐπὶ μαρτύρων ὅταν μὴ ὑπακούωσιν πρὸς τὴν μαρτυρίαν ἐν τοῖς δικαστηρίοις. Non explicat an idem ſit κλητεύεσθαι, & ἐκκλητεύεσθαι. Certe hæc verba Pollux ita diſtinguit, ut κλητεύεσθαι ſit vocari in ius ad teſtimonium dicendum, ἐκκλητεύεσθαι vero de eo dicatur qui cum recuſaſſet vocatus venire in iudicium ad teſtimonium ferendum, pœna teneretur trium millium drachmarũ perſolvendarum. Κλητεύεσθαι μὲν οὖν, inquit, ἐστὶ τὸ καλεῖσθαι εἰς μαρτυρίαν, ἐκκλητεύεσθαι δὲ τὸ δίκην ὀφείλειν ἐπὶ τῷ τὰς χιλίας καταβαλεῖν. Qui ἐκκλητεύετο, id eſt, qui in ius vocabatur ad teſtimonium dicendum, neceſſitate conſtringebatur aut teſtimonii perhibendi aut eiurandi teſtimonii cum iuratus diceret ſe nec vidiſſe nec interfuiſſe rei cuius probatio requirebatur. Si nec veniſſet ad teſtimonium dicendum, nec eiuraſſet teſtimonium, quod ἐξομόσασθαι dicebatur, tum nihil reliqui erat quin pœnam lege inflictam ei qui defugerat teſtimonium, ſubiret, ac mille drachmas ſolveret. Tunc ἐκκλητεύεσθαι

ϑαι dicebatur. Nam κλητεύεται, qui in ius vocatur ad dicendum teſtimonium; ἐκκλητεύεται cui dica ſcribitur λιπομαρτυρίου, qui ad ſolvendam multam, quod defugerit teſtimonium, in ius vocatur. Idque etiam Aeſchines oſtendit in ea contra Timarchum, ἐὰν ἢ προαίρηται ἐκκλητευθῆναι μᾶλλον ἢ τἀληθῆ μαρτυρεῖν, id eſt, *ſin malit iudicium potius ſubire deſerti teſtimonii quam vera pro teſtimonio dicere*. Hoc enim eſt ἐκκλητευθῆναι. Hoc interpretatur Suidas; τῶν ἐγκαταλιπόντων μαρτυρίαν ὀνόματα ἐν δικαστηρίῳ κηρύσσεσθαι. *Nomina eorum qui defugerant teſtimonium, in iudicio proclamabantur*. Atque hæc hactenus. Plura & meliora expectamus ab Advocato, ſi modo nobis dabit iampridem ſperatos Attici Iuris Commentarios. Quid tamen ex illis polliceri nobis debeamus, quæ iam docuimus in ſuperioribus fidem faciunt. Ex uno porro capite diſce omnia. Nam cætera ſimilia ſunt, ut in proclivi fuerat docere, ſi licuiſſet aut ſi libuiſſet. Vbique in his quæ ſequuntur & quæ præcedunt, idem genius errores erroribus cumulantis, halucinationes halucinationibus, hariolationes hariolationibus. In tota quanta eſt libri mole, οὐδὲν ὑγιὲς, ſed, ut ait ille, ἅπαν ῥύπος,

ἔργον ἐπ' ἔργῳ, ſicut δεῖγμα quod hic exhibuimus, fidē facere facile cuivis poteſt. Quare in poſterum ſi ſapiet, meliorum, præter ius ac fas reprehenſione abſtinebit, & malo cavebit.

F I N I S.

INDEX.

Abacus. 450. in illo exponebantur pocula & vaſa argentea, &c. 489. 498. etiam commodato accepta. 485. ornatus ſaltem gratia. 500. loculis diſtinctus erat. 501.
Actio ex vendito quando? 178
Actio βλάβης. 251
Actio furti. 251
Actus & Agere de navigio. 727
Actuaria navigia ibid. & 730
Addictus & Addicere quid? 311
Additius vel Addictitius 337
Additus interdum pro addictus. 338
Ἀδικία quid apud Græcos, & quot modis ſumatur. 226
Adoptio ſororis filii. 140
Advocationis nomine quid comprehendatur. 848.
Advocati unde dicti. 849. eorum honorarium poſt actam cauſam. 852. 854
Aediles ſordidarum artium opificibus ius reddebant. 538
Aeramenta. 525
Aeſtimare iniuriam. 239
Aeſtimatio pœnæ. 247. non fit in publicis iudiciis ab actore. 251
Agapæ. 88. fuerunt συσσίτια. 148

INDEX.

Ἀγερμὸς quid? 13
Ἀγορᾶς variæ notionis. 171
Ἀγοράζειν quid? 173
Agnati & agnatio. 124
Agrippa Menenius collata ſtipe funeratus. 19
Agyrta. 14
Ἀγὼν & δίκη *ſynonima ſunt.* 304
Ἀγώγιμοι. 312. *iidem qui addicti.* 322. *ſeq.*
Αἰκία *quid?* 227. 282. 267. *eius actione caput non petebatur.* 275. *non fit ſine* ὕβρει. 229. *eius iudicium privatum.* 230. 234. 252. *differt ab* ὕβρει *ut genus à ſpecie.* 230
Αἱμασιὰ *quid?* 354. 355. *eius &* τειχίς *differentia.* 356. *eius Etymon* ibid. *& genera apud Varronem.* 357
Αἰτία *Græcis quid.* 304
Amicitiarum genera varia. 132
Amſanctæ. 814
Amſegetes. 874
Antermini ibidem.
Amteſtari quid. 811. *ſeqq. it.* 814. *amteſtandi actus.* 817
Antigraphum. 206. *idem quod* ἰσότυπον. ibid:
A paribus quid. 212
Ἀπόρρητα *quid.* 263
Aquiminale an in argento potorio, an eſcario. 470.
Archigubernus. 388

Argen-

Argenti nomine ſimpliciter poſito quid continentur. 443. 452. *Iuriſconſultis idem cum argento facto.* 468
Argentum factum. 444. 458. *ſeq.*
Argentarium & argentaria. 449. 450. 451. *& ſeq.*
Argentum quod in legationem euntibus dababatur. 453. & 454.
Argentum in opere. 459
Argenti tria genera apud auctores, infecti, facti & ſignati. 461
Argentum eſcale & potorium, an legato continea tur 471. *tres diverſæ Iuriſconſultorum de eo ſententiæ.* 482
Argentum miniſterii. 494
menſale. 495. *eius verus uſus ad epulas.* 500
Artium mercenariarum duo genera. 547
Arundo creſcens, texta. 697
Ἀρξαὶ χειρῶν ἀδίκων. 270
A ſervitute obſtare. 364
Aſſe pro ſemel. 394
A Sole obſtare. 364
Ἀτίμητος, 250
Auctor quid? 309
Auctiones publicæ. 335
Auctorati milites. 426
Auctoritatem defugere. 818
Aurem imã tangere inter amteſtandũ. 812. 816

Auri

Auri infecti nomine quid contineatur. 442. 443.
Αὐτονομία & Αὐτόνομοι. 613

B.

Βδελυρία. 284
Beneficium mercenarium. 542
Binæ tabulæ teſtamenti. 202. 203
Βιώτης. 333. ſeqq.
Blaſphemia. 263
Bona ſequi. 296
Bona defuncti poſſunt recipere augmentum. 397

C.

Cædi & Cædes. 280
Caliclare. 488. 498
Calumnia. 289
Candelabra argentea an ſint in ſupellectile. 466
Caniſtra ſiccaria. 499
Captura quid Latinis. 528
Caſſare. 299
Caſus fortuiti & inſoliti. 510
Caſus maiores qui apud Iuriſconſultos. 512.
Cauſam appellare. 302
Cauſa cadere. 303
Celeces navigii genus. 699
Celox. 714
Chalcologi Collegiorum. 145

Chirographum in mutuo & depoſito non facit obligationem. 759. *probatio debiti illo continetur.* 759
Chirographarius creditor, debitor. ibidem.
Chreſtologus. 377
Circumforanei. 95
Civitatis mutatio in cive Romano quot modis fiebat. 588
Civitates ſtipendiariæ, liberæ & fœderatæ. 590
Cœna popularis. 84
Codicariæ. 659
Codices duo, id eſt, duo exemplaria. 196
Cocionatura. 155
Cocionatores. 173. 843. 854
Cognationes. 122. 123
Cognitores. 329. *ſeq. qui fuerunt.* 332
Cognitura. 331
Collatio κατ' ἄνδρα. 19
Collationem facere, ferre. 40
Collegium eraniſtarum. 26
Collegium, συσσίτιον. 150
Collegia varia Athenis. 90
Collegia omnia religionem pro fine habuerunt. 148
Collegia prædonum & piratarum illicita. 92
Collegia ἱερατικὰ, 101
Callactanei. 134
Colligere eranum. 39

Comeſſatio & comiſſare. 62. *non fiebant de ſymbolis.* ibid.
Commeatum præbere. 172
Communia apud barbaros. 26
Commodum eſſe. 389.
Compactum facere. 803
Concides & Concædes. 355
Concutere Latinis quid? 298. 300
Concutere imperium populi. 296.
Condictio ob turpem cauſam quando locum habeat. 551
Conditiones, quæ in faciendo conſiſtunt, quomodo implendæ. 407
Confratriæ. 147
Conſentire in corpus. 435
Conſignatum quid. 785
Conſtratæ quid. 723
Conteſtari quid? & conteſtari litem. 243. 818
Contumelia quid. 227. *ſeqq.* κακηγορία. 234. 264. *duum generum.* 265
Contumelioſa verba 265
Conventicula agere. 139
Convivium ex ſymbolis. 10. 87. ἔρανος dicitur. 66. 78
Convivium nuptiale, γάμος. 67
Convivium, εἰλαπίνη. 67
Convivia συναγώγιμα. 69. 70
Convivium exhibens, ἑστιάτωρ. 72

Convivia duplicis generis. 73
Convitium, convitiari. 261
Convitium petulans. 266
Corbitæ, naves frumentariæ rotundæ. 652. 704
Credere & in creditum ire. 190. 193
Credere ubique pro mutuo dare. 194
Creditum idem cum mutuo. 191
Cremium. 568
Creſcere gemino ordine quid? 697
Criminis appellatio apud Romanos. 292
Crocuphantia reticula. 161
Curiæ apud Romanos. 137
Curiales ſacrificia & epulas curiis faciebant. 146.

D.

DEbitum & creditum relata. 191
Debitor æris. 330
Decuriæ. 136
Dedere pro addicere. 338
Dediticiorum ſupplicium. 639
Defungi, defunctorie. 379
Delphica. 450. 485. *in illa argentum & vaſa ad ornatum & oſtentationem exponebantur.* 500
Demi quid apud Athenienſes. 98. 152
Demotæ. 110
Denunciatio apud Apuleium quid? 882. *item in*

in l. 4. ff. de teſtibus. 884
Denunciatio eadem quæ προσκλησις. 884
Δημοσιώνης. 334
Δημόσιοι δοῦλοι. 642
Δεῖγμα quid? 382. & δειγματος χάειν. 383
Deos poſt ſacrificia, veteres ad epulas invitabant. 76
Depeſtus, depeciſci falſum teſtimonium, depeſtores. 801. 802
Depoſitio teſtis quid. 789
Deſignatus quid? 361
Detrimen. 570
Δίκαι & δίκη quid? 231
Dica τῆς κακηγορίας & αἰκίας. 234. 276. eius pœna pecuniaria. 277
Δίκη ἀνατίμητος. 249. 260
Δίκη τιμητὸς. 250
Dica κακώσεως uxoribus contra maritos, & natis contra parentes ob male-tractationem data. 296
Dica quid proprie ſignificet? 302. 303
Dica inpuriarum. 303
Dicare, dicatus, dicatio. 380
Dicatione mutare civitatem. 583
Dicis gratia quid? 378. unde derivetur. 380
Dii πολιοῦχοι. 145
Διώκειν quid? 289

Dio-

Diobolaria proſtibula. 352
Ditio, ditiones, ſub ditione eſſe. 600
Domnædius. 73
Domeſtica vaſa. 505
Domus inſtructa legata. 505
Dromades meretrices. 352

E.

EEcleſiæ ſuburbicariæ. 342
Εἰσαγγελία. 292. ſimilis ſtellionatui. 293. non eſt criminis certi appellatio. 301.
Ἐκμαρτυρία quid. 833. ſeq. 839. eius ferendæ modus. 836. non omnino eadem cum teſtatione. 840
E liminare quid? 367
Ἔμποροι qui? 94
Emptio eſt cum in corpore conſenſus, licet de quolitate diſſenſus interveniat. 438
Empulæ vel Empolæ quid? 158. 164. 526
Enallage caſuum frequens in Pandectis. 176
Enthecа quid. 165
Ἐπιχειρεῖν quid? 247. 242
Ἐπήρεια. 285. 288. diverſum quid à calumnia. 289
Ἐπηρεασμός. 288. eius contrarium χάρις.

ερεις. ibidem.
Epulum ſacrum. 77
Epulæ communes. 148
Epulæ quatriduanæ, triduanæ. 179
Equi deſultores. 699
Ἔρανος *quid?* 4. *vox generalis.* 63. *unde dicotur.* 45. *medium quoddam inter creditum & eleemoſynam.* 7. *in quibus obtinuit & eius genera.* 10. *eius colligendi modus.* 12. *ſeq.* 23. *non eſt ſymbola.* 86
Ἐράνου πλήρωσις. 29
Ἐράνου πληρωταί. 29. *in conviviis qui.* 69
Ἐρανικαὶ δίκαι. 52
Ἐρανίζειν & ἐρανίζεσθαι *quid apud Græcos.* 57 58
Ἐράνου μετέχειν. 86
Eranum colligere & conferre diverſa, ſed tamen relata. 41. *ſeq.*
Erani collatio libera & voluntaria. 60
Eranarcha. 27. 28. 63
Eraniſta quid? 31. *penſiones menſtruas inferebant in arcam Collegii communem.* 46. *eorum officium voluntarium.* 49. *erant ἐράνου πληρωταί.* 50
Eraniſtarum κοινόν. 62
Ἐργώνης. 334
Error in qualitate & materia. 430. *ſeq. circa qualitatem ſolam.* 433

Eſcaria & potoria fictilia & vitrea. 469. *ſunt inſupellectili.* 470. 473. *non pertinent ad abacum.* 472
Exauctorare quid. 426
Exauctoratio ſine infamiæ nota. 426. 428. *ignominioſa.* 427. *eius formula.* ibidem.
Exemplarium & exemplar. 202
Exemplum ἴσον. 211
Exemplum & exemplar differunt ſed confuſe uſurpantur. 222
Extar quid. 222
Exteri qui. 577. 584. *diſtinguuntur à ſuis.* 577.
Extranei. 578

F.

Facta & eventus diverſa. 344
Facta cauſarum non ſunt eventus cauſarum. 345
Familiæ. 120. 130. *eius ſacra.* 121.
Familiarum patres. 128
Familiæ princeps. 141
Famoſi libelli. 264
Fatum, fatale damnum, fortuna apud Iuriſconſultos. 512
Fideicommiſſarius conditionem à teſtatore

re adſcriptam explere debet. 404. *ſeq.*
Fiducia pro hypotheca. 244. 392. *eius etymon* ibid.
Fiduciatus & fiduciarius. 392
Finis pretii quid? 419
Finis præſtitutus. 418
Finire pro taxare. 419
Fines & præſidia eiuſdem notionis. 646
Fœderati populi Romanis quomodo habiti. 579. *ſeq.*
Fœderum duo genera. 599
Fœdus æquum. 601. 614. 639
Fortuiti caſus. 512
Forum. 172
Frugalis & frugalitas. 376
Fructus rerum apud Tacitum. 373
Functio, fungi, 184. *ſeq.* 187. 188.
Functionem recipere. 186. 187
Functiones publicæ in Codice quæ. 187
Fungi mutua vice. 186
Fundere & refundere pecuniam. 44
Fuſio. ibidem.

G.

G*Aleræ ſuæ Galeæ, naves.* 654. 657. 662. 684. 719
Generoſus unde.

Gens

Gens apud Latinos quid notet. 120.122
Gentilitas. 122
Genue idem & ſuum differunt. 188
Geoponica Quintiliorum. 370
Gratioſus qui dicebatur. 422
Gratioſa miſſio. ibidem.
Γραφαὶ & γράφεσθαι *quomodo uſurpentur.* 231
Γραφὴ ὕβρεως, αἰκίας & τραύματος. 276
Gubernum progubernaculo. 388

H.

HAeres conditionem à teſtatore adſcriptam explere debet. 404.*ſeq.*
Ἡμιολία. 702. & Ἡμιολία ναῦς. 703
Holoporphyca. 183
Holoveræ veſtes. 182
Holovera tinctura. 183
Homogalacti. 106.*ſeq.* 131.152
Homotaphi. 105. 194
Horatii Trigemini. 366
Hoſpitii ius. 608. *diverſum ab amicitia & fœdere.* 609
Humanitatis negocium gerere quid? 556. 561
Humanitas & miſericordia differentes animi affectus, quibus tamen idem finis propoſitus. 560. 561

I.

Ἰδιόξενοι. 610
Impendium habere. 404
Implere intentionem, petitionem, exceptionem. 36. *eranum ſeu collectionem.* 39. 45. *conditionem legem, mandata, voluntatem alicuius.*
Impoſſibiles conditiones. 409
Inauratum ab aureo qualitate diſcernitur. 433
Incitega. 451
In credito eſſe. 192. 193
In creditum ire. ibidem.
In creditum dari, in creditum accipi. 194
Inducere. 175
Iniuria αἰκία. 226
Iniuriarum quomodo agatur. 227
Iniuria atrox. 237. *ſeq.* 273. *eius æſtimatio.* 239. 280
Iniuriæ vox quomodo à Latinis accipiatur. 258. 284
Iniuriarum actio. 259
Iniuriarum ſpecies. 259. *ſeqq.*
Iniuria fit vel verbis vel re. 261
Iniuria quid in XII. *Tabulis.* 268
Iniuriarum actionis differentia apud Atticos & Romanos. 278
Iniuria contra bonos mores. 283

Ino-

Inopinatum. 512
Inſcriptiones ſtatuarum & monumentorum. 872
In ſemel ſatisfacere. 394
Inſolitum quid. 511
Inſtrumentum domus & ſupellex idem. 504
Inſtrumenta ἰδιόχειρα & αὐτόχειρα. 209
Interſcalmium. 675. 718
Inteſtabilis & improbus. 817
Iudex quando iniuriam faciat. 227
Iudicii publici & privati nota. 230. 231
Iuris civilis ſcientia pretio nummario non æſtimanda. 533
Iuris Profeſſorum non eſt mercenaria profeſſio. 534. 548
Iuvenum ætas ad res utendas idonea. 374

K.

Κακηγορία *quid.* 259. 260
Κακολογία. 262. *differt à* κακηγορία. ibid. *ex ea non dabatur actio.* 266
Κακοτεχνιῶν δίκη. 841
Κακοτεχνία. 294. 842
Κακοῦργοι. 296
Κάπνη *apud Atticos.* 152
Καπνικὸν τέλος. ibidem.
Καπηλεύειν *quid.* 173
Κάπηλοι *quid.* 94

Κάπτειν τὴν οὐσίαν. 336
Kalendaria. 752
Καταλύειν τὸν δῆμον quid. 296
Καταβόησις. 261
Κατάστρωμα quid. 724
Καταφυρᾶν. 335
Κέλης quid. 698
Κοινωνία quid? 87. 97. 109. eius diviſio. 154
Κοινωνικὰ ſyſtemata conſtabant ſacrificio & epulo communi. 144
Κλήτορες vel κλητῆρες quid. 858
Κλητεύεσθαι & ἐκκητεύεσθαι quid. 886

L.

Lacedæmonius orbis. 487
Lais meretrix. 529
Lax, lacere. 175
Latina lingua in Italicam deſcivit. 174
Lecti argentei. 448. 465
Legatum ſpecialiter & nominatim. 347
Leges explicatæ, correctæ & emendatæ: lex Solonis de Societatibus & Collegiis. 89. & ſeq. l. II. ff. de rebus creditis. l. I. ff. de bon. poſſeſſ. ſecundum tabulas. 196. l. VII. ff. de iniuriis. 237. ſeqq. l. VIII. ff. de bonorum ceſſione. 338. l. XVI. §. VIII. ff. de pœnis. 343. l. LXXII. ff. de evictionibus. 346. l. XVI. de adminiſtratione tutorũ. 348
lex

lex Attica de Meretricibus. 350. *lex ult. ff. de finibus regundis.* 354. *l.* III. *ff. de officio Prætorum.* 360. *l.* III. *ff. ſi pars hereditatis petatur.* 366. *l.* I. *ff. de donat. inter virum & uxorem.* 376. *l.* XLVI. *ad Senatuſconſultorum Trebell.* 384. *ſeq. l.* XXI. *ff. quando dies legatorum vel fidei commiſſ. cedat.* 388. *l.* VIII. *ff. de Collatione.* 390. *l.* V. *Cod. de iudiciis,* 391. *l.* V. *ff. de ſeparationibus.* 393. 325. *l.* VIII. *ff. de inofficioſo teſtamento.* 399. *l.* LXIII. *ad Senatuſconſultorum Trebell.* 402. *l.* XXXI. *ff. eodem.* 405. *l.* XXXII. *§.* XXIV. *ff. de donat. inter virum & uxorem.* 411. *l.* IV. *§.* VIII. *ff. de re militari.* 420. *l.* XIV. *ff. de contrahenda emptione.* 428. *l.* XXI. *ff. de action. empti,* 439. *l.* XVII. *ff. de argento auro legato.* 841. *l.* LXXVIII. *ff. de contrahenda emptione.* 509. *ſeq. l.* V. *ff. de tranſactionibus.* 512. *l.* XXVIII. *ff. de rebus auctoritate iudicis poſſidendis.* 521. *l.* IV. *ff. de condictione ob turpem cauſam.* 527. *l.* XIV. *§.* VII. *ff. de religioſis & ſumpti. funer.* 553. *l. ult. Cod. de teſtamentaria manumiſſione.* 563. *l.* XII. *de poſtliminio.* 575. 586. *l.* IV. *Cod. de offic. iud. militar.* 471. *l.* IV. *Cod. de officio Magiſtri officiorum.* 742. *lex* Publia *Mævia §. ult. ff. Depoſiti.* 748. *l.* IX. *ff. ad legem Cornel.*

de falſis. 792. *&* 794. *l.* IX. *ff. de offic. Proconſ.* 854, *l.* VI. *ff. de leg. Iulia repetund.* 872
Liaculum. 570
Liberi populi Romanis qui. 592. 613
Limes & limen ſunt diverſæ notionis. 568. *& originationis.* 570
Limi. 569
Linea quid? 117
Lio, liare. 569
Lis extra ordinem iudicationis. 425
Litem inſtruere advocatione & teſtibus quid. 845
Littera apud Latinos quid notet. 520. *ad litteram accipi.* ibid.
Λυπομαρτύριον. 818
Litteralis captio, & litteralitas captioſa. 521
Loculamenta in abaco ad recipienda vaſa. 501
Λόχος quid. 136
Logarium. 160
Logotheta. 161
Lupanaria publica. 531
Luſtricus dies. 163

M.

Maceria. 355
Maleficia inſcripta. 292
Maledicentia, maledictum, maleloquus. 260

Maledictum apud Paulum quid. 261. ἄγραφον & ἔγγραφον. 264
Maltha quid? 825. *ſeq.*
Μαρτυρία *quid.* 777. 808. *diſtinguitur ab* ἐκμαρτυρία. 781. *fuit præſentium.* 835
Μάρτυρες. 780
Μαρτυροποιία. 807
Μαρτυρία & Μαρτύριον. 508
Medici mercenarii. 540
Menſa marmorea ſeu Delphica. 487
Menſa poculorum. 488
Menſa epularum. 498
Mercatores magnarii. 95
Mercatus. 163
Merces. 164. 165
Meretricari in propatulo. 353
Meretrices honeſtiores. 352
Meretrices ἀδρομίσθοι. 527
Meretrici datū nō poteſt repoti & condici. 526. *ſeqq. earum quæſtuaria profeſſio eſt.* 534. *earum cauſæ ab Aedilibus cognoſcebantur.* 537. *non turpiter accipiunt.* 548. *ſed turpitudo eſt dantis.* 549
Militum favor, gratia & privilegia. 422
Milites Caſtricii, Riparienſes, & Lembarii. 646. *Claſſici.* 741
Miniſterium. 450. 497. *diverſum à Delphica & abaco.* 497. 500. *eius vaſa.* 492
Miniſteriani ſervi. 500

Miſe-

Miſericordia & humanitas differunt. 561. 562.
Μισθὸς & μίσθωμα. 59
Miſſio honeſta, ſive ignominia. 428
Monopodia. 489. *diſtinguuntur ab abacis.* 489. 503.
Mulcare aliquem. 226
Multa in actione αἰκίας & ὕβρεως. 235
Multare pecunia. 245. *morte.* ibidem.
Munus fiduciarium. 391
Mutui datione in creditum itur. 191
Myrrina vaſa. 480
Myſtæ. 100

N.

Naves longæ, onerariæ & actuariæ. 651. 718. *differunt à ſe invicem.* 652. 658. *ſeq.* 734. *iis ius poſtliminii competebat.* 651
Naves, δρόμωνες, σκευόφορα πλοῖα, ἱππαγωγὰ, *vectoria.* 653, 654. 736. *liburnæ, earum menſura.* 690. *inventio.* 697. *uniremes, biremes, triremes, quadriremes, quinquiremes, hexeres, octeres, enneres & deceres.* ib. & 656. 662. *galeræ ſive galeæ.* 654. 657. 692. 684. 712. *piſcatoriæ.* 703. 742. *piraticæ.* 705. 714. *Auguſti & Antonii.* 714
κατάφρακτοι. 728. *actuariæ.* 730. *onerariæ Romanorum.* 731. *frumentariæ modiatione æſtimabantur.* 734. *onerariæ à numero*

mero tonnellorum. ibidem. *exploratoriæ & ſpeculatoriæ.* 736. ἄφρακτα *Rhodiorum.* 738. *luſoriæ* Danubii & *Rheni.* 740. *erant duum generum.* 751. *iis quoque ius poſtliminii competebat.* 740
Navis partes & diviſio. 680 *ſeq.*
Naves bellis aptæ quæ? 698
Navis longæ inventio. 658. *rotundæ.* 659
Navis dipleura, dicrota. 660. 664
Navis Iaſonis μονήρης *fuit.* 667
Navis πεντηκόντορος. 661. μονόστυλος. 665. *ſeqq.*
Negotium pro negotiatione. 176
Negotium ſuum gerere quid? 556
Nominis ferendi conditio. 409
Nomina deperdita. 348. *male contracta.* ibid. *integra.* ibid.
Nomen facere quid. 751
Nundina Dea. 163
Nundinationes agere. 170
Nundinatores. 169. 173
Nundinari. 158. 173. & *ſeq.*
Nundinas præſtare. 159, *ſeq.*
Nundinæ vox πολύσημος. 162. *Vlpiano quid.* 166. 170. 180.
Nuptias ſequi. 396

O. *Ob-*

O.

Obligare quid. 865
Obligatio innocentium quid, *l.* 2. *ff.* de Concuſſion. 864. ſeq.
Obloqui quid. 860. 864
Obtrectatio. 262
Occentare quid in XII. Tabulis. 264. reſpindet Græcorum κακηγορίᾳ. 269
Ordo cauſarum iudicandarum, ſive iudicationis. 425
Orgeones. 102. ſeq. in honorem Heroum ſacrificia faciebant. ibid.
Orgia. 100
Originale & Copia. 210
Ornamentum abaci. 486
Ὀρθῶσαι τοῖχον. 359
Ὀρύττειν quid. 358
Operæ liberti. 745
Opificia ſingula Sanctum ſuum habebant. 147
Ὁσίας χάριν quid. 378

P.

Pactum, pacturæ, pactio, pactus. 802. 803. & ſeq.
Pagus, κώμη. 150. 152
Panegyris. 162

Παράκλητοι quid apud Atticos. 857
Pariculum quid. 212. 214
Pariculæ epiſtolæ & paricule chartæ. 213
Pariculus cippus. 216
Paſcere quid? 72. 86
Παράσιτοι. 804
Patriota. 119
Patroni, qui. 848
Pecuniam καταβάλλειν. 32
Pelles quid, & ſub pellibus agere. 455
Penſitatio. 33
Percutere, eius duplex ſignificatio. 299
Percuſſores. ibidem.
Perfuſorie dicere. 372
Periculum, ἔλεγχος. 217
Pericula iudicum, ex quibus ſententias pronuntiabant. 218
Phratria. 104. 112. 139. ſunt corpora. 134. eius diviſio. 130
Phratores. 104
Phylæ & Phyletæ. 102. 110. 125. eius diviſio. 115. plures cognationes & gentilitates complectitur. 129. maxima corpora ſunt in ſyſtemate politico. 133
Phylarchæ apud Arabes. 119
Pietas, aliud quam miſericordia & humanitas. 562
Πηλὸς quid. 290
Piperatoria. 497

Πλη-

Πληρῶσαι & πληρωθῆναι quid. 34. 35
Πληροφορεῖν. 36
Πληγῶσαι, πληγὴ & πληγαὶ quomodo accipiantur. 332
Plix. 380
Poculorum theca. 501
Poculorum ponendi mos in menſa. 944. in Dephica. 501
Pœna in actione βλάβης, furti, κακηγορίας. 251. 263. ἀπορρήτων. 264. membri rupti & oſſis fracti. 269. 273. ὕβρεως & αἰκίας. 277
Politæ & ſympolitæ. 109
Politia eſt κοινωνία. 133
Pœna leg. Corneliæ Teſtamentariæ de Falſis. 870
Πολεῖσθαι πεφασμένως quid. 351. proprium meretricum. 352
Potoria fictilia & vitrea. 470
Poſtliminare. 567
Poſtliminium. 568. unde dictum. 571. eius definitio. 572. competebat & in pace & in bello. 574. ſeq. cum quibus Romanis fuit. 580. ad omnes res immobiles & ad certas mobiles pertinet. 647
Præſtationes ſive penſitationes. 40
Præſidia quid in L. 5. ff. de poſtliminio. 643. ſeq. 645.
Prætentura. 645

Prætorium navarchi. 682
Pro forma quid apud barbaros. 382
Πρόκλησις *quid?* 884. 885. *eius formula?* 885
Προκαλεῖσθαι μάρτυρας. 885
Προπηλακισμὸς *quid.* 283. *ſeq.*
Proſelyti. 336
Προΐμησις *iudicium.* 248
Πρόσθετος. 337
Prototypum. 205
Proxeni. 609
Πρυτάνεις *Athenienſium fuerunt ſyſſiti.* 151
Pugillus & pugillar. 222
Pulſatio. 284
Pytiſſare quid. 488
Pytiſma idem quod pytiſſatio. ibid.

Q.

Quatere fores. 298
Quatere oppida bello. 298
Quaſſare, eius ſignificatio duplex. 299
Quaſſa olla. ibidem.
Qualitas quid in l. XIV. *ff. de contrahenda empt.* 429. *& quomodo accipiatur à Iuriſconſultis.* 434

R.

Ates quid? 659. *iis primo navigatū.* ibid.
Ratio, eius ſignificationes. 161

Ratiuncula. 160
Rebus ſuis ſupereſſe vel ſufficere. 373
Redemptores litium. 843
Reliquatio. 45. & *reliquari.* 46
Reliqua reſpondere. 46
Remiges θαλάμιοι. 680
Remigum numerus & ordo. 677. 679. 713.
gradus. 688
Remorum ordines. 681. ςίχοι. 686
Removeri à militia, à caſtris. 427
Repoſitorium quid. 451
Res, quomodo & quæ in præda ſint. 631. *ſeqq.*
Reticuli variæ notiones. 161
Reus quis apud Vlpianum. 241. 243. *ſeqq.*
Græce quid? 865
Revenire pro redire. 634
Rhopopola, Rhopon. 165
Rogationes quæ. 308
Rogandi formula. 309

S.

Sacrificio ſemper epulum adiunctum. 144
Sæpes viva. 354
Samia fictilia. 485
Salaria quomodo pendantur. 541. *ſecundum conſuetudinem & annonam.* ibid.
Scaphia. 448. 466
Scorta devia. 529. *meritoria.* 531
Sectores bonorum. 326. 328. 333

Sena-

Senatusconſult. Libonian. quando factum. 877
Senatu moveri. 427
Separationes ex decreto Prætoris Creditoribus promiſſæ earumque cauſæ. 393
Sepulcrum commune. 449
Sepulcra in finibus agrorum. 359
Sequi quid ſignificet. 396
Sequi perſonam. ibidem.
Servitium. 314
Servitutem ſervire, & in ſervitute eſſe. 311
Σιτῶνις. 334
Socii κοινωνικοί. 157
Societatis cuiuſque ſui Dii. 145
Societates ex contractu. 156
Societatum πολιτικῶν κοινωνία *qualis.* 157
Societas ad emendum. 176
Societas Leonina. 414
Societas donationis cauſa. 412. 416
Sodalitium. 73. 84
Solvere ex aſſe. 394
Spandaliorum teſtationes. 822
Specimen quid. 382
Species & ſpecioſus pro dignitate. 421
Stapa quid. 172
Stapam facere. ibidem.
Stationes agrariæ. 645
Στήλη *Græcis quid.* 215
Stellionatus. 292. 841. *eius iudicium extraordinarium.* 294

Stipes quid. 32. 33
Suffectio. 189
Supellectilis nomine quid contineatur. 447. 473. 478. *eius origo.* 455. *diſtinguitur ab argento à Iuriſconſultis.* 459. *quid ſit in ſupellectile.* 463. *quid faciat diſcrimen eius.* 508. *eius varia enumeratio.* 506
Supplicium ſumere. 233.
Symbola quid? 62. 63. *de ſymbolis eſſe.* 62
Symmetria Vitruvii. 675.
Symmoria & Symmoritæ. 29
Sympoſium πληρῶσαι. 65. 80
Sympoſiarcha, 11. *diſtat ab Eranarcha.* ibid. & 63. *eius munus.* 68. 75. 79. *quomodo eligebatur.* 74
Synaxis. 70
Syngrapha quid? 785
Syſſiti. 105. 147. 151

T.

TAbellæ iudiciariæ. 219. 222
Tabulæ obſignatæ. 752
Talio in quibus obtinuerit. 269
Taxare pœnam iniuriæ. 240. 242. 245. 252
Tecti navigii genus. 723
Tempeſtates ſunt caſus fortuiti & inſoliti. 511. *moderatæ & immoderatæ.* 513. *contra conſuetudinem.* 518

Terram iniicere corpori exanimi. 563
Teſtamentum duobus Codicibus factum. 197
Teſtamentum duplex Tiberii. 204
Teſtatio falſa & inſtrumentum falſum (in l. 111. Cod. Si ex falſ. inſtrument. ſive teſtimoniis iudicatum ſit) quid. 775
Teſtato fieri. 792
Teſtationem conſignare. 810
Teſtato dicere. 822
Teſtatio quid? 775. 819. *idem quod inſtrumentum teſtibus ſignatum.* 776. *diverſum à μαρτυρία.* 777. *differt à teſtimonio.* 790. 826. *ponitur pro pacto convento.* 791 *duum generum publica & privata.* 819
Teſtationem facere. 793. 809. *aliud quam teſtes facere.* 810. 820
Teſtari, in triplici ſignificatione. 808. 822
Teſtificatio. 809. 830
Teſtimonium fari. 817
Teſtimonium falſum dicendi cauſæ. 773. *ſeq.*
Teſtimonium defugere. 817. 887
Teſtimonium iure Attico quomodo ferebatur. 823.
Teſtimonium ex auditione ferre. 832
Teſtimonium denunciare, renunciare & remittere. 866. *ſeq.*
Teſtimonium eiurare. 886
Teſtimonia falſa. 774
Teſtimonia quid. 778. *eius appellatio generalis.*

lis. 784. *eius ferendi formula.* 834
Teſtis maior auctoritas apud Romanos quam teſtimoniorum. 781. *apud Græcos contra; huius rei ratio.* 782
Thalamus in navi quid? 680
Theca poculorum. 501
Theſmothetæ. 53
Thiaſotæ. 143. 147. *differunt à Syſſitiis.* 147
Thiaſos, convivium ſolemne. 146
Thranus ſumma pars navis. 681
Thranitæ. ibidem.
Τίμημα quid. 244. 245. *non fuit iudiciorum publicorum.* 252
Tituli. 217
Tituli cellis meretricum inſcripti. 531
Tribus. 127. 137
Trieres quid. 707. *duum generum.* 709
Triremes antiquæ naves bellicæ. 690. *ubi primum fabricatæ.* 694
Trittyarchi. 113
Trulla, eſt in ſupellectile. 473

V.

VAſarium quid. 455
Vaſa pro ſupellectile. 456. *differunt à vaſis argenteis.* 456
Vaſa cryſtallina. 480
Vaſa conclamare. 456

Vaſa

Vaſa fictilia. 469
Vaſa Delphicæ ſemper paria fuerunt. 491. *plumbo colligata.* 496
Vaſa eſcaria olim omnia fictilia. 492
Vaſis fictilibus nomina illuſtrium figulorum inſcribebantur. 347
Vaſcella. 458
Vectigalia meretricum Caligulæ. 529. *Pontificis.* 531
Verbera, verberatio. 232. 233
Verſus pro remigatione. 687
Verrere æquor. 687
Vindicaturus Rempb., apud Tacitum, quid? 375
Virginum licentioſa contrectatio. 285
Vitrum æſtivum. 480
Vocatores. 859
Vocabula omnia in MEN deſinentia à Verbis derivantur. 569
Vrceoli miniſtratorii. 496
Vſus fructus. 373
Vulnus, vulnerari. 233
Vulneratio. 259. 279
Vulneratio contumeliæ cauſa facta publicæ fuit accuſationis apud Græcos. 280

X.

XEniſmus. 84
Ξένοι. 610

Y. Ὕβρεις

Y.

Ὕβρις quid. 227. eius generalis & ſpecialis appellatio apud Græcos. 259. tres eius ſpecies. 279. 281. differt ab αἰκίᾳ ut genus à ſpecie. 230. 259. eius iudicium fuit publicum. ibidem. & 235. 272. eius atrocius crimen fuit quam αἰκίας. 253. pœna capitalis. ibidem.

Ὕβρις ἔμπλητος. 267

Ὕβρις quæ fit animi gratia. 286. dignitatem lædit. 287. ὕβρις de ſtupro dicitur. 288

Ὑπολιμνάσθαι quid. 249

Z.

Ζυγὰ. 681.
Zygitæ. ibidem.

FINIS.

ADDENDA.

PAG. 338. *poſt illa*, quamvis negat Advocatus, *adde*. Adeo autem verum eſt, προσπίθεσθαι Græcis etiam pro ſemet addicere & dedere uſurpari, ut nihil ſit magis tritum apud optimos auctores Græcos. Dionyſius Antiquitatum Romanarum lib. VIII: Ῥωμαῖοι ἤ τῶν τε κεχειρωμένων πόλεων ἤδη τὸν ὄλεθρον ἀκούοντες, καὶ τῶν προστεθειμένων τῷ Μαρκίῳ τὴν ἀνάγκην. *Item earum quæ ſe Marcio dediderant, neceſſitatem*. Polyænus lib. VIII. de Cæſare: Πομπηΐου κηρύξαντος ἔχθραν καὶ τοῖς μηδετέρῳ προστιθεμένοις. *Cum Pompeius inimicitiam denuntiaſſet illis qui ſe neutri parti addixiſſent*. Alibi eodem ſenſu hoc verbum poſuit.

Pag. 572. *Poſt illa verba*, domus egreſſio fuerat, *adde*. Apud optimos auctores etiam πεζογράφους, *limen* pro domo poſitum reperire eſt. Unum è Livio exemplum dabo, lib. XXII. *Matronas publico arceant, continerique intra ſuum quamque limen cogant*. Quo loco ſi legeretur, *intra ſuum quamque limitem*, ineptum eſſet, ac minime Latinum. Aliud ergo *limes*, aliud *limen*. Plautus

in Milite Glorioſo Act. III. Scen. I. *Cobibete intra limen etiam vos parumper, Pleuſides.*

Pag. 855. *Poſt illa verba*, verum de his alibi, *adde*. Vereor enim ne illi *centum* aurei in ea lege à Triboniano vel Iuſtiniano ſint, cum vetus Iuriſconſultus ſcripſiſſet, *centum ſeſtertios*, quod eſt unius aurei pretium. Cum enim *ſeſtertia* & *ſeſtertios* confunderet, quia illa ætate nulli amplius ſeſtertii, & ſeſtertia mille ſeſtertiis nummum valerent, pro quibus unum aureum ſolidum ponere ſolet Iuſtinianus, pro centum ſeſtertiis in illa Ulpiani lege centum aureos repoſuit, qui de nummis ſeſtertiis erant accipiendi, quibus centenis unus aureus æſtimabatur ætate Iuriſconſultorum. Numquam ſane tanta merces fuit advocatorum pro cauſa acta ut centum aureos acciperent. Immo licita huius honorarii ſumma unus aureus fuit, ut conſtat ex Iuvenali Sat. VIII. hoc verſu:

Si quater egiſti, ſi contigit aureus unus,
Inde cadunt partes ex fœdere pragmaticorum.

Si unam cauſam quater egerat advocatus,

tus, aureum unum accipiebat pro honorario, & inde etiam partem dare debebat pragmatico qui libellos formaverat, aut alia inſtrumenta litis confecerat. Vnus aureus tunc centum ſeſtertiis nummis valuit. Pro quibus centum ſeſtertiis, centum aureos repoſuit Iuſtinianus in ea lege.

FINIS.

ANT 1319012

Google

9812

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google